TH 0681

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

J. Th. C. = Israel Theophilus [Gräber]
Canz (1690–1753)
[Unpartheyische Kirchenhistorie [...].
Erster Theil [...]. Jena 1766,
Seite 121–124]

Theodor Mahlmann
16. I. 1999

PHILOSOPHIÆ LEIBNITIANÆ ET WOLFFIANÆ USUS IN THEOLOGIA,

PER PRÆCIPUA FIDEI CAPITA.

PRÆMITTITUR

DISSERTATIO

DE

RATIONE ET REVELATIONE,

NATURA ET GRATIA.

AUCTORE

J. TH. C.

WURTEMB.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ.

A.M.DCC.XXXIII.

Munch

1728

USUS
IN
THEOLOGIA,
RATIONE ET REVELATIONE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834157-p0004-6

DEO.
ECCLESIÆ.
ORBI. LITTERARIO.
BONISQUE. OMNIBUS.

SACR.

PRÆFATIO.

SIsto Tibi, Benev. Lector! Philosophiæ Leibnitianæ & Wolffianæ usum in Theologia. Quod institutum si mecum adprobaveris, grates me debere profiteor, sin minus, non est cur Tibi succenseam, qui pro tua conscientia non minus hoc scriptum damnas, quam ego quidem pro mea illud ipsum emittendum esse duxi; Cum interim solus Deus Arbiter conscientiæ & rectius informatæ & minus instructæ exsistat.

Con-

Consilium, ut intelligis, eò pertinet, ut hujus Doctrinæ innocentia pariter ac incredibilis in sanctissima disciplina publice cognoscatur utilitas.

At enim, inquis, *num hardi fuerunt, qui ante hos novos homines docebant, num sapientia omnis nat. cum his ac demortua est?* Quis immenso fastu inflatus (*) hæc talia sibi arroget? Gigantes antiquos judico, quorum humeris Recentiores suffulti longius prospiciunt, quam illi prægrandes, quibus gloria cedunt. Non enim Virorum magnorum laudes perspicaciæ gradu, sed adminiculorum sui temporis copiâ, ac opportunitate metimur, quæ quo vehementius minuitur, eo major illis parata est gloria: Ut vel Euclidis exemplo constat, cujus scien-

tiam & mediocres hodie Mathematici ſuperant, gloriam verò ne æquant quidem ſummi.

Forte & alia dubitatio tenet animum ancipitem. *Si Veteres Philoſophiæ hujus placitis poterant præclare carere, & ignorare, quæcunque nunc adeo extolluntur, certe & nobis ea neſcire in Theologiæ ſtudio verſantibus licet.* Quæ cum Religione connexa ſunt quocunque modo, tamdiu poſſunt ſalva veritate ignorari, quamdiu nondum diſtincte & per partes ſunt evoluta; ſufficit enim interea generalis & minus determinata eorum cognitio: At quamprimum nova in iis lux exoritur, ut ex generali doctrina ſpecialior evadat, majorque exiſtat rerum explicatio: ignorari quidem ea recens inventa poſſunt, incolumi manente veritate, negari

gari autem absque detrimento non possunt. Idem hic judicium ferendum puto, quod aliâs Theologi de quibusdam fidei capitibus plus minus à fundamento remotis, item de eruditis, qui ante & post natas in Ecclesia controversias vixerunt, pronuntiant. Ante Lutherum v.g. quis Patribus non ignoscat paulo negligentius de justificatione cogitantibus, simul vero atque in isthac materia uberiores explicationum radii emicuerunt, negari non potest, nec debet, quod antehac tuto ignorari poterat. Εισὶ διαιρέσεις χαρισμάτων 1.Cor. 12. v. 4. *non respectu solum singularum personarum, sed & integrorum temporum.*

Methodus à me illa cooptata est, quam plerumque Theologi sequuntur, non geometrica, sed

cumulativa, quâ materiæ cognatæ in certas digeruntur classes. Etiamsi enim alteram alteri pro re nata præstare non ignorem: tamen ut hanc anteponerem illi, & instituti ratio, & seculi genius poscebat. Ut meditationis seriem gratâ respirandi morâ distinguerem, paragraphis passim quædam, data occasione, interserui ex historia litteraria, cujus studio nihil dulcius, nihil ad demulcendos meditationis profundæ impatientes animos adcommodatius exsistit. Indulgendum id igitur erat genio auctoris. Inter ea quæ singulari ratione expositi eminent v.g. doctrinæ de *libertate*, *omnipræsentia Christi*, *justificatione*, *satisfactione*, *prædestinatione &c.* Quas ut benevolus Lector à capite ad calcem patienter & cum cura expendat, enixe rogo.

Stylum

Stylum potuissem comtiorem exhibere, imo revera exhibuissem in alia occasione, nisi ea cura attentionem maxime hoc libro necessariam minuisset. Quæ tamen sermonis præcipua virtus est, *perspicuitatem* videlicet phrasium dictionumque adeo non neglexi, ut quantum per ipsas doctrinas fieri potuit, plurimum in ea posuerim operæ. De modestia, qua fui usus, dicere nihil attinet; Ejus enim neglectus vituperium quidem contrahere, observatio vero laudem conciliare nullam potest, cum eam adhibendo fecerim, quod necessarii est officii.

Cæterum finire licet brevem hanc antecessionem verbis Joach. Langii de Republica litteraria præclare meriti, contraria licet sentientis, in *nova Anatom. System. Wolffiani* p. 7. *Hæc sunt quæ in Philosophia Leibnitiana* probe expensa *deprehendi: Id quod nunc denuo coram DEO cordium scrutatore & totius generis humani Judice, & simul coram Ecclesia Evangelica, ac universo Eruditorum ordine non sine plerophoria publice profiteor ac contestor.*

(*) Hujus fastus recentioris Philosophiæ asseclas coarguit excellent. Dn. Walther in der Philosophischen Bigotterie p. 6. & alibi. Sed novit Vir doctissimus: *quemque suos patì*

manes. Nescio, cur Vir eruditus sub finem citati scripti epistolæ Parisiis in Germaniam missæ mentionem faciat, cujus quædam fragmenta talia dedit: *Wolffius, Mathematicus Marpurgensis, tanti non fit à Jesuitis Gallis, ac ipse gloriatur. Vidi ego nuper epistolam à Jesuita celebri Colonienſi P. des Bosses ad Tourneminium datam, in qua hæc subjicit verba, postquam de argumentis, quæ Wolffius rejicit, disseruerat: si cela ne convaincra Mſ. Wolff, je lui dirai, qu'il ne fera jamais voir, qu'il n'est pas Athée lui-même.* Quis Parisiis in Germaniam hanc epistolam miserit? equidem præclare novi; quia ejus auctor, nimirum *Danicæ legationis apud Galliæ Regem Præco* mecum ea de recollocutus est, haud obscure præ se ferens, visam à se epistolam Patris *des Bosses* in Gallia, communicatam à Patre Tourneminio: At perspectum quoque & exploratum habeo ex testimoniis authenticis, *negare Jesuitam Colonienſem, à se exaratas unquam tales literas:* Interest igitur honoris, ut Dominus *Walther* ostèndat, immerito se à Patre citato *criminis falsi* postulari. Cæterum in explicanda superstitione Philosophica multa solide & eleganter dixit clarissimus Walther, licet in characterum adplicatione fuerit paulo infelicior; Puto enim, longe alia *subjecta*, in quæ illi cadant, posse substitui. Ex scripto etiam præsenti judicabit Lector, *num Leibnitium Wolffius Atheum faciat?* quæ iniquissima nonnullorum obtrectatio fuit, quâ Parisienses trahere in partes cupiebant.

INDEX

INDEX CAPITUM
ET
ARGUMENTORUM
DISSERTATIONIS PRÆLIMINARIS.

Cap. I.
De Harmonia Rationis & Revelationis.

RAtiones pro isthac harmonia. pag. 6
Solvuntur dubia Bælii & Huetii. p. 11.

C. II. *Dissert. Prælim.*
De usu rationis in Theologia.

De ratione *subjective* spectata, ubi agitur de Theologia impii. p. 32.
De ratione *objective* considerata. p. 41.

Cap. III.
De natura & gratia.

Quomodo omnis actio judicanda? p. 57.
De officiis erga DEUM, *quid in iis natura & gratia sit?* p. 61
De officiis erga alios quosvis. p. 64.

De

De officiis erga seipsum. p. 77
in singulis enumerantur naturæ & gratiæ gradus, alii aliis sublimiores. De socialitate Christiana. p. 79

TRACTAT. CAP. I.

Sectio. I.

Expenduntur recentiores DEI definitiones, enarratis, quæ hinc inde disceptata fuerunt in partem utramque. p. 86
Ostenditur usus definitionum in probandis DEI virtutibus. p. 96
Ubi varia illustrantur ad rem facientia.

Sectio II.

De existentia DEI.

Recensentur dubia adversus argumentum de contingentiâ mota. p. 109
Unà cum responsionibus ad ea datis. loc. cit.
Commonstratur triplex usus philosophiæ Leibnitianæ in probanda DEI existentia, isque omnino singularis; & huic disciplinæ proprius. p. 122

Sectio III.

De infinita DEI natura.

Examinantur argumenta Veterum pro hac veritate. p. 143.
Eademque supplentur ex recentiorum doctrinis. p. 146.

Sectio

Sectio IV. Capitis I.

Quod DEUS sit unicus.

Examinantur argumenta pro hac veritate. p. 151
Supplentur ex Leibnitii Doctrinis. p. 156

Sectio V.

De Sanctitate DEI.

Ubi exhibetur ejus vera notio. p. 161
Usus notionis in evertendo absolutismo. p. 162
in aliis fidei capitibus. p. 165

Cap. II.

De S. Scriptura.

Usus principii de suffic. rat. in stabilienda scripturæ auctoritate & confutanda Pontificis. p. 169
de interpretatione scripturæ ex doctrinis recentiorum. p. 177
demonstrantur canones hermenevtici ex notionibus eorundem. p. 179
difficultas interpretandi. p. 182
tollitur per princip. suffic. ration. p. 184
de analogia scripturæ & fidei ex mente recentiorum. p. 189
cujus datur exemplum. p. 191

Cap. III.

De Creatione.

Quod sine princip. suffic. ration. creatio ex nihilo probari nequeat. p. 196

exami-

examinantur argumenta eorum qui principium hoc distincte non urserunt. p. 198
probatur creatio ex nihilo. p. 202
aliud ratiocinium. p. 203
Mundus non fuit ab æterno. p. 208
An sine ratione præpollente conditus? p. 211
confirmatur decisio adversus dubia. p. 212

Cap. IV.

De Homine.

Quod anima sit materiæ expers contra hodiernos Materialistas. p. 223
de libertate. p. 242
de immortalitate animæ. p. 260

Cap. V.

De peccato originali.

An concupiscentia sit positivi quidpiam? p. 278
de actionibus gentium. p. 289
traduntur & alia, videnda suo loco.

Cap. VI.

De Providentia & mali permissione.

Patrum de permissione mali sententiæ resolvi debent in Leibnitii decisionem. p. 296
argumentum decretorium pro sententia Leibnitii. p. 305

Cap.

Cap. VII.

De Omnipræsentia Carnis Christi.

Quid sit esse præsentem? p. 311
quid sit omnipræsentia? p. 320
quid sit corpus? p. 328
& alia complura.

Cap. VIII.

De Satisfactione.

De satisfactionis necessitate. p. 348
de ejusdem perfectione contra Arminianos. p. 356

Cap. IX.

De Prædestinatione.

An sit absoluta? p. 363
An Leibnitius Supralapsarius. p. 405

Cap. X.

De Justificatione.

An DEUM possimus demereri? p. 423
An aliena nobis imputetur justitia? p. 432

Cap. XI.

De Lege divina.

Num jus Naturæ lex, an consilium? p. 435
num à decreto DEI justitia omnis pendeat? p. 443
an detur lex positiva universalis? p. 469

Cap.

Cap. XII.

De Lege Ceremoniali.

De ceremoniis in V. Test. p. 484
de ceremoniis in Nov. Test. p. 489

Cap. XIII.

De Conversione.

An ad eam nos quidquam conferamus? p. 495
an ei possint mortales obluctari? p. 496

Cap. XIV.

De Vita & morte.

De vita corporis, animæ, & suppositi. p. 498
de vita animali, carnali, spirituali &c. p. 502

Plura quidem in quibusvis capitibus tractantur, sed indici huic omnia, quo minùs inserantur, angustia paginæ prohiber.

Discur-

Σ. Θ.

Discursus Præliminaris

DE

RATIONIS CUM REVELATIONE HARMONIA LEGITIMOQUE EJUSDEM IN THEOLOGIA USU.

CAP. I.

De harmonia rationis cum revelatione.

§. 1.

QUi de philosophiæ recentioris in Theologia usu verba nunc facturus sum, haud inepte forsan fecero, cùm prius dixero quædam de rationis cum cœlesti doctrina conformitate, pariter ac usu in eadem non contemnendo, subjunctis quibusdam, quæ ad naturæ gratiæque operationum discrimen pertinent, observationibus. Tria id institutum capita sistet, quæ omnino præsenti discursui & posse & debere præmitti videntur.

§. 2.

Primum caput, idque præsens nonnulla de rationis cum revelatione conformitate exhibebit. Duos præternavigare scopulos, evitato utrinque naufragii periculo, hoc opus, hic labor est. Inter duos errores, è diametro sibi invicem oppositos, mediam invenire veritatem, non minorem profecto, æqualem certe, vel & ampliorem requirit peritiam. Eo nunc contendendum nobis est, conatûne duntaxat inani, an eventu, qui respondeat, felici, penes lectorem B. judicium esto.

§. 3.

Sunt nimirum, qui rationis, & philosophiæ imperium, eo usque propagatum cuperent; ut vel ipsa S. Scriptura ad eam tanquam legem normamque exigeretur, nihil probaturi, quod cum rationis axiomatibus non consentit: (a) Sunt vero vicissim, qui contrariam ineuntes viam, rationem veluti mysteriis DEI iniquam, carpunt, damnant, proscribunt, & prorsus eam commercii cum Theologia nihil habere volunt, quocunque tandem consideretur modo. (b) *Medio tutissimus ibis.* Cui autem celeberrimus auctor Bayle classi sit adscribendus, difficile est pronuntiatu. Jam enim à ratione revelationi insuperabiles posse objici difficultates affirmat, jam autem ex adverso fidei, licet profligatæ, triumphum se ambabus largiri sive falso sive verè contendit. (c)

(a) Huc pertinent primo Sociniani, & qui propius ab ipsis absunt, ex Arminianis nonnulli v. g. larvatus ille Liberius de S. Amore in epistolis theologicis, qui ex Theologia cuncta pene mysteria excesse jubet p. 25. seqq.

seqq. cujus sententiam forsan infra tangemus. Sunt porro huic numero addendi, infamis Spinoza in tractatu theologico-politico de libertate cogitandi, Antonius Collinus recentior Scriptor, qui de eadem cogitandi libertate commentatus est Gallico scripto. Nec non Johannes Tolandus in libro, quo Christianam disciplinam mysterii expertem esse probare voluit. Aliquantum ab his non multum tamen differunt, qui philosophorum sectas Veterum cum Scriptura S. conciliare student, etsi finem consequi nequeant, ejus verba detorquent, mentemque corrumpunt. Vid. Budd. observat. de syncretismo philosoph. Tom. III. observ. 12. seqq. p. 818. Nec prætereundus Medicus Amstælodam. Ludov. Mejer, qui auctor esse perhibetur exercitationis paradoxæ. *Philosophia Scripturæ Interpres* vid. Heinrici Ludolph. Benthem. Kirchen-Staat Hollands, P. II. C. II. §. 5. p. 60. Wolffius Manich. ante Manichæismum p. 358. in ea quoque perversa sententia est Chauvinus, de religione naturali, quem confutavit Buddæus in paterg. p. 589. item Lockius in scripto anglice edito, quod titulum hunc præ se fert de *rationabilitate*. Scripta eristica gallice edidit Clericus anno 1703. in 8vo. &c. &c. supersunt innumera quæ non addam.

(b) Notissimum est Philosophos à Tertulliano hæreticorum Patriarchas vocitatos fuisse, de quo effato Adami Rechenbergii exstat dissertatio. Accusatur & à Romanensibus Lutherus, quod Philosophiam damnaverit omnem, vid. Heumanni acta Philosoph. P. X. num. III. p. 579. Fanaticos autem potissimum in hanc sententiam, quæ Philosophiæ usum proscribit, eamque Theologiæ adversam esse docet, ivisse, notius est, quam ut à me heic enarrari debeat. Poireti enim v. g. liber, qui inscribitur *fides & ratio collatæ*, testis ejus rei esse potest, namque in eo ita refutavit Lookium, ut in contrarium incurrerit errorem. Historiam certaminis Hoffmanniani Helmstadiæ recenset præter alios Joh. Herman ab Elsvvich de varia Aristotelis in scholis Protestantium fortuna, §. XXVII. p. 76.

(c) Nolo certi quid definire, nec enim id possum, licet me non fugiat esse qui malis suspicionibus Autorem onerent, contendentes, id eum egisse, ut sacras litteras rationi quippe, ut putabat, adversas, conculcaret. Vid. Budd. Isagog. Theolog. histor. 235. a. qui in eo secutus est adversarios Bælii Jacquelotium cæterosque.

§. 4.

Expromturi igitur nostram sententiam à definitione *rationis* exordiendum esse arbitramur. *Placet enim, quoniam omnis disputatio de rationis cum Theologia conformitate futura est, ante definire quid sit ratio? omnis enim quæ suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.* (d) Rationem licebit cum Ill. Leibnitio describere *per connexionem veritatum.* (e) Causam facti ipse Vir celeberrimus indicavit. (f) Etiamsi enim Viri docti nonnulla contra definitionem isthanc monuerint; (g) non ea tamen videntur esse tanti, ut nos ab eadem jure dimoveant. Si quæ ab aliis rationis vocabulo comprehenduntur, quibus præsens rationis definitio adcommodari nequit, tum nec ad ea nobis adplicare constitutum est, id, quod hisce paginis pro rationis usu demonstrare, in animum induximus. Simplex v. gr. quam vocant, notio, inter primas rationis operationes collocatur. *At enim nexûs veritatum titulo ornari non potest.* Sit ita sane! parum aut nihil id derogat tractationi, quam meditamur, nunc jam secuturæ. Liceat igitur philosophorum jure uti, quorum institutis (h) definitiones nominales arbitrariæ esse solent.

(d) Verba sunt Ciceronis de offic. L. 1. c. 1. §. 1.

(e) Vid.

(*e*) Vid. discursus Theodicææ Leibnitii præmiss. §. 1. Ratio est veritatum nexus.

(*f*) Causam, quare complures vocis definitionem mirentur, hanc esse dictitat illustris Scriptor, quoniam, quibus paradoxa videatur, homines nunquam conversati sint cum viris, qui distincte suam de ratione mentem exposuerunt. loco citato. §. 1. Theod.

(*g*) Walchius in Lexic. philosoph. sub artic. Vernunfft. definitionem hoc argumento oppugnat: Wir müssen dieses auch von der Beschreibung des Herrn Wolffens sagen, der in Metaph. §. 368. schreibet: Die Einsicht, so wir in den Zusammenhang der Wahrheit haben, heißt Vernunfft. Dann es gibt noch andere Würckungen, die man der Vernunfft zuschreiben muß, auch zuzuschreiben pfleget. Qui plura rationis voce complectuntur, latius accipiunt eandem, quam Recentiores, qui suorum nominum potestates adcuratius & arctius circumscribentes, ea ipsa aliter adpellant, quæ cæteri sub rationis vocabulo innuunt, quæve pro veritatum nexu haberi non possunt. Non litigabimus de vocabulis.

(*h*) Vid. Clerici Logic. P II. Cap. 12. §. 2. 3. 4. Non quærimus enim, *inquit*, quo sensu alii utantur voce quapiam; sed quis futurus sit apud nos ejus usus, exponimus. Igitur primo definitionem significationis quam voci cuipiam tribuere constituimus prorsus pendere ex arbitrio nostro observabimus. Licet enim nobis sono, qui per se nihil significat, prout libet ideam annectere &c. &c.

§. 5.

Rationis vocabulum cum alia, atque alia, pro discursus varietate, significet, idque nunc indicet facultatem hominis, nunc doctrinas à lumine profectas naturali, queis homo imbui, & ad veritatis scientiam formari debet: perspicuum est, par esse, ut parumper inflectatur Leibnitii definitio. Pri-

mo enim sensu ratio (subjective ut barbare loquuntur) accepta *perspicientia est nexûs veritatum*: Altero autem significatu recte per *veritatis nexum*, meâ quidem tenui sententiâ, explicari potest. Utroque modo nunquam corrupta, nunquam depravata, dummodo talis revera sit, qualis hoc loco describitur, esse solet. (*i*) Qui corruptam accusant, alio eos vocabulum sensu adhibere, indubium est.

(*i*) Ubi revera non perspicitur veritatis nexus, ibi nec locum ratio habet. Omnes igitur errores, præjudicia inprimis adversus Sacram concepta Scripturam, non rationis, accurate loquendo, titulo insigniuntur, sed abusum potius rationis juxta recentiorum placita innuunt. Vid. Disput. Prof. Tubing. Weismanni in locum ad Coloss. 2. v. 8.

§. 6.

Primæ igitur quæstionis de conformitate fidei cum ratione, cardo in hoc vertitur: non, *an summa, eademque infinita DEI ratio, seu veri perspicientia suprema, nexum dogmatum, per naturam cognitorum, cernat cum Theologia*; id enim penes omnes litigantes utrinque partes extra controversiæ aleam positum est: neque porro id agitur, ut disceptetur, *num sola ratione adjuti, exactam philosophicarum doctrinarum cum Theologiæ mysteriis harmoniam ostendere τὸ πῶς*, seu, *quomodo? utriusque generis placita cohæreant, distinctius exponere queant*? Hôc enim pacto religionis mysteria explicari possent; id est desinerent esse mysteria, quod nemo dixerit temere: Sed id potissimum quæritur: *nunquid* philosophia *sententias inculcet, firmissimâ demonstratione roboratas*, quæ propositiones

tiones exhibeant, scripturæ effatis è diametro oppositas? (*k*) id porro disquiritur, an fieri non possit, ut, qui sacra Theologiæ arcana tuetur, Respondens, sophismata objectorum ratiociniorum commonstret, & intentatam inter utramque disciplinam pugnæ suspicionem amoliatur? posteriorem nos quæstionem affirmandam, priorem autem pernegandam esse arbitramur, reclamante Bælio, aliisque qui vel palam cum eo faciunt, vel clandestinâ tacitâque cogitatione.

(*k*) Vid. Theod. Leibnitii. §. 60.

§. 7.

Nimirum etiamsi â nobis utrorumque dogmatum, & ad fidem & ad Philosophiam pertinentium consensio, per partes, plenâ enarratione commonstrari nequeat: tamen nec adversarii probare eorum pugnam possunt, longe subsistentibus rationis rectæ decretis, infra Religionis mysteriorum sublimitatem, haudquaquam vero iisdem repugnatibus. (*l*) Quæstione sic formatâ, non alienum erit indicare, quibus eam rationibus fulcire, qualibusque argumentis istam firmare liceat?

(*l*) Vid. Leibnit. Theod. §. 73. qui, quo magis, inquit, à perspicuitate dogma quodvis recedit, eo difficilius est pervestigare axiomata, ex quibus formari rationes in contrarium possent. Imo si vel maxime adversarius thesin ejusmodi invenerit à ratione profectam, tamen plurimum negotii facesset, ostendenda ejus theseos adversus mysteria revelationis pugna.

§. 8.

Quod si ratio fidei adversa foret, tum quædam philosophiæ theses invicta demonstratione

nixæ inimicis veluti cornibus confligerent cum Theologiæ capitibus, possent igitur duæ theses sibi mutuo contradicentes esse simul veræ, atqui hoc prima omnis humanæ divinæque cognitionis (*m*) fundamenta penitus everteret; fieri igitur non potest, ut veritas à ratione profecta, contraria sit ulli revelationis articulo.

(*m*) Vid. iterum Leibnit. Theod. §. 3. cujus mentem brevioribus heic verbis complectar. Aut ea, quæ à ratione possunt revelationis dogmatibus obverti invicta demonstratione nituntur, aut non. Si prius, veritas veritati erit contraria, nam quicquid demonstratione fundatur certa, veritas est æterna, nulli obnoxia dispensationi. Si posterius autem eveniat, probabilis tantum est rationis revelationi oppositæ objectio. Atqui ejus generis argumenta nihil adversus fidem proficiunt. Quis enim nescit, revelationem omni verosimilitudine superiorem esse?

§. 9.

Excipit hoc argumentum aliud quoddam non minoris, me arbitro, roboris. Quælibet veritas à DEO est. Intellectum enim DEI immensam veritatum cunctarum regionem veneramur. Nemo forsan de eo dubitat, liceat id tantisper nondum plene demonstratum præstruere. Est vero, quicquid à DEO proficiscitur, amicissima contemperatum harmonia, nullus heic hiatus, (*n*) nulla lacuna, nullus ergo relinquitur locus suspicandi, quod ulla in quocunque genere veritas alteri contradicat. Aquam aquæ (simili enim quo minus rem arduam illustremus, quid obstat?) non ut ignem repugnare, sed insinuari facillime, ipso condocemur usu; quamvis altera cœlo velut immediate depluat, altera autem ex fonte hauria-

hauriatur ſubterraneo. Surroga, ſi placet, in locum aquæ pluvialis Scripturæ placita divinitus inſpirata, in vices vero aquæ, ex ſcaturiginibus Telluris hauſtæ, veritates per naturam notas: non deerit ſimilitudinem adplicandi proclivitas.

(*n*) Vid. dedicatio Syrbii, quam inſtitutionibus Philoſophiæ primæ, novæ & eclecticæ præmiſit, ubi haud obſcure fatetur, quod ſumma religionis ſit & rationis conſenſio, ſalvo tamen utriusque diſcrimine, & alterutrius inſigni prærogativa. Plura lege in diſcurſu ejus Anonymi, qui in germ. linguam transtulit Theodicæam Leibnitii. §. 44. Operi huic ſubjuncto.

§. 10.

Addere licet rationem tertiam. Senſuum in religionis cauſa haud plane nullum ſubſidium eſt. Quicquid ſacræ circa Meſſiæ munia Tabulæ docent, id ſecundum ſui partem maximam ex eorundem teſtimonio pendet: (*o*) Quem autem fugit, rationem facultatem eſſe, à ſenſibus incoatam. Rerum enim ſingularium à ſenſibus repræſentatarum ſimilitudines obſervat ratio, detegit nexus, judicat, pronuntiat, exque iis novas elicit veritates. Quæ omnia ſi revelationi adverſari, vel ſaltim ex parte repugnare poſſunt, profecto nec fides tuta ſenſibus tribuitur, quorum occaſione ſe ratio exercere cœpit. Quam vero id periculoſum ſit dictu, nemo vel obiter ſacrarum literarum peritus ignorat. (*p*) Niſi forte fuerit, ut cum Dan. Huetio omnem ſenſibus fidem denegare, & ima credibilitatis, quæ in revelatione ineſt, fundamenta laxare in animum induxeris tuum. Certe ſi naturalis facultatis cogitatio te movet, ut fidem inter rationemque, comminiſcaris pugnam,

cur non eôdem argumentô ductus sensuum testimonia, pro religione facientia damnas? quin etenim facultates naturales sint, nemo mortalium negavit unquam. (q)

(o) Vid. 1. Joh. 1. v. 1. 2. Das da von Anfang war, das wir gehöret haben, das wir gesehen haben mit unsern Augen, das wir beschauet haben, und unsere Hände betastet haben vom Wort des Lebens &c. &c.

(p) Innuo Huetii opus posthumum, sub. Tit. Traité Philosophique de la foiblesse de l'esprit humain, quod & germanice versum à quodam Würtembergâ M. Grossio, quem & Strolle citat in supplement. ad Historiam litterariam, professus, se non in omnibus cum auctore Grossio facere.

(q) Loquor de sensibus à natura tributis, de quibus quæstio est, imo vero esse debet. Non de sensibus quos vocant spirituales, ingeneratis per spiritus divini efficaciam in animis piorum semet exserentem. Multa de sensuum distinctione internorum externorumque, rectene an secus? alii judicent, Poiretus tradidit, in libello, qui inscribitur: *Fides & ratio collatæ* pag. 41. seqq.

§. 11.

Quemadmodum ratio nostro sensu accepta, nunquam ei, quod divinitus revelatum est, adversatur, ita tamen non semper ejus sublimitatem æquat. Quamvis enim ratio sit perspicientia nexûs veritatum naturalis, nihilosecius tamen vel acutissima præditus ratione non animadvertet unquam, quo veritates naturales modo cum revelatis cohæreant? Id exploratum esse probavi, quod alteræ alteris non contradicant, quî autem utræque connectantur (r) à mortalium nemine, Theologo quantumvis consumma-

summatissimo, pervideri potest. Eò mens Theologorum spectat, inter *id*, *quod supra & contra rationem est*, communiter distinguentium. Quicquid connectitur cum veritatibus exploratissimis, quæ Philosophiam excolentibus, vel & naturali mentis capacitate utentibus patent, id *rationi Consentaneum* adpellatur; quotquot autem propositiones, veritati aliunde jam demonstratæ, non in speciem, sed revera contradicunt, isthæ *contra rationem* esse dicuntur. Sin autem nonnullæ propositiones, cum veritatibus naturâ cognitis non combinari videantur, (*s*) neque vero etiam iisdem repugnent, ex sublimiori nimirum origine pendentes, tum *rationem illæ superantes* ad altius forum referri debent.

(*r*) Vid discurs. supra citat. germanic. §. 47. distinctionem hanc omnis ferme Theologorum cohors adprobat, ut eorum testimonia allegare supervacuum foret.

(*s*) Dixi consultó (videantur) etiamsi enim nobis in hac mortali vita constitutis naturalium veritatum cum revelatis nexus haudquaquam sit perspicuus; comitante mortales vel pientissimos nunquam non intelligendi debilitatis umbra: nullum tamen dubium est, quin DEus nexum illum intelligat, imo spes affulget, teste Paulo, 1. Cor. 13. v. 9. 10. fore, ut, quæ hiatibus varie interstincta videntur, tandem aliquando ab intellectu cœlesti gloriâ vestiendo sint combinanda aptissime; ut de mysteriis plenissimam & cohærentem simus impetraturi notitiam, salvo tamen *Dei* & cœlitum discrimine, neque enim aut angeli, aut cœlestes animi, omnia intelligunt distinctissime vid. Leibnit. Theod. §. 23.

§. 12.

Sed nunc animum subit, quod contra doctrinam tanto firmatam præsidio vastæ magnitudinis

dinis eruditione conspicuus Goliath Bayle mo-litus est. Num revera ille rationis adversus fi-dem dubia tantopere extollendo revelationis ea omnia spernentis triumphum augere, illustrio-remque præstare, an vero simulata pietate aliud agere, fideique rationi obsistere imporis vanitatem vel nihil tale cogitantibus obtrudere voluerit? de-cidere heic nihil attinet; DEus est solus καρδιογνώστης. Audiamus argumenta ejus non omnia, sed ex gravissimis quædam. Displicet Baylio, quam inter id, *quod supra, & contra rationem est*, explicavimus, differentia, eamque oppugnat se-quenti discursu a me in compendium mittendo. *Distinctionem inter id, quod est contra* (*t*) *& supra rationem in ambiguitate vocis* (*ratio*) *positam; aut enim per eam denotari rationem generatim eandemque supremam, tum nec contra eam nec supra eam my-steria fidei esse posita: aut vero significari concretive rationem in hominibus spectatam, tum ne sic qui-dem illam consistere differentiam; neque enim ratio-nem suorum dogmatum cum fidei mysteriis conformi-tatem perspectam habere, eaque propter videri sacra illa rationi opposita.*

(*t*) Vid Leibnit. Theod. §. 63.

§. 13.

Argumenti autem consequentia hiatu labo-rat. Quod si enim vel maxime mortales solo rationis, imo vero & revelationis lumine adjuti nunquam philosophicarum sententiarum cum my-steriis harmoniam cognoscunt, haudquaquam ta-men documento id est, quod revelatio rationi, aut

aut viciſſim, adverſetur. Qui enim harmoniam utrorumque dogmatum non pernoſcunt, intelligunt tamen pugnam ab utrisque abeſſe. Id quod ad tuendam diſtinctionem omnino ſufficit. Placuit anonymi cujusdam pro illuſtranda reſponſione adcommodatum exemplum. *(u)* Fingamus amiſſos eſſe Euclidis elementorum geom. libros poſteriores, ſuperſtite duntaxat primô. Fac quæſo, præterea benev. lector! In manibus noſtris verſari quasdam Archimedis propoſitiones, ſed ſine demonſtratione; Nunquid re ſic nata, deficiente propoſitionum intermediarum, quæ intelligendis Archimedæis enuntiationibus inſerviunt, catenâ ſerieque, harum ideas animo formare, aut fundamenta concipere liceret? Minime vero! veruntamen ex adverſa parte nemo ſine temeritatis nota Archimedæas iſtas propoſitiones contradictionis argueret. De ſimilibus ſimile eſto judicium. Contende, ſi lubet, rationis placita cum Euclidis, articulos autem fidei ſublimiores cum Archimedis propoſitionibus. Si Euclideorum theorematum eo, quem finxi, cauſu, cum Archimedæis nexus non oſtendi, nec tamen etiam pugna doceri poteſt: profecto philoſophicarum doctrinarum cum Teologiæ capitibus deficiente nexu & conſenſu à mortalibus perveſtigabili, non continuo arguitur pugna, aut à contradictionibus exorta diſſenſio.

(*u*) Auctor diſcurſus ſæpe citati german. de luminis naturæ cum Scriptura convenientia. §. 44.

§. 14.

Dubium omne nihil aliud eſt (*x*) quam argumentum cujus concluſio noſtræ theſi adverſatur,

latur. Invictum autem argumentum illud adpellatur, quod in demonstratione certissima poni soleat. Nec suppetit alia explorandæ demonstrationis via, quam ut syllogismus demonstrandi vi pollens secundum omnes sui partes examinetur, excutiaturque & forma ejus & materia. Quodcunque igitur dogma invictis premitur dubiis, illud erroris loco jure habetur, aliter enim veritas veritati contradiceret, quod prorsus absurdum. Indicium namque veritatis est demonstratio, insuperabile vero dubium à demonstratione haud differt. Quodsi igitur veritati dubium tale obstiterit, demonstratio, id est veritas obstiterit: duæ igitur propositiones sibi contradicentes simul veræ esse possunt, quod, quam absurdum sit, dici vix potest.

(x) Vid. Theod. Leibnit. §. 25.

§. 15

Dulcius ex ipso fonte libuntur aquæ. Derivabimus Bælianos discursus non ex aliorum scriptis, sed ex ipsius Auctoris eruditissimo libro. *Mysteria, inquit (y) Evangelii sunt ordinis naturam supergredientis non subjicienda examini regularum rationis. Non sunt tradita eo consilio, ut in specimina disputationum philosophicarum transformarentur, id enim nec eorum præstantia permittit nec sublimitas. Sacrarum rerum hujus generis non fert natura, ut in conflictu disputandi victoriam reportent. Essentialis earum character est fide obsequiosa credi, nec exponi scientiæ. Desinerent esse mysteria, id quod sunt, si ratio difficultates eisdem obversas è medio tollere quiret. Tantum igitur abest,*

ut

ut reprehensionem mereatur, quisquis contendit, philosophicis oppugnationibus non posse obluctari fidem, ut potius is bene animatos offendat, quicunque id in dubium vocare, affirmato contrario, audeat.

(y) Damus hic verba Bælii ipsa ex Dictionaire editâ troisiem. p. 2991. in eclaircissement sur les Manicheens. Ce qui faut conclure de cela est, que les Mysteres de l'Evangile etant d'un ordre sur naturel ne peuvent point, & ne doivent point être assujetis aux regles de lumiere naturelle. Ils ne sont pas faits pour être à l'epreuve des disputes philosophiques: leur grandeur, leur sublimité ne leur permet pas de la subir. Il seroit contre la Nature des choses qu'ils sortissent victorieux d'un tel combat, leur caractere essentiel est être un objet de foi, & non pas un objet de science. Ils ne seroient plus des mysteres, si la raison en pouvoit resoudre toutes les difficultez, & ainsi au lieu de trouver etrango que quelcun avoue que la Philosophie peut les attaquer, mais non pas repousser attaque, on devroit se scandaliser si quelcun disoit le contraire.

§. 16.

Sunt bona mixta malis, convoluta erroribus veritas, non esse eo consilio mysteria nobis tradita, ut in philosophicarum dissertationum specimina transformarentur, unanimi profitemur omnes ore, at à vero alienum est, in disputandi conflictu non posse, qui mysteria defendit, respondentem reportare victoriam. Nunquam respondens obstringitur ad explicandam, quam tuetur, thesin. Satisfecit officio, si alterutram præmissarum negaverit, vel & liberalitate ductus, (z) limitaverit. Opponentis contra est negatas propositiones eo usque probare, donec

cum

cum evidentissimis veritatibus cohærere intelligantur. Atqui fieri nullo pacto potest, ut evidentissima rationis doctrina è diametro fidei mysteriis contradicat, quod supra probatum est. *Essentialis quidem sacrorum character est, fide credi? nec exponi scientiæ.* Sin hæc verba de specialis mysteriorum modi explicatione capias, non refragabor, at id non officit meæ causæ, sin id velis, non posse certissimâ scientia pervideri, an contradicat revelationi Philosophia, nec ne? nego te audiendum.

(z) Vid. Theod. §. 73.

§. 17.

Omisit hoc Bælii dubium Leibnitius, quod hic inserendum putavi, aliud continuo pariter à Viro illustri prætermissum subjuncturus. (*aa*) *Spiritus*, inquit, *disputandi minime adprobatus videtur in œconomia Evangelii. Christus doctrina, quam divinitus acceperat, prædicatâ fidei obsequium protinus commendat; Sequere me, & servaberis. Atqui ea, quam requirebat fides, non impetrabatur longo rationum examine, erat enim Dei donum à solo profectum divino Spiritu, nemini nisi ignorantibus largiendum. -- Quoties]Esus Christus & Apostoli ad disputandum semet accinxerunt, quærebant doctrinæ fundamenta in libris prophetarum, in perpetratis portentis, neutiquam sane in lumine naturali. Quodsi Paulus argumento contra Ethnicos ad hominem usus est, diu eidem non institit. Methodus apostolica, quanta, quanta fuit, à philosophorum ratione docendi discrepabat. Hi enim ostentabant dogmata evidentia, systema undiquaque connexum, &*

se

se obstrictos reddebant, de iis quæ inculcabant, satisfaciendi universo mundo. At id contra fiebat penes Apostolos. Haud obscure Paulus præ se fert, suam doctrinam obscuram, cui perfectius cognoscendæ vel ipsemet impar sit. 1. Cor. 13. ℣ 12. *Addit Vir divus nil sacrarum rerum intelligi posse, nisi DEUS ingeneret cœlestem discernendi facultatem.* 1. Cor. 2. ℣. 14.

(*aa*) Vid, *Dictionaire* in eclaircissement sur les Manicheens pag. 2991. edit. tert. verba hæc sunt: L' Esprit de Dispute est la chose, qui paroisse la moins aprouvée dans œconomie Evangelique. Jesus Christ ordonne d' abord la foi, & la suo mission, Sui moi, Croi & tu seras sauvé, Or cette foi qu' il exigeoit, ne s' aqueroit point par une suite des discussions philosophiques, & par de grans raisonnemens: cet étoit un don de *Dieu*, cet étoit une pure grace du Sainit Esprit, & qui ne tomboit pour l' odinaire que sur des personnes ignorantes - - si Jesus Christ & ses Apôtres sont descendus quelque fois au raisonnement, ils n' ont point cherché leur preuves dans la lumiere naturelle, mais dans les livres des Prophetes & dans les miracles, & si quelquefois saint Paul s' est prevalu de quelque argument *ad hominem* contre les gentils, il n' y a guere insisté. Sa methode étoit entierement differente de celle des Philosophes. Ceux - ci se vantent d' avoir des principes si evidens, & un Systeme si bien lié - - & ils exposent à rendre raison de leur Doctrine à tout le monde - saint Paul au contraire reconnoît, que sa doctrine est obscure, qu' il ne la sait qu' imparfaitement. &c.

§. 18.

Plura heic à quæstionis momento abludunt, pauca merentur responsionem. Sospitatorem proposita Evangelii doctrina fidei commendatione

nil prius habuisse, nil antiquius mirum non est. Docebat enim populum maxima ex parte rudem, qui studia haudquaquam professus, longum religionis examen suscipere non poterat. Verum enimvero, (*bb*) quin alii laboribus quotidianæ vitæ inservientibus vacui rationem pro veritate fidei facientium pondera examinare aut debuerint, aut potuerint, dubitandum non est. Hinc mandatum explorandi omnia 1. Thess. 5. hinc exempla eorum qui Apostolicos sermones ad amussim sacrarum litterarum exegerunt Actor. 16. pervulgatum est Lydiæ exemplum. Quid? quod ipsi Patres Ecclesiæ in acie contra Ethnicos stantes ad rationem naturalem provocaverint, superstitionum idololatricarum vanitatem ostensuri? Nonne id argumento est, vanam istam religionem esse, cui recta ratio repugnat? Quodsi est, fatearis oportet, ostendi debere & posse, non adversam rationi fidem esse, nec hanc quidquam absurdi, aut à ratione alieni continere; Concedas, oportet: Religionem posse & debere rigorosissimum examen subire eorum, queis à laboribus vacat, tum ut exploretur, an religio cum sacris tabulis conspiret, tum vero etiam, ut investigetur, doceatne absurdi quiddam, quod rationi dissentaneum sit, nec ne? Cæterum, quod examen accedere debeat divina vis Spiritûs, quâ mens ad assentiendum arcano dulcique instinctu inclinetur flectaturque, veritas est indubia, quam nobis inculcando à disceptationis momento Bælius discessit.

(*bb*) Celeberrimus Ecclesiæ Doctor Origines similia ferè docet in libr. adv. Celsum L. I. Cap. 2. Concedit viam examinis omnibus commendandam fore. & per nego-

negotiorum quidem, queis alimenta paranda sint, occupationes, á curis his omnibus liceret esse liberis. Nunc cum præsentis vitæ necessitas aliud postulet, quid quæso rudibus aliud commendari potest, quam simplex & obsequiosa fides? Non dissuaso tamen (ut Pontificii solent) quantum per labores fieri potest, examine rerum sacrarum tali, quod certa proportione negotiis respondeat.

§. 19.

Mittimus nunc præsentem adversarium reliquis quippe armis à Leibnitio spoliatum ita, ut actum ageret, qui litem satis peroratam suscipere renovandam. Oculis nunc obversatur alius quispiam ratiocinandi facultatis inimicus, qui eo consilio, si quisquam alius, dubitandi artem ad supremum evexit fastigium. Non dissimulo me innuere Huetium, cujus de infirmitate intellectus libellum posthumum paulo ante citavi. Omnem hic auctor movet lapidem, ut incerta omnia ostendat, lectoribusque persuadeat à sola fide firmati in scientiis animi præsidium petendum esse. Quô consilio id quidem fuerit factitatum? ignoro, quô eventu? conjicio, quô veritatis universæ periculo? prorsus pervideo. Dabimus quædam ejus argumenta (cc) Provocat primo eruditissimus Gallus ad complura sacrarum literarum testimonia Eccles. 8. ℣. 16. 17. Sap. 9. ℣. 15. seqq. Eccles. 3. ℣. 10. 22. 1. Cor. 1. ℣. 19. Cap. 3. ℣. 19, Coloss. 2. ℣. 8. ad Constantini Imperatoris Orat. ad coet. sanct. c. 8. &c. quibus documentis omnibus nihil aliud declaratur, quam homines imbecillitate intelligendi laborare, non præditos cuncta distinctissime cognoscendi facultate, pauca distincte,

multa clare, infinita obscure tantum sibi repræsentare; Paucis: oracula isthæc recte examinata significant, plurimum interesse inter nostram DEIque supremi rerum cognitionem, est enim hæc instar Oceani, ex quo mortalium hausta guttæ cujusdam perexigue similitudinem induit. Quid hisce sanius, quid verius dici posset? nunquid vero ex eo consequitur (dd) incerta omnia, lubrica, vana esse? Minime verò! *non (ee) enim esse debemus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius, non modo disputandi, sed vivendi ratione sublatâ. Nos igitur, ut cæteri omnia incerta esse dicunt, sic, ab his dissentientes, alia certa, alia incerta, alia probabilia esse contendimus.*

(cc) Vid. Traité Philosophique de la foiblesse de l'Esprit hum. chap. 2.

(dd) De divinæ humanæque cognitionis differentia si ex professo viri judicio pollentes scriberent, nullus dubito, fore ut Huetiana scepticismum promovendi cupiditas radicitus evelleretur.

(ee) Verba sunt Ciceronis de offic. L. II. c. 2. §. 13.

§. 20.

Sequitur nunc (ff) novum Huetii ratiocinium speciosissimo tinctum colore, quod me judice nemo solidius confutaverit, quam qui arduâ Idealistarum, quos vocant castra expugnandi facultate polluerit. (gg) Ita vero ille: *quis est, qui affirmare audeat, speciem illam, quæ ex corporibus in sensum incurrentibus, emanat, veram objecti similitudinem referre? Quâ arte, quâ industriâ intellectus meus, qui de imaginis oblatæ objectique similitudine judicare debet, ideam illam cum re externa compa-*

comparare & contendere poteſt? Siquidem amba extra intellectum collocatæ ſunt; neque enim imago iſthæc detineri, nec conſiderari diutius poteſt. Nos abutimur voce ſimilitudinis, quoties v. gr. ſtatuam quandam ſuo exemplari abſimilem eſſe dictitamus. Agitur enim de vera perfectaque ſimilitudine, quæ non repræſentare ſolum debet externam rerum figuram, magnitudinem, colorem, ſed & depingere omnes corporis conditiones partesque internas, ex quibus componitur. Cui repræſentandi modo, ſi vel tantillum defuerit, eo reſpectu diſſimilitudo orietur. Atque ſpecies v. g. arboris, quæ animum ſubit noſtrum, plurimum differt ab arbore, quæ extra nos ponitur, ipſa. Arbor enim eſt conſpicua, immobilis, ſolida, ſpecies vero & imago ejus in mente, mobilis, perexigua, fluxa &c. Si vel maxime veræ perfectaque ex rebus ad nosmet imagines tenderent, verendum tamen eſt, ne ſpatium intermedium, quod ipſis eſt emetiendum, imagines interpolet, mutet, adulteretque. Capiamus exemplum à calore, qui nunc veſperi inclinante ad crepuſculum die, nunc interdiu pleno ſolis lumine cernitur, comprobat experientia, veſperi ſpectatum aliter adparere, quam ſub meridiem. Cogitemus etiam colorem ſolis lumine colluſtratum, qui flammæ ardentis fulgore illuminatus alio tempore veluti diverſus nobis offertur. &c.

(ff) Lege hæc verba in libro Huetii citat. chap. 3. p. 34 ſeqq. qui eſt ce, qui oſera dire, que l'image, ou ombre, ou eſpece, qui s'ecoule de ce corps exterieur, qui ſe preſente à nous, eſt ſa veritable reſſemblance, ſans aucune difference &c. Verba non ſum κατὰ τὰ πόδα ſecutus, ſenſum potius expreſſi, ac ubi opus videbatur, additis vocabulis quibusdam declaravi

(gg) Facio igitur cum Bulffingero Wurtembergensi, antehac Prof. Tub. nunc Petrop. qui in diluc. de DEO anima mundo p. 239. §. §. 248. Difficilius, inquit, est refutare idealistas quam primo videre intuitu solet. Saltem ex sensatione ductum argumentum non probat immediate. Puto autem id probare si cum aliis hujus systematis sententiis combinetur. Id non exhibeo, ut & cæteris liberum sit, suas contra idealismum vires experiri.

§. 21.

Hi sunt fructus Philosophiæ Cartesianæ, quæ sensibus fidem (*hh*) denegans ad veracitatem DEI velut ad sacram ancoram confugere solet. (*ii*) Non improbo penitus isthanc philosophiam, quæ multa tradidit egregia, (*kk*) minus tamen sufficientem esse eam, existimo cum Viris doctis. Dubia enim gravissima opponendo sibi ipsi, cum rectam solvendi viam non inveniret, optatam scepticis occasionem præbuit, quadrata miscendi rotundis, omnemque labefactandi veritatem. Neque tamen admiratione indignum est, quod Huetius ex Cartesii pharetra sagittas depromat, quem Episcopum fuisse eruditionis & pietatis laude florentem toto litteratorum orbe pervulgatum est. (*ll*) Sed his ratiociniis occurrendum erit. Ac primo quidem, quod res inter, nobis obversantes, imaginemque earum, quâ mens nostra afficitur, non possit plane nulla esse similitudo ex principio sufficientis rationis, non quod fatemur ultro, ex sensuum actione, qui circa rerum phænomena occupati sunt, (*mm*) intelligitur. DEUS enim, qui voluit, ut certos in corpore nostro â sensuum objectis excitatos motus idea mentis hæc aut alia sequatur,

(*nn*)

(*nn*) decrevit id fieri non sine ratione, *aliter enim quiddam exsisteret absque ratione*, quod contra Axioma pugnat. Quodsi igitur ratio DEUM moverit, quare hunc præcise corporis motum comitem esse voluerit hujus nec alterius ideæ: Profecto non plane nulla similitudo inter imaginem rei, remque ipsam in mente depictam intercedit. Ratio enim illa DEI ex objecto petita, qualemcunque imaginis & rei repræsentatæ convenientiam indicat. Nec sufficit æquipollentem DEI voluntatem nulla ratione motam cum Cartesianis, qui arbitrarias essentias fingunt, allegare. Quæritur enim subinde, cur DEUS hunc *determinate* motum cum hac mentis idea constanti decreto sociatum voluerit? ipsam voluntatem DEI pro ratione citare, est idem per idem probare, & fundamenta erroneæ de abitrariis essentiis sententiæ jacere. (*oo*)

(*bb*) Vid. Cartesii princip. & quidem meditat. prim. p. 5 nempe quicquid hactenus ut maxime verum admisi, à sensibus accepi. Hos autem interdum fallere deprehendi. At prudentiæ est, nunquam illis confidere, qui nos vel semel deceperunt &c. Sed forsan quamvis sensus circa minuta quædam & remotiora fallant, pleraque tamen alia sunt, de quibus dubitari plane non potest, ut me jam hîc esse, foco assidere &c. Manus enim has totumque corpus meum esse quâ ratione possit negari? nisi me insanis comparem, qui aliquando constanter asseverant se esse reges cum sint paupertrimi, purpura induti, cum sint nudi; Præclarè sane, tanquam non sim homo, qui soleam noctu dormire, & ea omnia in somnis pati, vel interdum etiam minus verisimilia, quam isti vigilantes &c. Arqui nunc certe vigilantibus oculis intueor hanc chartam: quasi scil. non recorder a similibus etiam cogitationibus me aliàs in somnis fuisse delusum &c.

(*ii*) Vid. Annotationes Wolffii in suam Methaph. §. 22. p. 36. ubi propter hanc causam Cartesium notat. Adde quod Malebranche in Entretiens sur la Metaphysique Cartesii sententiam illustraturus revelationis cujusdam genus effinxit, quô sensus adeó fallaces, audiendos tamen esse erudiamur.

(*kk*) Consentit Leibnitii judicium. Vid. Recueil des diverses piécées sur la Philosoph. Math. par MS. Leibniz, Clarcke &c. Tom. II. p. 135 M. Des Cartes l'avoit fait, mais non pas assez. Il étoit allé trop vite dans la plû part de ses dogmes. Et l'on peut dire, que sa Philosophie est àl' Antichambre de la verité. Et ce qui l' a arrêté le plus, c'est qu' il a ignoré les veritables loix de la mecanique ou du mouvement, qui auroient pû le ramener.

(*ll*) Accedit quod inter Cartesii adversarios maxime eminuerit Huetius, strinxeritque contra eum *Censuram Philosoph. Cartesianæ*.

(*mm*) Recentioris Physicæ, Cartesianæ, & Gassendianæ &c. prorsus expers est, quisquis negat, ea omnia, quæ sensibus nostris objiciuntur, nonnisi phœnomena esse, sed bene fundata vid. Recueil supra cit. T. II. p. 139. les choses materielles en elles mémes ne sont que des phœnomenes bien reglez; lege, si lubet, totum *M*alebranchii de inquirenda *V*eritate librum I. de erroribus sensuum, vix poteris ab hac veritate cohibere assensum.

(*nn*) Vid. Sturmii Physic. conciliatrix. cap. 9. p. 91.

(*oo*) Sententiam de essentiis arbitrariis Cartesius stabilivit, quem pone secutus est in cogitationibus rationalibus Poiret.

§. 22.

Sed plura in illo Huetii ratiocinio sunt, quæ reprehendi debent. Etiamsi enim idea corporum, quam animo fovemus, rebus ex asse non respondeat, nec per suam naturam possit (*pp*) deficiente semper perfectâ inter mentis imaginem reique

obver-

obversantis indolem, similitudine: id tamen non obstat, quò minus ordinem phœnomenorum illorum observare, successionum leges eruere, unumque ex altero elicere queamus. (*qq*) Sufficit id ad scopum physicum, qui rationes phœnomenorum inquirit. At quomodo *metaphysice* (Error enim Idealistæ metaphysicus est) rerum, si quæ extra nos sunt, vera possit præsentia demonstrari? hoc opus hic labor est. Existimo primum contra Idealistas ostendi posse, continui compositionem non esse impossibilem, præsto quippe est filum ariadnæum, quod secutis, ex famoso illo philosophorum labyrintho emergere licet, in quo suæ causæ potissimum (*rr*) præsidium Idealistæ quærunt. Partes enim materiæ in infinitum, ut ajunt, divisibiles, revera non existunt, sed ut possibiles tantum concipiuntur. (*ss*) (brevitati heic studeo, qui hæc non assequitur, alios adeat) Præterea concedit Idealista creatum à DEO mundum, atqui DEUS id, quod præstantius est, nunquam non eligit. Quis autem non videt majorem harmoniam (perfectionem) impetrari, ubi mentium actionibus res corporeæ motibus suis respondent, quam ubi solæ mentes in mundo existere finguntur? Sic eminus tantum ostendo, quibus armis Idealistas non sine fructu adgredi liceat. Transeant hæc. Ex iis quæ præstruxi, patet, non vacillare veritatem quantumvis sensuum imagines rebus ipsis exacte non respondeant, sua igitur sponte ruit quicquid Huetius huic opinioni inædificavit.

(*pp*) Sensus enim sunt facultates res confuse repræsentandi, atque quà tales hominis finitam indicant natu-

ram, ex quo conflatur & efficitur, ut nunquam homo more DEI, cuncta distinctissime suo sistete animo possit. Vid. Wolfi. Metaph. §. 746.

(qq) Bulfinger. in Dilucid. p. 114. §. 118. ita differit: Idealista ex phœnomeno Solis obliqui deducit phœnomenon frigoris hyberni. Negat existere res his phœnomenis respondentes, ordinem vero successionis eundem servare debet. Substitue in locum Idealistarum Huetium, idem de ejus opinione judicium erit.

(rr) Legat, cui volupe est, Veterum argumenta contra extensionem, quibus Idealistarum opinioni præludi cœptum est, non diffitebitur certe, difficultates circa continui compositionem, in vulgari sententia scaturientes, inauditas prorsus & irrefragabiles esse. Inveniuntur pleraque apud Bælium in Dictionaire sub artic. *Zenon*. Citavimus difficultates nonnullas: p. 290. ait. Il n' y a point d' étendue, donc il n' y a point de mouvement. La consequence est bonne. Car ce qui n' occupe aucun lieu, comme l' étendue, ne peut point passer d' un lieu à un autre ni par consequent se mouvoir. Cela n' est pas contestable. La difficulte n' est donc qu' à prouver qu' il d' y a point d' étendue. Voici ce qu' auroit dire Zenon. L' etendue ne peut etre composée, ni de points mathematiques, ni d' atomes, ni de parties divisibles à l' infini donc son existence est impossible. La consequence paroit certaine, puis qu' on ne scauroit concevoir que trois manieres de composition dans l' étendue, Il ne s' agit donc, que de prouver l' antecedent. Peu de paroles me suffiront à l' égard des points mathematiques, car les esprits les moins penetrans peuvent connoitre avec la dernier evidence, que plusieurs neants d' étendue joints ensemble ne feront jamais une étendue - - Il n' est pas moins impossible ou inconcevable qu' il soit composé des atomes d' Epicure, c' est à dire de corpuscules étendus & indivisibles. Car toute étendue quelque petite qu' elle puisse etre, a un cote droit & un cote gauche, un dessus, & un dessous, elle est donc un assemblage de corps distincts - - la divi-

divisiblité á l' infini est l' hypothese qu' Aristote embrassé ; & c' est celle de presque tous les Professeurs en Philosophie, dans toutes les Universitez depuis plusieurs siecles - - mittam cætera in compendium. Si extensio datur, datur extensorum contactus, atque extensa in infinitum divisibilia, ergo cum se mutuo contigerunt, suas invicem dimensiones penetrant quod est absurdum. Superficiem non statues, est enim extensionis terminus, qui á re divisibili in infinitum exulat. *Vid.* præter Bælium Artem Cog. P. IV. C. I. Liberum Fromondum in libro, quem Labyrinthum de compositione continui inscripsit.

(ss) *Vid.* de materia difficili, quæ solide pro ea explicanda tradit Wolff, in Phys. P. I. §. 4.

§. 23.

Persequi omnia ob instituti temporisque rationem non possumus, unicum ergo, quod speciosissimis adscribo, Huetii dubium confutare, erit consultum. Ita vero scriptor famigeratissimus argutatur: *Quodcunque ratiocinium proponatur pro tuenda ratione id subinde ex ipsa ratione orietur: atqui hæc principii petitio est defendere (tt) rationem per rationem, Ergo vana omnis est pro tuenda ratione contentio.* Bona verba quæso. Qui ex ratione pro ratione pugnat, is haudquaquam incertum probat per æque incertum, sed ex doctrina notiori, quæ & ipsa rationis nomine venit, ignotiorem stabilire connititur. Ratio enim est, ut sub initium dixi, *perspicientia nexus veritatum*, qui rationem igitur defendit, is dari cum primis veritatibus aliarum sententiarum connexionem affirmat, non petit ergo principium. Nisi ipsum veritatis summum axioma in dubium vocare velis, quod hoc est: *Non potest idem simul esse & non esse (uu)*

quod

quod & factitare Huetius videtur, qui hoc ipsum nondum esse concedit exploratum, *utrum propositio quælibet vera sit an falsa*? Verum enim vero, aut, *id incertum esse*, innuit absentiam divinæ cognitionis infinitæ, quæ nunquam rebus creatis conceditur, aut rigoroso sensu intellectum labefactare conatur propositionem primam: *idem non potest simul esse & non esse*: tum contra negantem principia non est disputandum. At enim dicis cum Huetio. (*xx*) Fides rationis defectus compensat, & certas veritates præstat, quas ratio non nisi inexploratas exhibet: Recte tu quidem, sed doctrinæ tuæ minus consentanea loqueris. Annon enim religionis fundamenta sensuum innituntur testimonio? 1. Joh. I. v. 1. 2. Si verum est, quod tanto ardore contra sensus causſaris, *fallere eos semper*, unde nosti, non deceptos Apostolos fuisse, portenta Christi illis suis oculis cernentes, vulnera in crucem acti contrectantes, vocem Cœlo demissam: *Hicce mihi probatur Filius* audientes? &c. Nunquid & istis sensuum operationibus fidem denegare oportet? Haudquaquem sane! Fatendum igitur est, aut suam ipsam fidem instabilem fluxamque esse, aut suam rationi restituendam existimationem, jure velut postliminii.

(*tt*) Vid. sæpe cit. Traité Philos. de la foiblesse &c. L. I. C. II. p. 89. quelque preuve je que puisse inventer pour defendre la certitude de la raison, elle sera incertaine. C' est done une petition de principe, que defendre la raison par raison. Car les argumens que l'on propose pour cela, comme certains, sont produits par la raison &c.

(*uu*) Vid.

(*uu*) Vid. libr. modo citat. p. 267. Pour réponſe à ce raiſonnement, je vous dis que vous ſupoſez encor comme veritable, & comme une choſe accordée, ce qui eſt conteſtation; ſavoir, que toute argumentation, c' eſt à dire, toute preuve, qui ſe fait par raiſon, preuve, ou ne preuve pas donc, direz vous, ſi cette preuve eſt vaine & ſans effet, il s' enſuit qu' il y a des demonſtrations, puiſque la preuve que j' ai apportée, pour montrer qu' il n' y a point demonſtration eſt ſans effet. *L'* avoue que cette preuve n' eſt pas veritable, je dis qu' elle eſt ſeulement vraiſemblable, & ce qui n'eſt que vraiſemblable, ne conclut rien de certain, ce qui eſt pourtant neceſſaire pour une demonſtration.

(*xx*) *L*ibro II. cap. 2. p. 182.

§. 24.

Amplus dicendi campus ſupereſſet, ſi longius excurrendo cuncta vel curatius intueri, vel aliorum veſtigia premendo ab aliis dicta repetere inſtituiſſemus. *S*ed id jam non agimus. Quemadmodum hucusque noſtra omnis ratio eo ſpectabat, ut inter fidem rationemque, vel ſuavem concentum percipi, vel nullam certe pugnam committi, demonſtraremus: ita nunc ad alterum caput, cito pede, progrediendum eſt, quo *de uſu rationis in Theologia* paucis ſtatuetur.

CAP. II.

DISCURSUS PRÆLIMINARIS.

§. 1.

RAtionem duplici veſtimento quaſi ſeu circumſtantia conſpicuam varie intueri licet. Aut enim conſideratur in homine (ſubjective) tum

tum est nexûs veritatum perspicientia, aut in disciplinis præceptorum extra hominem (objective) tum, ut jam antecedenti capite monui, merus veritatum nexus est. Utroque modo suam in Theologia navat operam. Priori significatu amplificato sensus hac vice complectemur. Eorum est portenta DEI pro conservandâ seu firmandâ religione observare, (a) ex conspicuo gratiæ divinæ signo vehiculoque fidei fomenta suggerere ne extinguatur, (b) ex stupenda mundi machina Conditorem agnoscere, (c) ex pœnarum DEI vestigiis justitiam metiri, judicare, judicatamque toto venerari pectore (d) verbo: sensuum est ea objecta omnia non per transennam adspicere, quotquot scalarum vices obire possunt, quibus ad cognitionem reverentiamque DEI aditus præbetur, atque adscensus. Facilia hæc sunt, & à nemine, quod sciam in dubium vocantur, si à solo discesseris Huetio.

(a) Vid. Ep. Ebr. Cap. 2. v. 4.
(b) Vid. Matth. 26. v. 26. 27. 28. 1. Cor. 10. v. 16. c. 11. v. 24. 25. 26.
(c) Vid. Rom. 1. v. 20. Jesaj. 40. per tot.
(d) Vid. 1. Cor. 10. v. 6. - 11. &c.

§. 2.

Rigorose loquendo à sensibus ratio quam plurimum differt (e) coarctato igitur rursus vocabuli significatu, quod par est, dicendum, quodnam ejus, hoc intuitu in rebus sacris officium sit, quisve usus? loquimur autem etiamnum de ratione, quæ facultas est, veritatum nexus perspiciendi. Rationem in amplectenda fide

fide generatim necessariam esse, haud opinor, quisquam negaverit, nisi & bovem cognitionis sacrorum pietatisque capacem dixerit. Sed quousque ejus limites extendantur? definitu arduum est. Dixi, ad nauseam forsan usque, naturalem illam hominis vim in perspiciendo veritatum nexu, rationem adpellari, sed num ea facultas veritatum etiam revelatarum combinationes seriesque pervidet? num suis ea viribus isthas connexiones pernoscere, cognitisque assentiri, exque honoratis iisdem suo assensû, novas elicere hactenus ignotas potest? Responsio est perdifficilis facta non veritatis ipsius, sed hominum, problema tam facile mirifice intorquentium, culpâ & errore. (*f*) Hæc enim est famosa illa quæstio de Theologia irregeniti, quem vocant, seu impii, num divina àque spiritu profecta dici mereatur, nec ne? Maximo agitata inter ipsos Augustanæ confessionis minus variatæ Promachos, animorum motu.

(*e*) Vid. Ciceron. offic. L. 1, c. 1. §. 3. inter hominem & belluam (sensibus præditam) hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, se accomodat, paullulum admodum sentiens præteritum atque futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earundemque progressus & quasi antecessiones non ignorat &c. Relinquo lectori judicium, annon hæc rationis descriptio cum nostra penitus consentiat. Quid enim quæso est rerum antecessiones & consequentia cernere quam nexus veritatum mentis oculo intueri?

(*f*) Scripta, quibus disceptatum fuit, magno numero laudat Pfaffius in introduct. in Histor. litterariam notis amplis illustrat. P. I. L. II. ad. §. X. p. 281. seqq. reliqua

qua huc spectantia tradit P. II. L. III. ad epilog. p. 444. seqq. Prodiit olim Tubingæ Dissertat. Præsid. J. W. Jægero, quæ inscribebatur: *Specimen moderat. Theolog. laudabilis potius quam vituperabilis in controversiis modernis* &c. quâ partes litigantes logomachiarum arguuntur. Nuper autem emissum fuit aliud scriptum sub tit. *Salome Christo affinis, hoc est, Synopsis logomachiarum, ut vulgo vocant, pietisticarum, breviter recognit. reconciliandis fratrum animis* &c. *destinata à Georgio Augusto Pachomio*, sub quo Zeltnerum latere docti autumant.

§. 3.

Nunquam naturæ vires gratiæ operatio tollit, emendat potius. In ratione autem quæ veri est perspicientia, duo observari possunt; ipsa primo cognoscendi vis, quæ non est rei defectus, sed res omnino vera. Secundo, cum hac conjungitur virium cognoscendi constans limitatio, certaque ad objecta determinatio, quorum alia post alia procendente tempore menti semet sistunt; neque enim noster animus divina præditus vi, omnia cognoscit uno obtutu, nec etiam distinctissimè, quæ solius DEI prærogativa est. Hanc limitationem cogoscendi virium, qua fit, ut huc nec ultra extendatur ratiocinandi facultas, defectum, seu cum Scholasticis rei privationem non male adpellaveris. Emendatio omnis versatur circa supplendos defectus, res quâ talis bona est semper, defectus vero ejus supplemento indiget, solummodo quippe malus. (g) Quæ cum ita habeant, luce meridiana clatius est, rationem ipsam quæ vis est perspiciendi rerum nexus, ex Pio per fidem non tolli, sed jam multo ante à natura præstructam, per gratiam confirmari. *Est enim res, non rei defectus.*

Non

non generatur ergo nova ratiocinandi vis, naturalis illa veri perspicientia extollitur ad sublimiorem in fidei articulis dignoscendis usum. Hoc sensu vel impius res sacras cognoscere, cognitasque dijudicare potest. Si non posset, nova ei vis ingeneranda, facultasque naturalis prorsus extinguenda foret, quod absurdum. Quid plura? vis agendi generatim eoque & ratiocinandi, media est inter nudam agendi (ratiocinandi) facultatem seu possibilitatem, atque inter facultatis exercitium. (*b*) Parit enim nisum conatumque tendendi à facultate ad exercitium. Exemplo rerum gravium manu suspensarum, quæ deorsum tendunt, seu arcus tensi vim elasticam exercentis. Atqui dudum ostenderunt Viri celebres, *characterem substantiarum omnium in quadam agendi patiendique vi positam esse.* (*i*) Quod si igitur naturalis ratiocinandi vis per fidem tollitur, ipsa hominis, seu animæ potius substantia aufertur, novâ à spiritu substitutâ, quod à Flacii Illyrici errore proxime abest.

(*g*) In quo mali natura posita sit, solidissimé nisi me omnia fallunt, Bulffingerus demonstravit in Tractatu de origine mali Sect. II. p. 186. seqq. § 242. seqq. *Nunquam positivi*, ut cum Scholasticis loquar, quiddam malum esse potest. Semper collocatur in defectu.

(*b*) Vid. Acta eruditorum ad annum 1694. p. 112. ubi ita Leibnitius. Vis activa actum quendam sive ἐντελέχειαν continet, atque inter facultatem agendi, actionemque ipsam media est, conatumque involvit, atque per se ipsam in operationem fertur.

(*i*) Vid. Acta erudit. ad annum 1695. p. 145. ubi agere, Leibnitius inquit, est character substantiarum. De rebus cunctis cogitari nihil potest præter extensionem,

& agendi patiendique vim. Jam vero quod extensio substantiarum character esse non possit, probat Leibnitius Recueil supra cit. p. 228. in examine principiorum *M*elebranchii, nil igitur supererit quam vis agendi patiendive. Accidentia vero in hujus variae limitatione collocata sunt.

§. 4.

Quid igitur gratia homini emendando confert? inquis; Dicam id nunc continuo. Occupata est in supplendo rationis naturalis defectu. Quisnam aut qualis iste? audi si placet. Defectus est absentia ejus, quod praesto esse deberet. Deficit igitur ratio, non in eo, quod veritatis naturalis nexum perspicit, sed quod sibi relicta veritatum revelatarum nexus, imo vero existentiam (sit venia minus latinae voci) ignorat. Accedit propterea Dei favor novas isthas veritates hominibus, nil tale merentibus, per sacras tabulas declarantis. Quarum si nonnullos nexus, ratio ex se, adminiculis praesidiisque Hermenevticis instructa, perspicere incipit, initium divina ejus collustratio capere dicitur. *Haec est gratia praeveniens. Est enim ratio collustrata nil aliud quam perspicientia nexûs inter veritates revelatas* (*k*) illuminatio haec posset vocari objectiva. Attingit enim non ipsam rationem, quae quippe suis hucusque viribus novarum veritatum nexus intelligit, sed posita est in novi luminis ortu; Ne dicas quaeso, hominem ratione sua recte utentem, ex se, plane rerum sacrarum, si proponantur, nihil intelligere; experientia enim tibi reclamat, eorum hominum, qui v. g. satis sentiunt quantumvis impii, quid sibi velit propositio, quod *Sospitator sit Deus.*

Deus. Qui plane cognoscunt nexum hujus cum altera. *Si Deus, ergo adorandus &c.* Accedit quod aut gratia præveniens ante meditationem verbi vim suam exserere debeat, aut post. Sin illud statuas, sejungis more Fanaticorum â verbo gratiam spiritus. Verbum enim hactenus non intellectum, non meditatum, perinde est, ac si prorsus penes impium non esset, separatâ operante gratiâ. Sin hoc affirmaveris, profecto suis viribus homo recta utens ratione, verbi decreta intelliget, propositionum revelatarum nexus perspiciendo, aliter progressus oriretur in infinitum.

(k) Vid Bulfingeri Dilucidat. de DEO, anima &c. §. 278. p. 263. *Si quis ex verbo* DEI *nôrit mysteria salutis quam apte & sapienter omnia sibi respondeant, ad glorificandas* DEi *perfectiones ordinata: Facultatem illam cognoscendi diversarum in œconomia gratiæ partium, rationem dicere licebit, eandemque revelatione illuminatam.*

§. 5.

Ita corrigitur per Θεοπνευστιαν primus rationis defectus, ut quæ hucusque ad solas naturales composita erat veritates intelligendas, jam ad sublimiores meditandas revocetur. Favoris id divini ejusdemque immeriti documentum esse nemo dubitat. At nunc alius gravior hiatus, amplior rationis, ut ita dicam, lacuna occurrit per gratiam explenda superiorem. Non deficit in eo ratio nostra, quod veritatibus naturâ notis assentiatur, peccat in eo quod propositis revelatis ægerrime præbeat assensum. Duplex hic defectus est. Primo sibi relicta non assentitur cœlesti doctrinæ, per se quippe ejus ignara, post, eâ satis ex verbo

Dei expositâ, ægre aut plane non à se impetrat, ut ei fidem tribuat. Intelligit quidem Præconis orationem, sed eam judicat stolidam. Huc pertinet oraculum 1. Cor. 2. v. 14. τὸ δέχεσθαι enim assensum indicat. (*l*) Mundi totius Servatorem profiteri in crucem solenni integræ nationis sententiâ actum, stultissimum arbitratur. 1. Cor. 1. v. 20. Sed id non fit, nisi ab hominibus barbaris sensuum servitute ductis, vel ab iis qui extra Ecclesiam constituti variis contra religionem nostram præjudiciis occupantur. Qui in Ecclesia vero educantur homines dociles, illi, licet sint expertes divini spiritûs, instituto graviſſimarum pro veritate Christianæ religionis facientium rationum examine, ultra provehuntur, possuntque ad assensum qualemcunque doctrinæ sacræ tribuendum moveri. Bonus ille per se est, sed non sufficiens. Laudatur assensus, culpatur debilitas, Est ergo heic res, est rei defectus. Adprobatur altera, compensatur alter. Supervenit spiritus nimirum sancti gratia per verbum semet exserens, quæ animum divino instinctu dulcique afflatu percellit, prensat, urget, ut firmissimum veritati assensum præbeat. *Hoc est spiritus S. testimonium* Rom. 8, v. 16. *Hæc gratia nunc in animo operans.* (*m*)

(*l*) Vid, Cleric, Comment, in Nov. Test, in h. l.

(*m*) Historiam gratiæ & prædestinationis prolixe nuperrime exhibuit, Doctissimus Hottinger, in volumine quod inscribitur *Fata doctrinæ de gratia & prædestinatione.* Tiguri Anno 1727.

§. 6.

Tristis est defectuum rationis copia. Plurima complectitur ratio, quæ ad Philosophiam perti-

pertinent, & ad iis assentiendum invictis ducitur argumentis. Testes sunt qui Matheſi operam navant, qui disciplinam moralem certissima methodo tradere in animum inducunt. At scientia isthæc sterilis manet destituta virtutis, quæ illinc nasci deberet, fructu. En defectum novum! placet scientia, (*n*) displicet sterilitas. Explet ergo igitur, quod deest, exoptatissima supremi Numinis per Servatorem oblata gratia. Vivam ea præstat cognitionem, quæ ignava, minus efficax, imo, phrasi scripturæ - mortua erat. *Vivam dico cognitionem, eam quæ motivum seu incitamentum obtemperandi moresque & mentem emendandi præbet.* (*o*) *Hæc est gratia inhabitans operantem secuta*, nec ab eadem nisi in eo distincta, quod majores jam in animo radices egerit, quam illa. Major enim vis est, quæ in formanda ad pietatem tota mente versatur, quam quæ in eliciendo ab intellectu doctrinæ cælestis assensu ponitur. *Quo diutius animum* occupat, eo evadit, more plantarum, robustior. Multa tum sentit pius, multa ipso rerum sacrarum usu & in animo & extra eum experitur, quæ solo rationis licet perspicacissimæ auxilio utenti pervia nunquam fuerunt. Huc pertinent 1. Cor. 2, v. 9. Non potest id non contingere. Attentionem enim rationis, quæ hucusque non nisi naturales animadvertit veritates, gratia Dei aliorsum, ad sacra animirum, ad arcanas Dei vias convertit. Quemadmodum igitur attentio (*p*) nil aliud est quam rerum hactenus â mente non observatarum distinctio; ita tali vitæ instituto plura, imo innumera discerni posse, quæ antehac neglecta erant, ul-

tro cognoscitur. Ecce novi defectus, quo ratio laborat, novum supplementum. Qui S. Scripturam penitus callent, improbi Theologi, norunt in sacris *plura generalia*, norunt articulorum nexus, oraculorum expositiones, dubia adversariorum, lites, fata Ecclesiæ &c. at *specialiores in singulorum piorum animis vicissitudines*, gratiæ intervalla, arcanos Dei recessus, ignorant, nec scire ob infinitam varietatem possunt. Superat igitur vel vilissimus homo probus impium Theologum doctissimum, & ab eo etiam superatur, in suo quisque genere. *Hanc vero experientiam spiritualem* hanc forsan quoque illuminationem internam adpellarunt Speneriani, quam recte vel eruditissimis Theologis nondum emendatis hoc sensu denegarunt. Non iniqua igitur forsan est eorum suspicio, qui plurimum heic logomachiæ intercessisse autumarunt? namque eorum adversarii de ea locuti sunt collustratione mentis quam §. 4. exposui, quam vere spiritualem sensu indicato vocare, haud quidquam obstat.

(*n*) Inepti sunt qui scientiam pietate cassam, quanta quanta est, carpunt. Non cognitio damnanda, sed sterilitas. Ea est donum Dei per se præstans, hæc autem est vituperandus defectus. Abusus Theologiæ mysticæ h. l. notandus venit. Amorem illi commendant, damnant cognitionem, vid. Rom. 10. v. 2.

(*o*) Definitio hæc est Wolffi, me judice, genuina & fœcunda. vid. Metaph. p. 133. Moral. pag. 100. 101. §. 169. Diejenige Erkanntnuß wird lebendig genennet, welche einen Beweg-Grund des Wollens abgibet, das Gute zu thun, das Böse zu lassen. Hingegen die ist todt, welche keinen solchen abgibet.

(*p*) Vid. Metaph. Wolffi §. 268. Wir finden bey der Seele ein Vermögen, so wohl bey ihren Empfindungen

dungen als Einbildungen, sich auf eines unter ihnen dergestalt zu richten / daß wir uns dessen mehr als des übrigen bewußt seynd, welches wir Aufmerckſamkeit nennen. Collat. cum §. 729. Metaph. ejusdem.

§. 7.

Ita quatuor eosdemque præcipuos rationis defectus indicavimus subjunctis totidem gratiæ eos supplentis gradibus. Prima lacuna est, quod ratio veritates solum naturales perspiciat, revelatarum contra ignarissima sit. Coit hæc fissura per verbi præconium. Secundus hiatus est, quod iis expositis, ægre assentiatur, aut saltem non firmo animi motu. Compensatur iste, per Spiritus S. Testimonium, has veritates obsignantis. Tertius defectus est, quod pauciſſimæ veritatis, quas vero perspectas habet, efficaces sint. supplebetur vero per gratiam excitantem. Quartum quod rationi sibi relictæ deest, in eo ponitur, quod non solum haud se extendat ad veritates revelatas generatim cognoscendas, sed quod gravius est, multo minus specialiores Dei operationes in animo singulorum nôrit. Occurritur huic nævo per experientiam, quam spiritualem vocant. (q) *Nunquid hæc ad gratiæ laudes efferendas non sufficiunt?* Ratio igitur, quod his ita disputatis patet, quatenus aliquod Dei donum est, usum in Theologia omnino præstat, nexum veritatum (omnis generis) detegendo, ratiocinando, confutando errores, applicando doctrinas ad singulares casus &c. Quatenus autem hominum culpâ imminutum Dei donum est, gratiæ eget medicinâ. Parum cauti propterea sunt, quotquot vocibus

vagis nil determinati sonantibus, prolixo affectu, zelo inconsulto, magna orationis facundia, verborumque flumine contra rationem declamant; aut enim revera cum his nostris meditaris facerent, si distinctius animi sensa exponere quirent; aut in Fanaticorum castra palam transierunt.

(q) De qua legesis Pfaffii dissertationem eruditam de gusto spirituali. Adde Philipp. I, v. 9.

§. 8.

Possunt hæc pro instituto sufficere. Dabo tamen, illustrandæ sententiæ causâ, & in Tyronum gratiam simile, quod sequitur. Stephani lapidibus obruti oculos quis facultatum naturalium titulo vocandos neget? legimus vero eum in extremo mortis (r) periculo constitutum vidisse stantem in Cœlo, claudentem Patris dextram Christum. An quæso, ut naturales oculi Christum cernerent cœlesti gloriâ vestitum aliud quiddam præter singularem Dei operationem, novique objecti præsentiam necessariam fuit? num oculi naturales eruti? minime vero, elevati ab sublimem illum usum. Atqui par est rationis in rebus fidei conditio. Nil amplius requiritur quam novarum veritatum doctrina, quam facultatis justo per se debilioris emendatio, quam denique perpetua ad augendam scientiam faciens exercitatio. Existimo, quæ hactenus disputata sunt lucem, præfiscini! intricatissimis de gratia litibus nullo non tempore omnium seculorum Doctores exercitantibus affundere posse. Arbitror latere in his paginis filum quoddam Ariadnæum, cujus ductu ex conturbante perplexarum

inter

inter Speneri asseclas aliosque ortarum contentionum labyrintho exire liceat. Fœcunditatem ostenderem, adque multas generatim hæc dicta lites adplicarem, nisi aliorum spectaret disputationis consilium.

(r) Actor 7, versibus ultimis. Singularem de dextra Dei opinionem Clericus, non explorate quidem, tradit in Notis ad N. T. Hammond. P. I. p. 271. ad Marc. 16. v. 19. Itaque forte, inquit, (nihil enim adfirmo voce *Deus* intelligere possemus lucem inaccessam omnibus, præterquam Christo, quæ Symbolum est divinæ præsentiæ, & ad cujus dextram partem sedet is, quem regem Cœli & terræ constituit Pater. Aliud nihil videre potuisse videtur Stephanus, cum εἶδε δόξαν Θεῦ καὶ Ἰησῦν ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τῦ Θεῦ *vidit gloriam Dei & Jesum stantem ad dextram Dei*, h. e. gloriæ seu lucis inaccessæ. Deum enim propriè dictum sine dubio non vidit, & durum est dicere Jesum *ad dextram Dei*, pro *summa gloria* fruentem &c.

§. 9.

Attigit discursus, quem hucusque continuavi, rationem in homine spectatam, quæ facultas est. Nunc ordo postulat, ut nonnulla dicamus de ratione, quæ denotat veritatum connexiones homini obversantes. Ubi est connexio, ubi series rerum, ubi aliud primum, aliud secundum, aliud denique ultimum est. *Quod in serie veritatum primum est, ex quo cetera ducuntur, adpellatur principium.* De rationis igitur hoc modo sumtæ principiis nunc dispiciendum, *an & quousque ea in sacris adhibere conveniat?*

§. 10.

Rationis principia, imo vero doctrinæ omnes in duos ramos abeunt. Sunt enim vel

veritates necessariæ, vel mutabiles. Necessarias adpellamus (s) *quarum oppositum involvit Contradictionem.* Mutabiles vero dicimus, *quarum oppositum non exhibet contradictionem.* Prioris generis doctrinæ sunt in Algebra, Geometria, Arithmetica, Logica, Metaphysica, dicere & ausim, in disciplina Matheseos puræ qualibet. Posterioris ordinis veritates in Physica, in genere morum aliisque artibus invenire licet. Hæ omnes nituntur principio sufficientis rationis, id jubet eligere excellentissimum quodque. Contra priores axiomate contradictionis fulciuntur, quod brutam necessitatem eandemque absolutam parit numeris omnibus. Ut Triangulum rectum duos habeat angulos æquales duobus rectis, ita verum est, ut contrarium exhibeat contradictionem. At alia est legum motûs conditio, neque enim illæ ita sunt à Deo stabilitæ, ut vel tantilla illarum mutatio contradictionem involvisset, ubi ita fuisset Creatori visum. Minime vero! Est hoc multo præstantissimum Leibnitii ἔνθημα, quo vel solo Spinozæ error penitus profligari potest. (t)

(s) Ita recte decribit veritates Leibnitius necessarias in Theod. §. & 22. ait: *Cavendum omnino esse, ne in defendendis mysteriis veritates necessarias deseramus, ne veritatis hostes occasionem arripiant omnibus sacris illudendi.* Scii. qui veritatem necessariam deserit, ejus oppositum i. e contradictionem concedit, profiteturque cœlestem doctrinam quantumvis contradictione obnoxiam amplectendum esse.

(t) Recüeil de diverses pieces par Mr. Leibniz &c. T. II. p. 133. *Il est vrai que je n'entrai dans le plus profondes qu' apres avoir conversé avec Mr. Huygens à Paris, Mais*

*M*ais quand je cherchai sa derniere raison du Mecanisme & des loix memes du mouvement; Je fus tout supris de voir qu' il étoit impossible de les trouver dans les Mathematiques, & qu' il falloit retourner & la Metaphysique. Nempe veræ motûs leges supponunt in corpore vim aliquam, quæ ex ipsa materiæ utpote passivæ consideratione non resultat. Quæ nec in extensione nec impenetrabilitate materiæ fundatur, & cujus originem in conceptibus corporum geometricis, in trina dimensione, structura &c. ne quicquam detegas. Verba sunt non mea sed Dilucid. p. 186. §. 169.

§. 11.

Primâ nunc quæstione disceptatur, num utriusque an alterurius, an neutrius generis veritates Philosophicas in Theologia adplicare liceat? Respondemus cum Theologis quorum in hac doctrinâ eruditio comprobata est: nunquam (u) è Theologia aut posse aut debere necessarias rationis veritates arceri. In promtu est argumentum. Quæ nec DEUS mutare potest, ea ipsa rata habet, imo habere, nisi semet abnegaverit, debet. Atqui veritates necessarias mutabiles non esse docuimus, non est ergo hæsitandum, circa id quod consequitur. Ipse DEI spiritus ad principium contradictionis provocat. Rom. 11. v. 6. Adprobato igitur fundamento, quicquid eidem jure superstruitur adprobasse censendus est. Hinc sua Mathesi in Theologia constans, & perpetua existimatio. Multiplicatus enim v. g. quodenarius numerus 144. in scripturis æque conflare dicitur ac alibi in Arithmetica. vid. Apoc. 7. v. 4. -- 8. Præcipium logices idque imum fundamentum hac continetur regula: (x) Quod si

A. respondeat B. &. C. respondeat eidem B. consequitur necessario ut etiam A. respondeat C. atqui ea nititur Servator contra Judæos disputans Joh. 8. v. 47. Insensatus sit gnaviter, quisquis de innumeris similibus cæteris idem non sentiat.

(u) Theologi v. g. Musæus in Tr. de usu principiorum rationis distinguunt inter principia formalia & materialia. Illa in sacris admittenda esse rectissime contendunt. Hæc autem nulla alia lege adsciscenda docent, quam ubi eorum necessitas explorata est.

(x) Vid. Leibnitii Theodic. p. 86. §. 22.

§. 12.

Faciles in eo omnes forsan experiar. Interim de iisdem necessariis veritatibus porro disquiritur: num eis contraria revelatio docere queat? num ad fidem revelationi tribuendam simus obstricti, si manifestissimis his doctrinis palam adversetur? Neutiquam sane! id enim interest maxime inter genuinam spuriamque revelationem, quod altera absurdorum alienorumque à ratione dogmatum coargui possit, altera non item. Quod ni concesseris, paululum admodum ipsa Muhamedanorum fides à Christianorum discipuna differet, aut prorsus nihil. (y). Contra de veritatibus quæ mutationi obnoxiæ, (z) seu, ut accuratius loquar, contingentibus, longe aliter statuendum. Etiamsi enim sæpe & ad illas confirmatio DEI pertineat in scripturæ tabulis; sic enim stellarum motus, DEI ipsius calculo adprobatus est, Jes. 40. Tamen DEO nihil obstitit, quo minus legem isthanc à suo pendentem arbi-

arbitrio suspenderet, & sive solem (*aa*) sive terrum juberet quiescere.

(*y*) Vid. eund. citato Tract. §. 19. Hic est, inquit, scopus eorum, qui veritatem Christianæ religionis publice propugnarunt. v. g. Aug. Steuchi, Mornæi, Grotii. Oportet enim melioribus nostra sacra characteribus distingui, quam Turcarum Ethnicorumque; aliter Zoroaster quispiam, aut Brama &c. tantundem fidei mereret, ac Moses, vel Servator Mundi.

(*z*) Loquimur de veritatibus rerum exsistentium finitarum. Essentiam enim si spectes, veritas omnis necessaria est.

(*aa*) Fateor enim lubens, me lectô Zimmermanni Tract. de Scriptura Copernizante inductum fuisse, ut terram moveri crederem. In qua sententia confirmatus fui, postquam Matheesos quôdam gustû imbuebar.

§. 13.

Conveniunt heic plerique in veritate generali, at in adplicatione ejusdem ad singulares casus, dici vix potest, quantum aperiatur sententiæ bivium. Sunt enim, qui veritatum necessariarum foro adscribunt doctrinas, quas alii (*bb*) contingentium classi adjudicandas putant & vicissim. Tum difficultas haud exigua oritur, quo pacto alteræ ab alteris distinguendæ sint. Si fieri potest ut corpus immensa & extraordinaria DEI potentia omnibus locis sistatur præsens; non recedendum est à litera verborumque stricto significatu, queis sacrum Epulum Matth. 26. 1. Cor. 10. & 11. describitur. Sin autem per naturam id fieri nequit, si contradictionem (*cc*) id involvit, corpus exsistere multis aut omnibus præsens locis, à litera recedendum, quicquid ea pressius accepta aut intellecta videatur innuere.

Sed

Sed quis hîc litem decidet? accuratius Philoſophiæ ſtudium, quod vulgo ſpernitur, (*dd*) quo ſolo argumento, ſi ab aliis omnibus diſcederemus, ejus in Theologia neceſſitas comprobatur. Atqui infra diſtinctius, uti ſpero exploratum dabimus, corporis præſentiam pluribus omnibusve locis ἀσύμβατον non eſſe.

(*bb*) Idem obſervavit Leibnitius in Theod. §. 20. 21.

(*cc*) Huc pertinet diſputatio Cancell. Tub. Pfaffii: *Num contradictoria proprie loquendo poſſint cerni?* quâ traduntur egregia. Nec non Dan. Maichelii examen diſſertationis Turretinianæ, de argumento fere eôdem.

(*dd*) Vid. Judicium Theol. facultat. Halenſis de Philoſophiæ ſtudio præmiſſum der beſcheidenen Entdeckung, der ſchädlichen Wolffianiſchen Philoſophie.

§. 14.

Pervenio interim ad aliam quæſtionem, quâ, quo reſpectu veritates Philoſophicæ in Theologia adhibeantur? examinatum eſt. Num adplicentur, quâ indifferentes, an quâ naturâ notæ, an quâ per Spiritus auctoritatem ex obliquo comprobatæ? Primum Muſæus (*ee*) & Pfaffius Prof. olim Tub. Poſtremum Klemmius ejusdem Acad. Doctor tuetur. (*ff*) Adoptamus hanc ſententiam neglectâ priori. Non difficile enim eſt ſolutis hujus ſententiæ ratiociniis meliora ſubſtituere. *Doctores*, inquiunt, *in Theologia per omnes ætates rationis axiomatibus rectè uſi ſunt, ergo etiamnum ea adhibere eo conſilio licebit.* Sed ſciendum eſt adhibitas à Doctoribus rationis doctrinas, non quia à ratione proficiſcuntur, ſed quoniam accurato examine inſtituto comprobatas easdem in Scriptura animadverterunt. Urgent: *Nil derogatur*

gatur conclusioni Theologicæ etiamsi in majori propositione syllogismi rationis axioma universale abhibeatur. Namque Canon ejusmodi indifferens, determinatur per Minorem propos. Theologicam. Respondeo: plurimum omnino conclusioni Theologicæ detractum iri, si ab enunciatione Philosophica penderet; ratio enim, quare prædicatum conclusionis subjecto adaptatur, â majore prop. petitur. Cùm in minore duntaxat indicetur, contineri subjectum conclusionis subjecto Majoris. Pergunt: *nulla omnino rationis axiomata in argumentis sacris adplicantur, nisi quorum oppositum contradictionem involvit, certissima igitur conclusionis veritas, stat velut Marpesia cautes.* ℞. Certa tum quidem conclusio est, auctoritate DEI non nixa, i. e. haudquaquam Theologica. Ratio enim conclusionis majore continetur, illiusque conditio respondet naturæ hujus. Cætera ratiocinia Musæi non allegabo, ex his responsionibus judicanda.

(ee) Vid. Musæus de usu principiorum rationis p. 453.

(ff) Pfaffius in supplem. Thummii p. 585. ait in illo trito syllogismo: *Gignens & genitus realiter differunt, atqui Pater & filius in divin. differunt, ut Gignens & genitus E. realiter.* Majorem non esse Philosophicam sed indifferentem. me judice verò theologica est, auctoritate DEI ex obliquo comprobata. Non potest enim revelationis auctoritas non habere rata Philosophiæ necessaria axiomata.

§. 15.

Præsidium caussæ nostræ, *quòd videlicet axiomata rationis, ut auctoritate DEI adprobata, in argumentis sacris adplicari possint*, ex eo quæritur: Majoris universali natura nititur conclu-

sio,

sio, minor duntaxat monet, subjectum conclusionis comprehendi subjecto majoris. Jam aut major propositio conclusionem probat, tanquam per naturam nota, aut tanquam ratihabita auctoritate DEI. Sin illud adfirmaveris, fundamentum fidei, quæ conclusioni tribuitur, naturale erit. Sin hoc concesseris, in castra transisti nostra, quod non sine grati significatione animi agnoscimus. Plura non addo, possunt de cæteris ipsi scriptores, quos allegabam, vocari in consilium.

§. 16.

Incido nunc justò ordine in gravioris multo contentionis mentionem. *Quod nam revelationis sit fundamentum?* Lockius certitudinem rationis (*gg*) revelationi anteponit. Poiret rationis certitudinem plane ad res divinas explorandas haudquidquam facere docet. (*hh*) Protestantes ceteri plerique mediâ incedunt viâ, nec firmitatem rationis fidei anteponentes, nec vero etiam affirmantes, quod ratio prorsus nihil ad sacra investiganda faciat. (*ii*) Vanum est Lockii ratiocinium. (mittam in compendium prolixius dicta à Viro celeberrimo) *Cognitio, quâ revelationem genuinam esse, exploratum habetur, aut oritur à ratione, aut ab alia eademque nova revelatione. Sin hoc eveniat, dabitur progressus in infinitum, redeunte identidem de nova isthac revelatione argumento eôdem. Sin primum placuerit, revelationis firmitas in rationem resolvitur.* Quod Auctor docet. Bz. miscentur separanda. Differt à fundamento auctoritatis divinæ ex revelatione elu-

elucentis, agnitio ejus, qua ratio percellitur. Agnitio, quod hæc auctoritas divina sit, rationis est fundamentum autem auctoritatis, ob quod agnoscitur, pertinet ad revelationem. Velim simile, si placet, audias. (*kk*) Fac senatorum collegium, Præside extincto priore, novô animari, jussu Principis, Antistite. Quis neget huius esse ostentare Senatorum collegio pro facienda fide literas quas vocant *credentiales*? sed num senatores gloriari propterea possunt, Antistitis auctoritatem suo ipsorum judicio niti? Minime vero! atqui eadem sacrarum literarum conditio est. Præsident illæ rationi, quâ superiores multo exsistunt. Vice *Credentialium* litterarum characteribus certis opus est, quibus ratio mota agnoscere sublimiorem illam auctoritatem possit. Quis autem inde judicet, auctoritatem revelationis niti ratione? quis metuat propterea processum per infinita, quis denique Lockii argutiis commoveatur?

(*gg*.) Vid. Poiret Tract. *Ratio & fides collatæ* cui integer Lockii discursus præmissus est, verba auctoris hæc sunt: *Quoniam multo magis certum est, rectam rationem esse infallibilem, quam particularem ejus usum circa revelationem, quem divina fides præsupponit, esse rectum; aperte sequitur, Certitudinem rectæ rationis præstare certitudini, quâ divina gaudet fides.* Aut pronuntiandum est, ipsorum Cœlitum de gloria æterna certitudinem eorum ratione niti adhuc firmiore, quod absurdum; aut fatendum convictionem de rebus sacris in hac vita ortam, quòd testimonio Spiritus fulcitur, primitiarum nomine insignito Rom. 8, absque rationis adminiculo persistere.

(*hh*) Respondet ad ratiocinium Lockii Poiret cit. Tract. P. 173. h. m. *Rectam supponere rationem in homine penitus corrupto, æque sibi constat ac morbidus sanus,*

recta obliquitas, lignum ferreum. Hoc ergo ens rationis secundum auctorem jam superat, divinam fidem & veram falsamque discernit revelationem? Tam egregium auctor posuit Theosophiæ fundamentum, eheu, in qua incidimus tempora! Hicce dum vitat vitia, in contraria currit. Negat rationis certitudinem profus. Refutatus est à Jægero. *In Judicio Poireti de Lock. i sententia.*

(ii) Inter innumeros vid. Buddæus Theolog dogmat. p. 202. § 33. not. * *Id vero dum negamus non omnem prorsus rationis usum negamus aut reijcimus, ut ex hactenus dictis patet; quod & copiosius B. Joh. Musæus noster ostendit de usu princip. rationis &c.* Campegius Vitringa in dissertatione de Philosophia Græcorum vitio affectuum corrupta L. III. C. 12. p. 633. seqq. de usu rationis sequentia differit, in compendium mittenda: *Paulus pronuntiat gentibus Evangelii doctrinam stultitiam fuisse, 1. Cor. 1. v. 23. jam alterutrum statuendum est: Vel quod Evangelium repugnet sanæ rationi, h. e. rectis & genuinis rationis principiis, vel quod Philosophorum perceptiones de doctrina religionis secundum sanam rationem formatæ non fuerint. Prius dici nequit. Est enim φανέρωσις τῆς ἀληθείας Rom 1. Ergo posterius affirmandum.* Vid. Hermanni Witsii Dissert. de usu & abusu rationis quæ est 17. in P. II. miscellaneorum ejus sacrorum. Augustinus, *abfit* inquit, Epist. ad Consentium quæ est 222, *ut hoc in nobis DEUS oderit, in quo reliquis amantibus excellentiores nos creavit.* Addantur Huetii qnæstion. Alnet. de concordia rationis & fidei L. I. Cap. 4. & 5.

(kk) Simile apud Leibnitium occurrit. Theod §. 29.

§. 17.

Primo enim divina sacrarum litterarum (*ll*) auctoritas characteribus quibusdam, totidem velut radiis, animos hominum ferit, percellitque, ut recte advertentes non possint non θεῖον agnoscere. Post, fractâ h. m. tanquam glacie, perculsos tot veritatis criteriis Spiritus S. prensat, movet ad assentiendum vehe-

vehementi nisu, obsignat. Quo facto revelationis certitudo, non amplius à ratione, quin neque à prima ejus agnitione pendet, sed ab operatione spiritus, mentes in veritate confirmantis 1. Joh, 5, ℣. 6. Simile quid legitur Joh. 4, ℣. 42. Nuntiaverat Samaritana uxor civibus suis, præsto esse, qui Messiæ virtutibus characteribusque ornatus videatur ℣. 29. Advolant tum incolæ, fit ad Christum hominum confluxus, cernunt portenta, audiunt doctrinam commoti vehementer, exsequente munus per verbum Spiritû S. tum ingenuè profitentur: *Non tam posthac nuntio tuo ducti, quam ipso usu confirmati fidem hisce tribimus.* Liceat cum uxore tationem rectam contendere, officio fungentem suo, characteresque revelationis observantem, agnoscentem. Quod si eâ tum inducantur mortales, ut ad Christum veniant, i. e. locum revelationi ulteriorem cedant, superveniet Spiritus operatio obsignaturi, quæ illuminata ratio incoata reliquit.

(*ll*) Cedro dignum Hunnii tractatum *de majestate Sacræ Scripturæ*, non possum quin hic laudem.

§. 18.

At alia sedet Poireto mens, rectam ipse rationem negare videtur (*mm*) nihilque prorsus ab ea utilitatis in Theologiam redundare contendit. Id vero supra confutatum est, ut plura dicere nil amplius attineat. Interim non diffiteor, aut minus consentanea Poiretum docere, aut Lockium passim male intellectum, perperam refutasse. Ita enim ille: (*nn*) *At rationem solam, si revelatio facta non fuisset, has veritates Evangelicas reperturam fuisse id quidem probandum superest, &c.* Valde dubito, an ea unquam fuerit Lockii sententia, de fundamento certitudinis

disputat ille, *num in ratione quærendum*? haud vero affirmat, rationem veritates Evangelicas invenire potuisse. Sed transeant isthæc, cum Lockii causam non perorandam suscipiamus, interno quippe spiritus sensu edocti, quid inter animi firmitatem à ratione, & à DEO profectam intersit? (oo)

(mm) Loc. cit. p. 173.

(nn) Vid. citat. Tractat p. 174. §. 432.

(oo) Dubium non contemnendum Doctrinæ de testimonio Spiritus S. obvertit Limborch Theolog. Christian. L. I. Cap. 4 §. 17. *Nos agnoscimus, inquit, Spiritus S gratiam argumentis, quibus Script. S. divinitas probatur, conjungi, ut eorum vis roboretur; &c. Non tamen credimus testimonium Spiritus S. ut internum testimonium, peculiare ac distinctum ab argumentis externis, ac vi sua peculiari agens, necessarium esse ut homo infidelis de Scripturæ divinitate convincatur. Quia Spiritus confirmans non datur, nisi jam credentibus Joh. 7, v. 38. c. 14. v. 17. &c. (2) Esse talem Spiritum nemo scire potest, nisi ex Scriptura. & Spiritus suggestio etiam ad Scripturam tanquam Lydium lapidem explorandæ est - - quin sic committitur circulus. Si enim quærantur, unde cognoscant, Scripturam esse divinam: Respondent ex testimonio Spiritus, si urgentur, unde sciant, testimonium illud esse Spiritus, regerunt ex Scriptura.* Posset hæc argumentandi ratio compensari simili ratiocinio, quod sine dubio vel ipsis adversariis fatentibus, fraude caret, si quæratur: *und veritas cujusdam vaticinii dignoscenda*, recte respondemus: *Ex eventu*, sin urgeas, unde sciam, *hanc veram esse vaticinii impletionem*, te non invito, dicere licet, ex consideratione vaticinii. Sed profundius rimabimur argumenti oppositi vim. Est Spiritus S. Testimonium à verbo distinctum quidem, sed non divisum aut separatum. Limborchius qui opinionem de Testimonio Sp. S. *peculiari vi agente*, confutat, Fanaticos ferit, non protestantes Theologos. Secundo hiscit & fatiscit consequentia, non recte arguitur: *Testimonium*

nium Spiritus Sancti non indulgetur nisi jam credentibus, ergo supervacuum est. Ipse enim Limborch fatetur ad argumenta Scripturæ cognita, adprobata, accedere robur majus à DEI gratia profectum. Post miscentur separanda. *Alius est actus credendi directus, alius reflexus.* Conceditur Spiritus testimonium iis qui fidem conceperunt *actû directô*, ut eandem etiam persentiscant *actû reflexô*, non igitur est supervacuum. Quid verò de illo dilemmate habendum? *Cornu gerit illud - - caveto.* At salva res est. Sejunge, ubi volupe fuerit, circulum à regressu demonstrativo. Ne verba tantum dare, & fumos vendere videar, ibo in rem præsentem. *Methodus Pontificiorum, ab auctoritate Pontificis Scripturam, & vicissim ex Scriptura illam probantium, circulus est vitiosus.* Nostra arguendi ratio regressus demonstrativus. Regressus demonstrativus ratiocinatur ab effectu ad causam, à causa ad effectum, pro conitione adversariorum, alterum sive alteram concedentium. Ubi nexus causæ & effectus exulat, ibi hæc methodus degenerat in circulum vitiosum. Eu facti Specimen!

Regressus demonstrativus.

Causa	*Effectus*
Spiritus in verbo operans	Testimonium Spiritus
Effectus.	*Causa*
Testimonium de sacris licet h. l. descensus contra eum qui de sacrorum veritate ambigit, causam vero, (operantem Spiritum) concedit, imo sentire potest, ubi moneatur.	Spiritus per verbum operans. Licet h. l. adscensus contra eum qui de Spiritûs operatione dubitat, i. e. causa originem Scripturæ cœlestem concedit. i. e. effectum.

Circulus vitiosus.

Suppositicia causa	
Scripturæ auctoritas	
Suppositicius effectus	
Pontificis auctoritas	neque enim illa stabilit hanc, atqui ascensum postulant contra Protestantes qui principium infitiantur. Idemque descendunt apud suos qui Scripturam Pontifici postponunt. Vitium igitur in methodo inest.

Sic oculis subiici potest utriusque methodi discrimen. Observemus interim sequentia. Fieri aliquando solet, ut scrupulis de S. litterarum veritate vexetur tentatus, motus vero & instinctus DEI in animo sentiat, aut sentire, attentione adhibita, possit. Tum recte ad motus hosce provocatur sine principii petitione. Contingere vero & solet, ut qui de divini verbi auctoritate certissimus est, de inhabitantis præsentia Spiritus anceps existat, tum illa peropportune potest ad probandam hanc allegari. Nunquam autem descensus adscensusve fieri debet nisi contra eum, qui adscendendi aut descendendi initium comprobat.

§. 19.

Cardo eorum quæ hactenus disputatis obverti possunt in eo agitatur: (pp) *Licet*, inquiunt, *ratio se intra sphæram continens & quæ revelationis sunt agnoscens, non pugnet contra fidei mysteria: tamen quando ea non se continet intra suam sphæram, sed judicium sibi sumit de illis, quæ sunt meræ revelationis, ac puræ fidei, ac de illis pronuntiare cupit, ex suis naturalibus principiis, non ex verbi præscripto, tunc ex accidenti fit, ut mysteria fidei sint contra rationem, videlicet temere & præpostere ea oppugnantem.* Forsan, qui hæc regerit, re penitius examinata, non dissentit à nobis. Idem enim ille (qq) soluto adversarii ratiocinio, *quod lumen lumini non possit esse contrarium, unum venerantia auctorem ambo*, declarat, *verum id est de ratione in naturalibus & civilibus, adeoque illis, ad quæ humana ratio ex principiis naturalibus assurgere potest; item de ratione quatenus NB. per S. Scripturam illuminata lucem & ductum verbi sequitur; sed de ratione ex suis principiis novos fidei arti-*

articulos excogitante, vel fidei articulos in Scriptura expositos oppugnante, concedi non potest. Ita noster est, quem ex adverso militare putavimus. Si ratio nova credendi dogmata pro piaculis obtrudit, sin antiqua DEI auctoritate nixa oppugnat, revera non est ratio, sed ejus speciem duntaxat mentitur. Ratio enim est *veritatum nexus.* Cohærent omnes veritates, si non in finito, in immenso certe tamen DEI intellectu. Quicquid ergo veritatibus alteris, sive Philosophicis sive Theologicis adversatur, id cum eis haudquaquam connectitur, i. e. istud rationis nomine adpellari nequit, ex data definitione. Cæterum id in rem nostram est, quod eodem auctore, ratio tum demum per Scripturam collustrata dicatur, ubi ductum fidei sequitur. Si quid enim judico, id consentaneum nostris est doctrinis, queis *perspicientiam nexûs veritatum revelatarum vocitavimus rationem collustratam.* Profiteor etiam ingenue, me abhorrere à Bellarmini methodo, qui *jam dari perfectionis consilia ex ratione probat,* (*rr*) *jam purgatorium,* (*ss*) *jam transubstantiationem,* (*tt*) *jam satisfactiones humanas,* (*uu*) nec facere cum Gregorio di Valentia, qui rationis dictamen DEI cultum recte præscribere posse affirmat. (*xx*)

(*pp*) Vid. Gerh. Confessio Cathol. p. 283. cujus hæc sunt verba.

(*qq*) Gerhard. Confess. Cathol. loc. cit.

(*rr*) Bellarmin. L. II. de Monach. Cap. 12.

(*ss*) Idem L. I. de purgatorio Cap. 11.

(*tt*) Idem Lib. III. de Eucharist. Cap. 22.

(*uu*) Idem L. IV. de pœnit. Cap. 5.

(*xx*) Gregorius di valent. L. I. de Miss. sacrif. Cap. 4.

Discursus Præliminaris

Cap. III.

De augusta Gratiæ & Naturæ differentia.

§. 1.

FUimus hucusque in eo, ut non obstante grandi intervallo, quod à revelatione rationem submovet, usum hujus exponeremus in illa, pertinebat isthæc disputatio ad utriusque disciplinæ theoriam. Nunc de gratiæ & naturæ in animo motibus (si quidem motus dicendi sunt) sermo instituetur, quod ad pietatis praxin pertinet, adque ejus studium sapienter discernendum, peropportune facit. Doctrina est, si quæquam, multo præstantissima, in qua excolenda passim Theologi versabantur. (*a*) Per naturam cum Buddæo (*b*) intellegimus *complexum omnium facultatum, propensionum &c. à nativitate generatarum* (matureſcenteque judicio & ætate auctarum) *quâ mentem, quâ corpus, non exclusis causis, ex quibus istæ facultates, in quantum moralitatem recipiunt, oriuntur.* *Gratia* vocatur, *quidquid extraordinaria DEI operatione homini adjungitur, ad præstandum DEO gratum cultum, formandamque pietatem.* (*c*) Cæteras vocabuli significationes consulto omittimus. Ex his definitionibus sponte intelligitur, inter utriusque originis vires plurimum intereſſe. Cum vero *haudquidam ab altero discrepet reapse, quod eidem ex parte omni simile*

sit

sit nullosque exhibeat characteres, quibus ab eo discerni possit: (d) Perspicuum est, ob summam rei gravitatem certa suppetere debere κριτήρια, quibus alterarum virium operationes, distinguantur ab alteris. Hæc igitur investiganda sunt:

(a) Speneri Tract. *de natura & gratia* idiom. germ. pervulgatus est, nec meo præconio eget. Adde quæ Buddæus de hoc argumento Theolog. suæ morali inseruit. Cap. I. per totum, quæ Malebranchius in libello gallico de *natura & gratia docuit. Hullemanni* Tract. de auxiliis gratiæ in omnium versatur manibus. Conferantur etiam Andræ Riveti Theolog. reform. nec non Didac. de Alvarez *de auxiliis gratiæ* commentationes.

(b) Vid. Theol. Moral. Cap. I. p. 28.

(c) Buddæus Theol. *Moral.* p. 37. C. I. §. 39. tres significationes exhibet. Primo denotare ait, benignum favorem ad salutem procurandam Ephes I. v. 7. Post, vocem eam sonare, ait, benevolentiam Numinis, merito Christi provocatam. Act. 40, 12, &c. Tertio apud Scriptores Ecclesiasticos, ea operationem DEI gratiosam, in animo hominis innui, observat.

(d) Dici vix potest, quam grave, quam sœcundam sit hoc axioma, namque sine eo sanctissima dogmata Philosophiæ defendi nequeunt. Dabimus infra specimen. Verba Leibnitii hæc sunt. Recueil des diverses piéces sur la Philos. T. I. p. 50 Les grandes principes de la raison suffisante & de l'identité des indiscernables changent l'état de la Metaphysique, qui devient réelle & demonstrative par leur moyen: au lieu qu'autres fois elle ne consistoit presque qu'en termes vuides.

§. 2.

In actione qualibet duo sunt animadvertenda nec pauciora? Animi scilicet destinatio, seu impulsus, quo ad agendum inducebatur, ipsumque

que externum opus, quod in sensus incurrit. Circa externum opus nulla est difficultas, quod enim manifeste vel bonum vel malum est, oculisque subiicitur, id nec fugit, nec decipit quemquam. Lege verba Pauli Gal. 5, ℣. 19. Cum tamen contingat frequentissime, ut actio honesta turpis cujusdam suspicionem temere moveat, & vicissim, ut actio turpis mentiatur speciem honestæ, teste Paulo 1. Tim. 5. ℣. 24. 25. Maxime spectandus est animi impulsus, seu ratio ea, quâ mens inducta hoc illudve agendum suscepit. Neque enim corporis humani motus, quo opus externum continetur, vel vituperio vel laude per se dignus est? omnia ex animi metienda destinatione.

§. 3.

Nunc inædificabimus præstructis. Disceptatur, quomodo Christiani in DEUM cultûs, à gratia nimirum profecti, operationes, distinguantur à conatibus naturæ? Huic ut satisfiat quæstioni, definiendus est cultus generatim. *Cultum DEI* vocamus *actionem quamlibet, ad quam suscipiendam perfectiones DEI impellunt.* (e) Consentanea est hæc definitio paulo ante dictis. Monui quippe, ex animi destinatione metienda esse cuncta. Atqui definitionis secunditas est incredibilis, mox ejus intelliges momentum. Speciatim *Christianus DEI cultus istas complectitur actiones, ad quas edendas revelationis vel auctoritas vel efficacia induxit.* Germana hæc est definitionis prioris filia. *Cultus DEI naturalis continetur actionibus, quæ ex consideratione DEI, per solam ratio-*

rationem cogniti, *oriuntur*. Sororem hanc prioris agnoscas. Non omnes autem actiones hominis ad cultum DEI sive Christianum sive naturalem pertinere, manifestum est. Sunt igitur ordinis inferioris. Pietas enim sola honestati coronam imponit. An ergo plane honestatis sunt expertes? non sunt. Inest in eis quædam, at vero tenuis honestas, eademque gradibus distincta iterum suis. Aliæ autem actiones sunt ab omni honestate prorsus alienæ, nec eduntur nisi pravarum propensionum impulsu vehementi. Cognoscis igitur, naturæ operationes esse generis duplicis, vel pro subducto varie calculo, triplicis. Sunt actiones pietatis naturalis, eædemque generis supremi, sunt actiones honestæ, quas non format pietas, eædemque generis medii. Quales isthæ? continuo dicam. Sunt denique operationes, quæ à natura prodeunt, undiquaque turpes, fœdæ, detestandæque, pravorum affectuum infelices partus.

(e) Definitio est Wolffii. Die Handlungen, die wir in Ansehung GOttes vornehmen / werden Gottes-Dienst genennet. Moral. C. 6. §. 757. p. 517. Distinguendum vero est inter cultum mediatum & immediatum. Cultus immediatus actiones parit, quas non edidissemus, si de DEO prorsus nihil habuissemus perspectum, v. g. templum frequentare, orare &c. Cultus mediatus actiones complectitur, ad quas tam DEI cognitio quam præsentis vitæ necessitas impellit, ut laborare, edere, bibere namque & hæc in gloriam Dei suscipienda Coloss. 3, v. 17. vid. Bülfing. Dilucidat. p. 599. §. 498.

§. 4.

Actiones sæpe frequentatæ proclivitatem agendi pariunt, vel & commonstrant; quo major

jor est prochivitas, eo gravior est agendi impulsus. Major autem fit, si pro contraria parte pauciores militent agendi rationes. Hinc oritur tranquillitas, victoria honestatis, ubi ad hanc promovendam, pronitas connitatur. Ex adverso, si pro altera parte etiam impulsus in animo ebulliant, committitur pugna. Quò vehementiores illi sunt, eo discrimen est magis anceps, deliberatio difficilior. Illa autem vis, sive gratiæ, sive naturæ, imperium capessere dicitur Rom. 6. ℣, 12. 14. quæ victoriam sæpe reportando, sic faciendi pronitatem consecuta est. Unica victoria alterius partis, impulsusque, debilitatem alterius non indicat, si de victoria dolor exsistat, majorque conatus amissa compensandi. Sed nec gratiæ victoria una alterave, redeunte continuo graviore affectuum impetu, imperium animi probat, pulsus duntaxat arguit Spiritus S. exteriores. (f) Sic, actiones ex animi impulsu æstimando, distinctius multo philosophari licet, vel & θεολογεῖν, quam aliâs factitare solent.

(f) Non intelligo h. l. pulsus, quibus obluctari homo non posset. Licet eam opinionem in Ecclesiam, invexerit Augustinus primus. Haud vero ut Hottinger Histor. de gratia & prædestinat p. 28. T. I. Paulus. Memorabile est quod Saravius Epistol. ad Salmas. p. 196. prodit: Jesuitas palam præ se ferre, quòd Augustinus non sit regula fidei. Pater Adamus, teste eodem *in defensione Augustini* p. 24. haud obscure præ se tulisse dicitur, quod Gabriel à porta, é Soc. Jesu sæpe optaverit, ut Augustinus de gratia nunquam scripsisset. Paulus Leonhardus *in respons. ad expostulationes contra scientiam mediam* pag. 117. 118. queritur quod

quod Augustinus stans in acie contra Manichæos, in errores Pelagii pronus fuerit: militans autem contra Pelagianos prope á Manichæis abfuerit. Sunt & inter Protestantes plurimi, qui non inficiantur, justo rigidiorem esse Augustini in hoc articulo sententiam. Ne dicam de Commentario Philosoph. P. III. p. 4. nec de Bibliotheca universali T. XIV. p. 287. Rogo tantum Ben. lectorem, ut legat Dallæum de usu Patrum p. 153. ubi accusatur, quod more Philosophorum Academ. fluctuante plurimas res tractaverit.

§. 5.

Jam demum ipsum persequemur institutum. Actionum antiquo more tria constituo genera, *vel DEUM enim spectant, vel alios quosvis, vel semetipsum.* Dispiciamus quid unoquoque genere nere naturam agnoscat matrem? quid gratiam? Naturam tria complecti diximus, pietatem naturalem, honestatem, sceleratasque demum turpitudines. De his dicere nil attinet. Nec enim speciem honesti mentiuntur, eoque ulteriori χρείηρίω opus non est, De illis verba sumus facturi. Capiamus initium ab officiis erga DEUM: Cœtus sacros frequentare non inter postrema, erga DEVM officia ponitur. Confluunt in loca DEO sacra, boni & mali omnes, quid igitur hîc gratiæ, quid naturæ tribuendum?

§. 6.

Operationes naturæ per gradus numerabo, adscensu ab imo factô ad summum, Naturæ vis est duplex. Vel depravata ab affectibus distortis, vel recta quæ ad sanam pertinet rationem. De quibus paulo ante dictum. In frequentando igitur templo, *hoc enim officium primo*

exami-

examinandum sumsimus, naturæ depravatæ opus est, sin homines sacris interfint publicis, incitati studio declinandi infamiam, ne profanarum gentium numero habeantur. Simile quid de Mago Simone memoriæ prodidit Lucas Actor. 8. ℣. 13. qui, cum tota Samaria ad Petrum coflueret, baptismi causa; ne solus desipere videretur, baptizandum se curavit publico in loco. At testimonium ejus conceptum ℣. 23. Excusatior naturæ corruptæ gradus tum exsistit, quum (g) destinato consilio vacui, mera consuetudine ducti sacros intramus parietes. *Opus operatum* id vocant barbare, cujus turpitudo quidem, elegantiore voce utqui indigna est. Vid. Jesaj. 1. ℣. 12.

(g) Consuetudo vel est actionis tantum adjunctum, quo pacto ejus pretium auget non minuit. Habitum bene agendi, quis culpet? vel est causa impellens, tum actionem reddit detestandam. De hac consuetudine mihi nunc est sermo.

§. 7.

Vides, Lector benevole! me definitione cultûs §. 3. tradita, omnia metiri, sed metiar etiam per sequentes paginas (h) Pervenio nunc ad instinctus naturæ recta ratione pollentis. Primo quidem, quotquot Templa subeunt, ne turbas in societate excitent, ii rationi quidem consentaneè, sed minus Christiane agunt. En tertium naturæ, sed nunc non depravatæ gradum! ratio rerum nexus expendit. Igitur quoniam hi tales suarum actionum consequentia vident, declinant; cum ratione id conjunctum est. Verum enimvero & Athei prudentiores hac parte, id

id præstare possunt, non est ergo id gratiæ specimen. Turbas excitari neglectis sacris publicis vel Exemplo Servatoris cognoscitur Joh. 7, ℣. 11. Cum hoc gradu quartus conjungi potest, superior is quidem, nec tamen naturam supergrediens. Complures ex honestioribus, bona indole & Philosophica DEI cognitione imbuti in celebritate sacrorum comparent, *quia DEUM id præcepisse sentiunt.* Num id gratiæ non est? profecto ita videtur, sed videtur tantum. Sospitatorem Matth. 7, ℣. 22. judicasse accepimus, *quod multi olim illucescente extremo die, caussaturi sint, Domine! annon tuo nomine vaticinati sumus, Diabolos pepulimus? &c.* sed id ferent resp. *Non amo vos.* In nomine vero Christi præstare quiddam, phrasi Scripturæ, sonat auctoritate DEI munitum, seu fretum id facere.

(*b*) Vid. Bulffing Dilucid. p. 597. *Ratio formalis divini cultus consistit in edendis actionibus ex motivo perfectionum divinarum. Verus cultus est, si vera sit perfectio, falsus, si falsa. Hinc multa dependent, quæ in judicandis actionibus religiosis utiliter queunt adtendi. Hinc tota Paganismi refutatio, hinc revelationis dijudicandæ criteria, hinc discrimen cultus naturalis & revelati. Hinc nota cultus hypocritici, in externis tantum posit, hinc regula actionum seu ceremoniarum, hinc solutio quæstionis: cur rudes sæpe sincerius Deum colant sciolis?*

§. 8.

Si minutius omnia excutere vellem, plures naturæ gradus indicarem, sed ab instituto id alienum est. Expendamus vero, quid in eo officio â gratia oriatur? Quisquis loca DEO sacrata frequentat Christi monito per Paulum exposito obtem-

obtemperaturus Hebr. 10. Is aliquo gratiæ, prævenientis certe quidem, instinctû agit. Sospitatoris enim notitia & admonitiones non nisi ex revelatione cooriuntur. Tenue istud est initium, cui succedit impulsus præstantior. Mandatis morem aliquando gerimus, quæ ipsa non magnopere amamus, est ea conditio gradûs præcedentis; at ubi in rem ipsâm quæ præcepta est, amore ferimur, excellentior est impetus. Qui igitur ædes sacras intrat, quod salutare id esse perspectum habet, in gratia fecit profectus. Lege 1. Thess. 2. ℣. 13. Amplectimur eo casu verbum DEI, ideo quia divininum & à Christo coortum intelligimus. Majus huic gradui robur accedit, ubi consilio, incrementa pietatis capiendi, ad loca sancta procurrimus. Jacob. 1. ℣. 21. *Gradum hunc tertius coronat.* Celsos nobilissimosque istos animos judico, qui in visitanda templa propendent, quod jam olim verbi divini dulcedine gustatâ Hebr. 6. ℣. 5. Sibi temperare non possunt, quin occasionem tam opportunam arripiant avidissime. Est isthæc gratia operans. Possemus similia de precibus, cæterisque omnibus erga DEUM officiis docere, sed hæc nobis sufficiant, infra futuris prolixioribus.

§. 9.

Quæ nunc de officiorum erga alios quosvis examine dicturi sumus, ita comparata sunt, ut & ampliorem & generalem ideam totius doctrinæ *de natura & gratia* animo offerre possint. Sequor ordinem priorem. Incoaturus à naturæ operationibus, desiturus in gradibus gratiæ. Natura,

tura, quod nunc aliquoties judicavi, est vel corrupta, vel recta ratione pollens. Percurramus ordine singulas classes. Sunt primo, qui ab aliis offendendis abstinent, quod id suis commodis inservire intelligunt, privata utilitate ducti. *Infimus hic honestatis gradus est*, vix umbram virtutis spargens. *Refero* igitur *eum ad Naturam corruptam.* Reprehendit id Christus Matth. 5. v. 47. *Si*, inquiens, *beneficia in beneficos erga vosmet confertis, quid singulare quæso, aut eximii præstatis?* Paulo tolerabilior est gradus, qui nunc sequitur, alter. Videas nonnullos metu detrimenti pacem colentes, ne quid mali vicissim ex eorum violatione sibi immineat. Perexiguum id est, paulo tamen primo acceptabilius. Qui metu enim, aut male, aut non bene agit, excusatius peccat, quam qui quadam delinquit cupiditate inflammatus. Ergo & hic gradus, non obstante specie virtutis externâ, corruptæ naturæ fructus est. Tyrii á suscipiendo contra Herodem bello abhorruerunt, eam maxime ob causam, quod ex ejus Terris alimenta subvecta sunt Tyrum. Actor. 12. v. 20. Nondum definit corrupta natura virtutum larvas induere. Est enim & tertius gradus aliquantum ab illis primis distinctus. Invenire licet, qui, etiamsi crasso privatæ utilitatis studio ducti, alios conciliare nolint, meliora quippe agitantes: tamen illi non aguntur, nisi placendi studio, quod ad laudes inanes captandas comparatum est. Vulpeculas describit Paulus Ephes. 6. v. 6. Characteremque earum in ὀφθαλμοδουλείᾳ *quærit. En Complaisance du Tartuffe.* Naturæ abortum quis heic non agnoscat?

§. 10.

Sed nunc natura altius adscendit rectam secuta rationem. Non desunt, qui Magistratuum reverentia in officio continentur suo. Cum enim ratio recta dictitet, summos imperantes honorandos, obsequio colendos, manifestum est, eos, qui hac moventur cogitatione, boni quid præstare, sed à natura, quâ ratione ornatur recta, profectum. *Civilis est ea honestas.* **Diß ist die Vogtey-Heiligkeit.** Laudatur cum ratione consensus, culpatur defectus ejusdem incredibilis. Non enim propter universi generis humani societatem, iras, bella, turbas evitat, sed propter specialem civitatis, in qua vivendum est, conjunctionem, ordinem, leges, decreta. Rationis naturâ ingeneratæ vis multo majores facere profectus potest. Ecce hujus rectitudinis gradum superiorem! societatis universalis, quô totum genus humanum copulatur, curam gerere, eademque inflammatum haud agere quidquam, quod eam lacessere, violare, conturbare posset, rationis longius, quam vulgo fieri solet, prospicientis specimen est, *Christianum tamen nondum est.* Differt hic impulsus ab intuitu privatæ utilitatis. Hæc enim est rationis corruptæ, illa rationis rectæ, hæc vel in perditissimos latrones cadit, qui & ipsi socios defendunt, tuentur, colunt; illa nonnisi viris honestis ratione præditis sanâ competit. *Habes hic justi regulam* (i) lege sis Rom. 12. ℣. 18. hæc societati paucorum, illa universorum hominum paci publicæ studet.

(i) De Regula justi eleganter & perspicue more suo, Thomasius in Fundam. J. N. & Gentium L. I. Cap. 6. §. 42.

§. 42. *Regula*, inquit, *justi est: quod tibi non vis fieri, alteri nec feceris.* §. 62. 63. ejus Cap. *Corollaria inde practica derivat. Non turbabis alios, nec impedies in usu juris sui sive superiores, sive inferiores, sive pares; omnes enim sunt æque homines. Non vulnerabis, non occides, non contumelia afficies, non nocebis mendacio, non furtum facies, non damnum dabis, non violabis fidem.*

§. 11.

Turpitudinis odio mala vitare, conatus est excellens, virtutis autem amore declinare peccata, multo excellentior. Atque & eo ratio, sibi relicta, sana tamen, contendit. Cum pacem colimus, ne quid res generis humani omnis publica detrimenti capiat, (namque, quod ego juris in alios statuo, omnibus erga omnes competit) in eam ferimur pacem, ob indignitatem bellorum, quæ aversamur. Sed ubi amore universalis inter homines conjunctionis, turbas declinamus, denuo superiorem rationis conscendimus gradum. Proh DEUM immortalem! *cui potest esse vita vitalis (k) qui non in amici mutua benevolentia conquiescat. Si dulce est, habere vel unum, qui cum omnia audeas sic loqui, ut tecum*, dici vix potest quantum suavitatis pareret, immensæ multitudinis hominum omnium conjunctio. *Amicitia enim*, quanto magis universalis illa Generis humani, siquidem ea existere per homines posset) *res plurimas continet, quo te cunque verteris, præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiva, nunquam molesta est. Profecto non aqua, non igni, pluribus locis utimur, quam amicitiâ.* Quæ cogitatio si animum percellat, uti non potest non

percellere, viribus rationis prudenter utentem, sublimiore te loco constituit naturæ cognitio. Hæc est regula *Decori.* (*l*) Lege Ps. 133. v. 1.

(*k*) Sunt verba Ciceronis in Lælio de amicitia. Cap. 6. §. 7. seqq.

(*l*) Decori regula, auctore eodem Thomasio, loc. cit. §. 41. est. *Quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facies. Axiomata practica hæc eliciuntur. Remittes sponte de jure tuo. h. e. præstabis indigentibus ad quæ jure cogi non poteris. Condonabis, si opus sit. Si liber es, præstabis officia humanitatis. Si servus, plura laborabis, quam ad quæ jure obstrictus eris. Si imperas, præmia dabis; pœnas, si fieri potest, remittes. §. 69. præstabis ea hilari, sincera, nec fucatâ fronte &c.* Putas hæc adeo esse egregia, ut nonnisi à Christianorum disciplina tradi queant, sed falleris, magna vis est rationis, si colatur, & longe tamen sublimior fidei & gratiæ.

§. 12.

Nondum tamen sumus assecuti rationis fastigium, ergo & hactenus à gratiæ initio absumus plurimum. O perversos mortales! quorum pauciſſimi, decoctis rationis viribus, nec huc quidem penetrant, cum tamen naturali auxilio possint. Supereſt nimirum cacumen celsius. Possumus tantum proficere, ut studio non pacis externæ, ejusdemque universalis, non amicitiæ communis omnium, sed internæ quoque tranquillitatis amore, mala vitantes, persequamur virtutem. Quis enim nescit, turpibus factis conscientiæ tranquillitatem, graviſſimo detrimento, turbari? *Auri sacra fames quid non mortalia pectora cogis?* angit, mordet, cruciat, coquit! quos dolores sibi pariunt avari? 1. Tim. 6. v. 10. atque ea pœna est vitiorum omnium justiſſima.

Fugit

Fugit igitur hos motus sana ratio, ut animo quietem conciliet. Hæc est regula honest (*m*) prioribus omnibus præstantior.

(*m*) Regula honesti juxta Thomasium cit. loc. §. 40. hæc est. *Quod vis ut alii sibi faciant, fac tibi. Atqui indignaris, sive rides, sive doles si alios videas affectibus abreptos, propensionum mancipia, ergo à similibus abstine. Si delectaris gustu & re venerea, maxime durabili jucunditate fruuntur temperantes; si gloria, maxima gloria est, vincere se ipsum, nobilissima vindicta, inimicis benefacere. Fugies occasiones, quæ irritant cupiditates tuas, quæres, quæ eas supprimunt. Quodsi nimis adhuc imbecillis sis, ut nec fugere possis fugienda, nec quærere quærenda, saltim non fugies occasiones cupiditatibus adversas, quæ quotidie, te non quærente, se tibi offerunt. Nec quæres occasiones cupiditates excitantes, quæ se non sponte offerunt. Succubuisti cupiditatibus, surges, ne perpetuo jaceas; victi, cogitabis, quod succumbere possis, ita evitabis & securitatem, & desperationem &c.*

§. 13.

Uti vero primos gradus superat, ita superatur & ipsa pietate. Quatuor hucusque numerati sunt adscensus rationis, naturali honestate conspicui omnes, at sine pietate, hæc ergo splendidissimam virtuti imponit Tiaram. *Movet enim cognitione DEI animum in obsequia Creatoris, priorsque rationes omnes sublimiori cogitatione obsignat.* Non assurrexerunt ad hunc gradum rationis Chinenses. Viderunt aliquid, sed velut è longinquo. *Hinc eorum apophthegma: Nil facere sapientem cujus nolit conscium Cœlum.* Pacem publicam promovere universorum, haud malum est, amicitiæ communi studere, bonum; pacem internam curare, melius. Verum enimvero, supremi

premi Numinis reverentiâ, priora isthæc præstare lubentem, multo est optimum. Consecutæ videntur hunc gradum obstetrices Aegyptiacæ, quas timore DEI ab enecandis Ebræorum recens natis infantibus abstinuisse accepimus Exod. I. ℣. 17. Gratiæ enim num instinctu pulsæ fuerint, dubium manet.

§. 14.

Miraris forsan sive vim rationis, sive discursum meum, nec meliora Christianos gratiâ adjutos præstare posse autumas; sed frustra! inanes hi essent cuncti rationis conatus, nisi sextus, isque supremus gradus accederet. Cum tantam suis viribus præceptorum lucem consecuta est ratio, non potest non eis obtemperandi instinctus sequi, saltim apud eos, qui candore sunt conspicui; At quanta heic imbecillitas, quanta pravorum affectuum pugna, cupiditatum impurarum nisus deprehenditur? Prostant quidem in animo incitamenta, virtutem hanc omnem, suis gradibus distinctam, colendi; interim major longe affectuum, ex altera locatorum parte, vis, isthæc vel semper, vel sæpe superat, opprimit, conculcat. *Non exsequitur homo quæ recta videt, rapitur autem ad ea perpetranda, quæ turpia, & ab his virtutis gradibus abhorrentia intelligit.* Rom. 7. ℣. 15. Hinc inquietudo, hinc morsus conscientiæ ob peccata, reclamante rationis instinctu, admissa. Novit enim recta ratio DEUM justum, ut velit, potentem, ut queat plectere. Pietas id docet naturalis, quam ad gradum quintum paulo ante revocavimus. Quid hic consilii? aut pœnarum

narum divinarum metu desperandum, postque mortem pereundum est, (immortalitatem enim animi ratio argumentis sive certis, sive vero similibus assequitur) sive aliunde quærenda medicina, quam cum Philosophia non exhibeat, ad investigandam revelationem commovetur homo. *Usus hic adpellatur pædagogicus*, longeque præstantissimus est. (*n*) Arbitror vero eum supremo loco constituendum esse. Quo enim curatius cæteros virtutis gradus percurrit, prælucente rationis lumine, studiosus honestatis, quoque plura Philosophiæ, alia aliis sublimiora præcepta, imbibit, eò se infirmiorem cognoscit, ad ea sequenda, eoque major est medicinæ quærendæ impulsus. Non igitur abnuo, posse & inferiore constitutum gradu, ad inquirenda auxilia (*o*) ferri, sed id debiliore fieri motu, contendo. Ratio est in promtu: Notitiæ omnes præstant instinctum, debilem, si tenues exsistant; vehementiorem, si sint ampliores. Idque verum est, quamvis ille instinctus non semper animadvertatur. (*p*) Atqui quotquot in supremos rationis gradus enituntur, inferioribus luminibus, plura & clariora addiderunt, ergo & efficacior eorum est impulsus, ergo de sua imbecillitate gravius convicti, multo avidius medicinam anhelant. Hîc igitur Philosophiæ termini constituti, heic velut Herculis columnæ occurrunt, queis *Plus Ultra* inscribi haudquaquam potest.

(n) Pædagogicum esse luminis naturalis usum, communis Theologorum & Philosophorum vox est, quanquam Bælius passim in *Continuation des pensées diverses écrites à un Docteur de Sorbonne à l' occasion de la Comete qui parût 1689.* gentium notitias, ad verum

DEUM quærendum, prorsus nil feciſſe contendat vid. T. I. p. 104. §. 24. ſeqq. edit. Amſtælodam.

(o) Auxilia dico, ita tamen ut á Pelagii errore abſim. Neque enim natura cum gratia concurrit, ſin ipſam emendationem à Spiritu perficiendam ſpectaveris. Eſt hæc vox *auxilii* Scholaſticorum, qui auxilia gratiæ crepabant. Vid. quæ obſervavit Hulſemann de auxiliis gratiæ C. 2. §. 18 p. 28. Quantum ad rem ipſam, de inferiore nimirum rationis gradu, Buddæus Theol. Mor. p. 34. C. 1 §. 27. monuit, *poſſe ex quolibet ſtatu naturali immediate tranſitum fieri ad ſtatum gratiæ*. Concedo id, ſed cum indicata in Textu cautione.

(p) Falſam eſſe Carteſii ſententiam, quod nihil in animo fiat, cujus non ſimus conſcii, inde cognoſcitur, quia nobis nihil æque neceſſarium, ac vulgatum illud: *Noſce te ipſum.* Has notiones, quas non animadvertimus, *obſcuras* vocat Leibnitius. legatur die verthendigte Harmonia præſtabilita ſub nota (z) p. 83.

§. 15.

Ubi deficit ratio, ibi incipit gratia. Ultimus igitur rationis, idemque ſupremus gradus proxime adtingit gratiæ infimum, toto licet genere ab illo diſtinctum. Exorto verbi divini præconio lux nova oritur. Offert ſe tum animo Soſpitatoris idea, ſupplicio quidem affecti, ſed à DEO Patre in celſiſſimum divinæ Majeſtatis thronum collocati. Concipit igitur animus metum. Sin Judicis univerſalis, cujus Servator perſonam geſtat, cogitatio acceſſerit, augentur motus animi, vid. Actor. 2. ℣. 37. Primò enim ad Judæos Novi Teſtamenti ſacrò ſermone habitò, corda auditorum ideo perculſa ſunt, quod Majeſtatis Chriſti fuit facta mentio ℣. 36. Idem contigit Actor. 10. ℣. 42. Poſtquam vivorum mortuorumque

rumque Arbitrum Petrus appellaverat Jesum. Nimirum hæc est legis, Evangelii de Christo luce collustratæ operatio: Lex præcipit, urget, minatur; (q) Evangelium vero Christum præsto esse docet. Utrumque in hoc motu conjunctum est. Cum quidquid revelatio doceat, gratiæ significatio & argumentum sit, non ineptum erit, hunc impulsum *gratiam* vocare *sed prævenientem*, quæ licet effectu per malitiam privari possit, inevitabilis tamen exsistit. Quantacunque enim persequenda improbitate protervia utaris, nunquam Christi judicis, hujus ubi sacris initiatus es, cogitatio prorsus ex animo ejici potest, redeuntibus subinde conscientiæ & metûs stimulis. Pertinet vero isthæc consideratio ad officium Christi regium.

(q) De differentia legis & Evang. prodiit nuper dissertat. inaug. Præs. Hagmajero Tub.

§. 16.

Habenti dabitur. Matth. 13. ℣. 12. Qui locum huic impulsui præbet, ejus animum subibit Christi non solum tremenda Majestas, paulo ante indicata, sed & benignitas incomparabilis. Non est Rex modo, sed & Propheta præstantissimus, qui manca rationis dogmata supplet, animi medicinam promittit, docet, cujus ex ore mella fluunt, Cœlo delata, Esaj. 55. ℣. 10. 11. Deut. 32. ℣. 2. Cujus lingua doctrinas explanat auro gemmisque cariores Ps. 19. Quique præterea affectum erga nos spirat dulcissimum. Majestas fulgore suo oculos perstringit, metumque parit. Benignitas vero allicit, conciliat. Superat

rat ergo hic gradus illum primum. Qui hoc instinctu ducitur, spiritum persentiscere occipit spontaneum. Vel ipsos lapides excavat mollis guttarum defluxus, quis quæso huic tantæ benignitati semet præberet impenetrabilem? Efferatos cætera milites, ad vinciendum Prophetam hunc emissos, auditâ ejus doctrinâ, ita commotos fuisse, ut manus non injecerint, lectissimus Christi discipulus testatur Johannes. Evang. cap. 7. ℣. 46. Prope abest à *regeneratione*, quam vocant, quisquis ita affectus animo esse solet.

§. 17.

Religionis nostræ auctorem veneramur Sacerdotem supremum, imo vero, & unicum. 1 Tim. 2. ℣. 2. Quam ardua vero ista hæc doctrina est! Ebræor. 5. ℣. 10. 11. Innumeris DEUM homines peccatis offendunt. Vel ipsa ratio id novit, & si sana est, deplorat, id argumentum erat, quod supra dictum, quærendi Medicinam. Sed nunc inter iram DEI excandescentem, hominesque rebelles arbitrum se sistit Servator, quod Sacerdotis munus est. Hebr. 5. ℣. 1. Cumque placari ira DEI sine sanguine nequeat Hebr. 9. acerbissimam mortem ultro subit. Aut nihil prorsus rerum omnium intelligimus, aut hoc novum idque inauditum amoris documentum est. Præstans est Prophetæ beneficium, qui errantes docet, instruit: præstantius Sacerdotis sanguinem proprium fundentis pro eluendo alieno peccato. Excellens est Propheræ munus, qui reddit sapientes; excellentius Sacerdotis, qui præstat DEO gratos, quos perosos fecerat summa improbitas. *Vincit igitur*

hic

hic tertius gradus secundum. Hæc est doctrina libertatis, immunitatisque ab ira DEI, ejusdemque consequentibus. Joh. 8. ℣. 36. Quicumque hanc pervidet omnem Jac. I. ℣. 25. Quotquot hoc impulsu aguntur, ut divini sanguinis cogitatio penitus sit animo infixa, ut mortis tam sanctæ memoria nunquam non redeat, percellat, urgeat, ad vitam tanto beneficio dignam, ut amor oriatur in Servatorem incredibilis, bona, famam, vitam, & omnia pro illo honorando profundere paratus, illi profecto regenerationis initium sunt assecuti, fidemque vivam illam, & efficacem suo conceperunt animo. *Quid enim quæso fides est, quam conatus animi, tranquillitatem & felicitatem omnem in sanguine Christi ponentis, ejusdemque repræsentatione ad omnem actionem connitentis, quæ DEO, quæ Servatori probatur?* hunc instinctum rectissimè *gratiam* vocaveris *internam. Quæ enim hactenus comes erat animi, nunc occipit esse Incola.* Id enim in animo esse dicitur, quod vim ejus agendi dirigit, non una alterave vice, quæ gratiæ prævenientis conditio est, sed quoties agendi occasio offertur. Sic enim est gratia alteris, & contrariis quidem affectuum pravorum agendi incitamentis fortior, non una vice, sed sæpius, imperat ergo, eoque inhabitat. (r)

(r) Dominatur itaque gratia, cujus impulsus fortiores sunt naturæ adfectibus, quoties auctoramentum peccandi exsistit. Non dominatur vero eoque externa est, si ejus instinctus debilior fuerit, quam ut impetum naturæ effrenis possit cohibere. Hinc licet regenerationis punctum velut saliens discernere, ex gradu debilitatis & fortitudinis metimur renatæ indolis, initium, incrementum, decrementum.

§. 18.

§. 18.

Tertio igitur gradu victrix exsistit gratia, perrumpit obstacula, aditum parat, animum intrat. Tres hi gradus ad secundum locum de redemtione pertinent, cum contra rationis rectæ conatus, ex primo symboli apostolici, de creatione agentis, articulo, cooriantur. Incrementa vero gratiæ internæ, de qua nunc dicendum, ad tertium Symboli illius locum referuntur. Hinc *quartum gradum* perlustrare licet. Sunt qui suos adfectus temperant, pravis propensionibus obsistunt, mores ad Christi voluntatem formant, malorum patientes, modestos, temperantes se præbent, nullam aliam ob causam, quam ut gratam, pro sublato peccatorum reatu, & condonata pœna, mentem significent. Æquum quippe judicant, ut, qui sanguine Christi rubentes, pretiosissimo liquore velut madent, sibi caveant á pecatorum inquinamentis. Quo enim plus peccatorum condonatum est, eo major amoris in Christum impulsus oritur Luc. 7. ℣. 47. Vitæ ista conditio novus homo adpellatur, ad imaginem DEI, & Christi effictus. *Habes igitur gradum quartum, qui in operante primus est.*

§. 19.

Succedit nunc alius paulo sublimior. Nam licet peccatorum condonatio pietatis summum inciramentum exsistat; tamen, cum Spiritus S. monita contemnere, in majus discrimen adducat, quam excutere grati animi erga sanguinem Servatoris vincula; patet enim heic jus postlimi-

nii

nii semper; (s) illinc, ubi Spiritus παιδεία violatur proterve, irreparabilis detrimenti periculum imminet, vid. Matth. 12. v. 31. 32. manifesto intelligitur, graviorem priore impulsum tum urgere Christianos, quum pietati viribus cunctis litandum ideo judicant, ne mœstitia afficiant Spiritum, quo sunt velut obsignati Ephes. 4. ℣. 30. Nec in eo adquiescit divina benignitas. Præstantius est, ferri ad aliquem conciliandum, amore æquitatis, quam metû ne offendatur, ductum. Qui ergo Servatori per vitam omnem se probat, non ideo maxime ne offendat Spiritum Sanctum, sed quod par esse existimat, ut sparsa ejus per animum cœlestia semina uberes ferant fructus, is gradum probitatis conscendit, quo celsior in hoc quidem genere, haudquaquam datur. Urget id Apostolus Gal. 5. ℣. 25; ubi *vitam*, inquit, ex Spiritu trahentes dignas etiam isthâc vita virtutes exerceamus. Scil. non tam metum quendam, licet rationalem, licet Christianum ille respicit, quam ipsam rei dignitatem, quæ poscit, ut vita quædam, vitalibus quoque functionibus conspicua sit.

(s) Donatistarum enim sententia dudum explosa, licet non videantur reditum ad gratiam Christi, post peccata, sed ad Ecclesiæ societatem denegasse.

§. 20.

Hæc sunt, quæ de gratiæ, naturæque gradibus dicere constitui. Superest officium erga se ipsum, in cujus radice perlustranda nunc licet esse brevioribus. Temperantiam in eo genere præcipuam virtutem judico. Quænam igitur ejus causa naturalis, quæ Cœlestis & divina? Jam exponen-

ponendum. Cum natura & corrupta sit, & rectâ ratione tamen exornata, exordiendum est à fonte illo. Spuria est temperantia, quæ à nonnullis tantum illecebris sibi cavet, cæteras deperit. Qui enim religionis causa certos cibos non capiunt, aliis tamen delicatioribus, aut saltem æque delicatis pasti, specimen virtutis mentiuntur, num tu eos temperantes esse credis? neque enim impulsu voluptatis vitandæ id agunt, cum meliora gustent, sed in speciem tantum, ne videantur parum religiosi. 1. Tim. 4. ℣. 3. est hic gradus infimus, quem pone sequitur alter. Quum superstitione acti, ut DEUM placarent, Ethnici stolidissimi jejunia indicebant, cætera homines amore vacui, iracundi, avari, pacis violatores, fures & latrones. Exemplum lege Esai. 58, ℣. 5. 7.

§. 21.

Corrupto affectui naturæ tales indulgent, plurimum diversi ab iis, qui in colenda Temperantia rationem sequuntur sanam. *Recta ratio perspicit nexus veritatum.* Qui continens est, ut perversos intemperantiæ fructus, malorumque inde orientium Syrmata declinet, is primum calcavit in hoc genere gradum. Cujus auctor & suasor est maxima ratione & sapientia præditus Salomo Prov. 23. ℣. 28. Contra majore laude digni sunt, qui intemperantis vitæ usum propterea detestantur, quia socialitati promovendæ facit impares. quis ebriosum v.g. sobriumque muneris sui partes ex æquo recte obire adfirmet? quis neget illum sæpe in gravissimis esse negotiis quam ineptissimum?

§. 22.

§. 22.

Quodsi doctrinam antecedentem & hic adplicare vellem, plures designare possem gradus. Sed paucis, quid gratiæ sit specimen, indicabimus. Qui sobrietati studet, eo potissimum impulsu motus, ut precum studio vacare commodius liceat, ad Servatorem fundendarum, itemque ne imparatus à Judice Christo, die extremâ, occupetur, gratiæ is stimulos sentit, quos injicit Christus monens: **Hütet euch/ daß eure Hertzen nicht beschweret werden mit Fressen und Sauffen/und komme dieser Tag schnell über euch** &c. Isthæc enim doctrina de judicio totius orbis ultimo revelata à gratia oritur, ut, quotquot independent, virtutum stimuli, gratiæ eidem adscribi debeant. Omnium præclarissime, nam plura non addam, faciunt ii, qui, cum se templa Spiritus S. inviolabilia esse cognoscunt, nolunt committere, ut cœleste animi sui domicilium intemperantiæ monstris aperiatur, profanetur, sanctissimumque & adorandum ejiciatur Numen. Gratiæ hic instinctus priori illo longe celsior Paulo cordi fuit, quem ingenerare suorum auditorum animis conisus est. Extat rei testimonium 1.Cor.6.v.18.19. Prior gratiæ instinctus ex conatu detrimenta æterna vitandi oritur, hic autem ex amore nascitur in Spiritum S. Semper vero præstantius est, colere virtutem amore honestatis, quam malorum metu.

§. 23.

Possem hîc subsistere, nisi unicum adhuc desiderium exponi par esset. Fuerunt Juris naturæ

turæ Doctores fama & eruditione conspicui, qui totam illam disciplinam ex socialitatis regula mensi sunt. Recte illi quidem, si juris naturæ ambitu, Ethicam & Theologiam naturalem excludunt, quarum illa de officiis erga seipsum, hæc autem de officiis erga DEUM præcipit. Utinam vero extitissent quoque, qui Theologiam moralem docuissent, & exornassent methodo eadem. Possunt enim *ex socialitate Christiana*, nova pro virtute argumenta depromi, eoque nova impulsuum gratiæ semina spargi. Quo namque lumen vivacius est, eo majorem exercet vim. Præstatur autem divinæ cognitionis lux fulgidior, si novæ in ea pie vivendi rationes distinguuntur. Ardua est ea via, quam non ingredior, dicam tamen, quæ ejus species mihi è longinquo velut offeratur.

§. 24.

Gratiæ motus, quos hactenus indicavi, ejusmodi sunt, ut si vel unicus in Orbe Christianus exsisteret, locum haberent omnes, atque, qui nunc sequuntur, non essent perculsuri animum nisi revelatum esset, Christi populum peculiari societate, eademque sanctissima copulari; speciem corporis humani referre, cujus membra articulorum apto nexu, concinnâque proportione ita contemplata, ut omnes omnium motus referantur ad communem finem. Ephes. 4. ℣. 15. 16. Gal. 3. ℣. 28. Exsurgit hic ordo admirandus, quem si ratio, quæ perspicientia nexûs est veritatum, cognoscit, divina luce collustrata iterum iterumque dici potest. Auget id gratiam

DEI,

DEI, quia novi ex Christianorum socialitate pietatis accendendæ igniculi emicant.

§. 25.

Et principio quidem officiorum erga alios quosvis hi sancti fomites illinc petuntur, quos strictim nunc recensebo. Cœlestis illa Christianorum conjunctio rite considerata obstat, quo minus, securo agendi more, occasionem cuiquam, præbeas, temet imitandi. Id σκανδαλίζειν vocat Scriptura. Commendaturque illud consilium 1. Cor. 8. ℣. 9. Carnibus vesci licuisset, si extra sacram communitatem Corinthii fuissent constituti, in ea autem versantibus denegatum est, contrectare ullas. Fluit ex eodem fonte præstantioris officii necessitas. Mala aliis non inferre, quocunque modo, laudabile est, laudabilius autem, in malorum aliis illatorum calamitate, tristitia affici communiter. *Ubi dolore unum membrum affligitur, affliguntur omnia.* 1. Cor. 12. En fœcundam societatis Christianæ cogitationem! Possunt de aliorum adversa fortuna dolore percelli, qui de eorum bonis nullâ commoventur lætitiâ, exsurgit igitur tertium, idque secundo præstantius officium, *gratias agere DEO pro aliorum Christianorum donis. Unum corporis humani membrum ubi gloria ornatum fuerit, ornantur omnia.* 1. Cor. 12. Videre licet promtos ad lætitiæ de rebus aliorum secundis societatem, tardiusculos autem eosdem, ad promovendas aliorum opportunitates, ergo hoc iterum officio altius provehimur, si adjuverimus religionis socios, eleemosynâ, præclaro exemplo, doctrinâ,

§. 26.

Succinctô utor discursû, pro ratione instituti. Firmatur etiam socialitatis Christianæ assiduâ cogitatione gratia DEI in excitandis officiis erga semet ipsum. Enormia peccata cane pejus, & angue vitare jubet, præclara isthæc socialitas. Paulus monet abhorrendum ab Esavi conscelerati exemplo, nullam aliam ob causam, quam quia non servili cœtui ad montem Sinaiticum perterrefacto, sed potius cœlestibus beatorum choris adscripti simus. O suavem, O dulcissimam cum Cœli incolis conjunctionem! quis eorum consortia suorum criminum portentis contaminaret? Elicit vero ejusdem dulcissimæ memoria civitatis, amorem *decori Christiani.* Hæc doctrina, quod sciam, penitus hucusque neglecta est. (*t*) *Est autem decorum Christianum actionum pro indifferentibus habitarum genus, ad quas suscipiendas impellit Ecclesiæ, præsertim in Templis, vel & alibi mos & institutum.* Quocirca intuitu Christianæ socialitatis Ecclesiæ decorum imitamur, 1. Cor. 14. ℣. ult. publicos divini cultûs ritus & ceremonias observantes. (*u*) Quid de *prudentia justorum* dicam, quæ vel ex sola Christianæ socialitatis cogitatione, & gratiâ, quæ inde pendet, formatur? *Omnia Paulo licita erant, nec tamen cuncta expediebant*, prudentia juris abdicationem tantisper suadente. Nunquid ea locum haberet, si ex orbe tolleres sanctorum conjunctionem? Minime vero! (*x*) Est igitur arduæ indaginis doctrina. Conjuncti & cum Angelis societate sumus, monente Paulo Ephes. 1. ℣. 10.

atqui

atqui decori ſtudium prudentiamque poſtulat veritas iſta; Aliter enim Paulus mulieres capitis tegumentum geſtare non juſſiſſet, Angelos enim coram in cœtu ſacro eſſe cognovit 1. Cor. 11. Aliter Bileami Pſevdoprophetæ ſtoliditas tam gravis non fuiſſet, niſi angelus una fuiſſet ſtultitiæ teſtis. (y) Inculta eſt, ut dixi, hæc de ſocialitate Chriſtianorum doctrina, quam aliis exornandam relinquo.

(t) Diſtinguitur hoc Decorum à Philoſophico, de quo plura Thomaſius in Cautelis Jurisprud. p. 385. ſeqq. quod ita deſcribit: Das decorum iſt eine aus der Gefälligkeit entſtandene Nachahmung derer Menſchen von unſerem Stande, die vor die vornehmſte und vortrefflichſte gehalten werden, in dem Thun und Laſſen, das denen allgemeinen Reguln, der Ehrbarkeit, der Wohlanſtändigkeit und der Gerechtigkeit nicht zuwider. Plures diſtinctiones Vid. ibidem. obſerva tamen hoc decorum eſſe politicum, eoque ab altero decoro philoſophico, quod juris naturæ eſt, de quo ſupra §. 11. diſcernendum. Brevius ita meo more inflecti definitio poteſt: Decorum eſt actionum indifferentium genus, cujus præbet motivum, aliorum noſtri ordinis, quos præcipuos putant, imitanda conſuetudo. Corollaria definitionis vid. apud Thomaſium cit. loc.

(u) Certe quidem Fanatici publicas ſacrarum ſolennitates faſtidiendo parum decore faciunt, philoſophis antiquis æquandi, qui nullam decori rationem habuerunt.

(x) Prudentiam hic ſtricto ſenſu intelligo, prout ſe ad alios extendit.

(y) Vid. in hanc rem 2. Petr. 2. v. 16.

§. 27.

Judicet nunc Lector Benev. num ſterilis ſit actionum, ex moventibus argumentis, conſide-

ratio? Certe quidquid hactenus de naturæ gratiæve intervallo disputavi, definitionibus suffultum est, quas illa idea pariebat. Alii secundum objecta actiones distribuere solent, num æque felici successu, videant ipsi. *Quicquid ego de præsenti negotio disserui, eo consilio disserui, ut Philosophiæ, secundum recentiorum accessiones, in Theologia commonstraretur utilitas.* Nunc convertimur ad ipsam Tractationem.

Finis Discursûs Præliminaris.

CAP. I.

De usu Philosophiæ in Doctrina de DEO, secundum accessiones Recentiorum.

SECTIO I.

§. I.

DAbimus in quinque Sectiones distributa; quæcunque pro usu Philosophiæ secundum accessiones recentiorum, in doctrina de DEO, strictim persequi decrevimus. (*a*) *Prima* Sectio expendit ambas, quæ recens formatæ sunt, DEI definitiones. *Altera* quid in exsistentiæ divinæ argumento profici possit, explanatura est. *Tertia*, quo fructû DEI *unitas* probata sit, & ab ordinaria philosophandi methodo, & à recentiori, justo examine comparabit. *Quarta* injiciet mentionem, quid in Doctrina de DEO infinito à Nuperis præstitum sit? *Quinta* denique notionis, quam

quam de *Sanctitate* DEI hodie formarunt, ostenderet fœcunditatem.

(*a*) Indicasse fontes usuum sufficiat, corollariorum rivos aliis deducendos relinquimus.

§. 2.

Institutum igitur, ut duo agamus, per Sectiones singulas deposcit. Primo ut abusuum exprobratorum suspicionem amoliamur, post ut ex adverso genuinum Philosophiæ commonstremus usum. Circa primum satis, ut opinor, perorata lis est. Quos enim, Viri docti abusus reprehenderunt hinc inde, ex recentiorum scriptis revera exesse, tot apologiæ comprobant. (*b*) Nihil enim fere est publice desideratum, cui non satis factum sit, & si major animorum utrinque certantium tranquillitas exstitisset, nullus dubito, futurum fuisse, ut horum dogmatum innocentiâ protinus agnitâ, Fratres & religionis Socii, in mutuos amplexus ruissent. Sed humanum est contingere, quod contigit, vel Mortalitati potius præsenti consentaneum, per omnia retro Ecclesiæ Secula, in agitatis controversiis notabile.

(*b*) Recensionem plerorumque Scriptorum eristicorum, quæ in utramque partem agitata sunt, passim, ubi occasio fuerit, suscipiemus. Hic not. quæ contra alteram DEI definitionem monuerint Viri summi, Langius & Buddæus, maxima ex parte à Bulffingero Dilucid. p. 458. seqq. §. 423. discussa esse: Adde. Die Anmerckung über Herrn Budd. Bedencken, (2) nöthige Zugab. (3) klahren Beweiß. Evolvenda suo loco.

§. 3.

Ne tamen id falso pronuntiasse videamur, quoniam de altera DEI definitione statuendum est, nervose contrahemus, quæ circa eam ultro citroque reciprocata sunt. Definitio DEI à Marpurgensi Philosopho concinnata (*c*) hæc erat: *DEUS est substantia, qua universa possibilia unico actu distincte, aut si mavis, adæquate repræsentat.* Quid verba sibi velint ex Logica Viri nominati judicandum. Summus Jenensis Academiæ Theologus (*d*) obvertit, *calculus ubi huic adjiciatur definitioni, secuturum, ut gradu duntaxat repræsentandi Supremum illud Numen à rebus conditis differat*; quem adcusatus alter certiorem reddit, (*e*) *se cum Leibnitio monadibus*, quas vocant, *vim percipiendi non tribuisse*, quod verissimum est. Vid. Metaph. §. 598. Nec his diutius immorabimur. Sed quid de anima habendum? Num forsan ab ea gradû tantum DEUS differt, si pro substantia mundos universos repræsentante habeatur? Neutiquam profecto! Inculcavit enim Definitionis Auctor (*f*) *alteram repræsentationem infinitam esse, alteram finitam*, quis graduum duntaxat intervalla, inter res ita comparatas, agnoscat? Spiritus finitus cogitat, (*g*) DEUS cogitat, nec tamen propterea gradu differt uterque, sed nec Cartesium hujus erroris quisquam coarguit, quamvis ille Spiritus naturam in cogitando posuerit.

(*c*) In Ratione prælect. Wolffianarum. Sect. II. C. III. §. 53. 54. p. 159. 160.

(*d*) In Consilio quod de Philos. Wolff. datum est. §. 5.

(*e*) In annotat. ad consilium istud p. 40.

(*f*) Ibid. cit. loc.

(*g*) Hanc fuisse Cartesii sententiam pervulgatum est.

§. 4.

§. 4.

Omittit celeberrimus Jenensis Doctor, responsionem adversarii sui, de discrimine inter repræsentationem finitam infinitamque, eô scriptô, quô consilium suum primò defendit, (*h*) aliaque examinanda objicit: *Substantiam*, inquit, sic Deum vocari, ab eo, qui Metaph. §. 114. *Substantiam omnium mutationum originem esse doceat*; DEUM vero mutationibus haud obnoxium, quis ignorat? occurrit accusationi isthuic in additamento ad annotationes Professor Marpurgens. (*i*) *Locutum se in Metaphys. de substantiis finitis, non de infinita, quam variationibus cunctis superiorem esse, explo-ratissimis ratiociniis demonstrarit.* Ea responsione haud contentus famigeratissimus Jenensis Polyhistor, *in novo eodemque, ut vocat,* (*k*) *modesto argumento*, quô consilium suum stare inconcussum contendit, suam reprehensionem firmat: *Non tradidisse adversarium substantiæ generalem definitionem, cum igitur DEUM vocitârit eo nomine, aut male hanc DEO adpellationem assignari, aut eum mutationibus affici.* At responderi potest, neutrum imminere periculum. Quid obstat enim, quo minus substantiæ vox, licet ante de creatis rebus enuntiata, eoque non exposita generatim, alio sensu ad Numen significandum transferatur? *talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à subjectis.*

(*h*) Vid. Die bescheidene Antwort auf die Anmerckungen Herrn Wolffens/ &c. p. 56. seqq.

(*i*) In der nöthigen Zugab zu den Anmerckungen. p. 102. seqq.

(*k*) Bescheidener Beweiß, daß das Buddäische Bedencken noch fest stehe p. 5. 8. seqq.

§. 5.

Altera definitionis reprehensio gravior fuit. *Non complecti eam cæteras DEI virtutes, nec enim sola mundorum omnium repræsentatione divinum illud essentiæ pelagus absolvi.* (*l*) *Non sufficere, quod in Commentatione luculenta caussetur adversarius, definitionem rerum discrimen exhibere, sed necessarium esse ut, res definitione collustranda, quoad fieri possit, omnium characterum indicio describatur.* Quô cognitô *indignabatur adversarius Marpurgensis, & istas definiendi methodos improbabat.* (*m*) *Displicuit* etiam, sibimet affingi, *perinde ac si statueret, salvis definitionum legibus, ex parte* (**einiger massen**) *rerum discrimen posse exhiberi.* Non diffiteor me heic facere cum iis, qui demonstrationem (*n*) condituri definitiones tradunt, nonnisi unum, sed primum eundemque fundamentalem rei characterem complexas. Nolo definitionibus intrudere rerum criteria quævis, ne catalogi potius, quàm Definitionis faciem, id quod formamus, referat.

(*l*) Vid. Das Bedencken Herrn Buddäi. §. 5.

(*m*) Vid. Die Anmerckungen Herrn Wolffens dazu, p. 42. not. (n)

(*n*) Non improbo Facultatis cujusd. Theolog. in Academia antiqua MStum monitum, quo præcipuas rerum definitarum conditiones descriptioni inserendas putant, id enim fit in gratiam Tyronum. Nos autem loquimur de methodo demonstrativa, qua usi sunt recentiores nonnulli.

§. 6.

Lis hæc Logica erat, quæ & in ultimis scriptorum Eristicorum paginis ulterius haudquaquam

quam agitata fuit. Illud autem dubium maximi momenti foret, si, quod vult laudatissimus Polyhistor, (o) definitio præsens aquam frigidam illis suffunderet, qui *divinam providentiam oppugnant.* Sensit rei momentum accusatus, quocirca hac quidem responsione usus est: (p) *Si vel maxime Epicurei definitionem adoptarent, nunquam tamen futurum esse, ut ejus ope sententiæ suæ portentum, colore quodam tingere, vel & stabilire possent.* Instabat sequenti scripto definitionis Censor eruditissimus: *Præclare facturum fuisse adversarium, si ex definitione providam DEI circa res quaslibet curam, legitimo nexu elicuisset; at difficile id omnino fore, nullâ aliâ, nisi speculandi in DEO, per definitionem, facultate indicatâ; Providentiam DEI voluntate benigna contineri, nunquam vero tutum esse ratiocinium hoc: Repræsentat DEUS mundos omnes, ergo præsentem curat, fovet, sustentat.* (q) Cui vero definitionis auctor respondit: (r) *Argumenti firmitatem jam reapse in Metaph. stabilitam, etiamsi nemo tam ineptus sit, quin videat, præcipitem fore consequentiam, nisi alia accedant, hanc: DEUS repræsentat omnes mundos uno actu, ergo curam gerit hujus mundi, plura quippe eò requiri, nec in Mathematica licere tyronibus tam esse præcipitibus, ex definitione trianguli omnium consensu probari, quod tres anguli simul sumti duobus rectis sint æquales; neque tamen consultum aut arti consentaneum, concludere hoc modo: Triangulum tribus lateribus est conspicuum, ergo tres anguli simul sumti sunt æquales duobus rectis &c.* Sed ne sic quidem satisfactum videbatur Theologo Jenensi doctissimo, qui ter-

tiô scriptô (*s*) sequentia monuit: *Difficulter persuasum iri atheo, quod repræsentandi* (cogitandi) (intelligendi) *vis cum voluntate conjuncta sit, niti definitionem dogmate dubio. Metaph.* §. 878. &c. Quamvis & huic tertio scripto, aliud adversarius opposuerit, cognovi tamen, eum hæc omisisse aliis gravioribus responsione discussis. Nos autem, mox de usu hujus definitionis, verba facturi, salvo prudentiorum calculô, in id sumus incubituri, ut commonstremus, cum repræsentatione voluntatem esse conjunctam. Quod erudito Doctori forsan si non probabitur, certe tamen haud improbabitur.

(*o*) Vid. Das Bedencken Herrn Buddäi über die Wolffianische Philos. §. 5.
(*p*) Vid. Die Anmerckungen Herrn Wolffens. p. 43. not. (*p*)
(*q*) Vid. Bescheidene Antwort auf Herrn Wolffens Anmerckungen. p. 39. 40.
(*r*) Vid. Nöthige Zugaben. p. 108.
(*s*) Vid. Bescheidenen Beweiß, daß Herrn Buddäi Bedencken noch fest stehe.

§. 7.

Urgebat & alia hanc definitionem dubitatio. Secundô enim scriptô desideratus est ordo. *Independentiam DEI* (sic enim vocatur) *prius animo per definitionem ingerendam, quam repræsentationem mundorum omnium.* (*t*) Non defuit sibi & in hoc negotio adversarius, hac usus responsione: (*u*) *Independentiam posse quidem præmitti, id quod ipse quidem in Metaphys.* §. 938. *comparat. cum* §. 1083. *facilitaverit, interim necessarium non esse, ut*

ut ex sola independentia probetur perfectissima repræsentandi vis, cum nec Cartesiani Independentiam DEI primam virtutem locaverint, in sua de rebus divinis methodô. Improbatur autem & hæc ratio celeberr. Jenensium Doctori. Quocirca tertio scriptô eristicô ita disserit: (x) *Independentiam esse rationem* (der Grund) *perfectissimæ repræsentationis*, hinc *ab illa initium ratiocinandi capiendum. Nec huic eluendæ culpæ, quod alius in Metaphysica ordo cooptatus sit, inservire.* Silentio hoc prætermisit **in den klaren Beweiß** Philosophus Marpurgensis. Interim non difficile est, huic mederi morbo. Suorum ratiociniorum catenæ aliam inseruit definitionem, definitionis auctor præsentis: *DEUM esse substantiam à mundo distinctam quæ rationem hujus in se contineat*: quæ verba, nisi me fallunt cuncta, ab illa, quam desiderant, *independentia*, prorsus non abludunt. Præterea, velim haud gravate advertant, doctissimi definitionis Censores: fundamentum demonstrationis suppeditare hanc definitionem, at in suo genere. Si quæstio formetur summatim, quid sit id, quod vocamus DEUM? non male ad *independentiam* recurrimus, quâ docemur generatim, esse DEUM talem, qui ex se habeat omnia. At ubi speciatim scisciamur, quid igitur habeat, judico fundamenti loco substernendam esse definitionem, de qua disceptatur, eâ enim condocemur quid Supremum Numen possideat. Imprimis, sapientiam, scientiam, & quæ inde intelliguntur, bonitatem, sanctitatem, aliaque generis ejusdem. (y)

(t) Vid.

(t) Vid. Bescheidene Antwort auf die Wolffische Anmerckungen. p. 38.

(u) Vid Nöthige Zugab Herrn Wolffens zu denselben. p. 107.

(x) Vid. Bescheidenen Beweiß, daß das Bedencken noch fest stehe. p. 65.

(y) Conjunxisse videtur utramque notionem Buddæus Theol. Dogmat. p 278. ubi DEUM caractere Spiritûs independentis ornat. Namque Spiritus idea repræsentationem, seu vim intelligendi, animo offert. Vid. Bulff. diluc. p. 457.

§. 8.

Hæc disceptata fuerunt de Numinis definitione, quam dixi, in partem utramque. Sequitur nunc, ut de altera dispiciamus breviter, neque enim eam tot impugnatam telis cognovimus ac priorem. Dixi vero eam his propemodum verbis comprehendi. *DEUS est substantia in se continens rationem universi.* Perreverendus Hal. Doctor Langius improbat definitionem discursu sequenti, cujus verba paulo prolixiora dabo: (z) *DEUS*, inquit, *dicitur substantia, in qua continetur ratio existentiæ universi. Sed non valet definitio. Nam sic etiam anima hominis in hoc systemate describi potest; cum rationem existentiæ suæ habere in aliquo, in hoc systemate nec sit nec esse possit, esse ab aliquo productum, & quidem per creationem ex nihilo; sed tantum versari in ejusmodi relatione ad aliquid, ut posito illo ponatur & ipsum. Unde si hîc inquiras in illam existentiæ rationem, quam mundus in DEO habere dicitur, aliam non deprehendis quam hanc, quod DEUS sit substantia, mundi repræsentativa, & quod hinc*

hinc posita divina mundi repræsentatione, ponatur ipse mundus. Aliud enim est ratio existentiæ quod aliquid existat, aliud causa existentiæ, scil. effectrix, unde existat. Atque ita hæc definitio recidit in priorem. Et eo etiam minus valere potest, quod quemadmodum in hoc systemate animæ tribuitur natura Universi repræsentativa, etsi universum ne quidem adesset, uti vult Idealismus, sic etiam dici possit ac debeat, DEUM habere essentiam universi repræsentativam, seu speculatem, etsi hujus divini speculi objectum, seu mundus, ne quidem existeret.

(z) Legi hæc verba possunt in Nova anatome seu idea analytica systematis Metaphysici Wolff. pag. 73.

§. 9.

Sunt Viri hujus optimi, adversus examinatam definitionem dubia, dudum, aliô quodam Scriptore (*aa*) stringente calamum, sublata. (*bb*) Antea vero, quam alienas responsiones allegem, mentem declaro meam. Non cadit, mea tenui sententiâ, definitio DEI, quod sit *substantia, in quâ contineatur Universi ratio*, in animam hominis, quoniam ratio, non NB. cur mundus existat, sed cur hôc nec aliô modô repræsentetur? in anima contineri solet. Atquî Philosophus DEUM non vocavit substantiam, in qua comprehendatur *ratio repræsentationis* universi, sed, in qua quæri debeat ratio existentiæ ejusdem. Non video igitur, quî posthac objurgari possit ea definitio? Adde si placet, quod, si quis DEUM, Universi causam, definire institueret, à nemine unquam reprehenderetur; est enim ea notio Spiritus S. in sacro codice

cice loquentis, Act. 17. v. 24. Jam verò definitionis auctor, causam jure adpellat, rem eam, *quæ in se alterius rationem complectitur* (*cc*) Ergo hæc ad summum DEUM adplicando, palpabilem isthanc sententiam præstitit, quod Mundi causſam neminem veneretur nisi DEUM. Quæ cum ita habeant, fateor, me cum viri summi verbis sequentibus, facere non posse: *Ut*, inquit, *in hoc systemate animæ vis repræsentandi tribuitur etiamsi mundus non exsisteret, sic DEUS etiam habere potest essentiam universi repræsentativam, licet mundus non exsistat.* Absente enim universo corporeo, anima id repræsentare, per hypothesim fieri nesciam, docendi duntaxat causa (*dd*) tantisper fingitur, revera id contingere, nemini horum Philosophiæ assectarum in mentem venit unquam.

(*aa*) M. Joh. Gottfred. Walthero in den eleatischen Gräbern edit. prim. p. 48. §. 46.

(*bb*) Refutatus enim hic est à Bülffingero, Dilucid. p. 524. §. 440. quem non nominavit.

(*cc*) Metaph. §. 29. ubi distinguitur ratio à causa, tanquam *principium, ut quò, à principio, ut quod.* Intricatissima hactenus fuit doctrina de causis, tum propter distinctionum multitudinem, tum ob Auctorum in dividendo varietatem, tum denique, ob secundarum definitionum, ex quibus, de causis dicenda, sua sponte potuissent fluere, inopiam. Perplacuit igitur, Autoris definitio, utprimum à me adspecta, examinataque fuit. Videbar enim mihi ex ea elicere posse, quæ Musæus, in cap. de causis, aliique paulo confusius & prolixius docebant. Nihil derogo Viris laudatissimis, potest enim & Nanus, Gigantis humero insistens, longius prospiciendo Bajulum superare ipsum. Certe, ni Veteres molem scien-

scientiarum, licet hinc inde indigestam, nobis reliquissent, potuissent Recentiores, deficiente materia, vires experiri nullas. Salvis igitur Patrum laudibus, dicam, quomodo lux affundi possit, doctrinæ de causis, adhibita secundarum definitionum, licet paucarum, perspicuitate. Brevibus defungar negotio. Præstructa generali, Marpurgensis Philosophi, definitione, quod *causa sit id, quo alterius ratio contineatur*, ivi per singulas causarum species & haud sterilem inveni doctrinæ adplicationem. *Si ratio, cur quid existat in actione alterius quærenda, hoc adpellatur causa efficiens.* Vid. Thummig. Ontol. p. 63. Sed reliquas definitiones prætermiserunt recentiores, nunc supplendas. *Si ratio actionis ex cognitione adpetituque agentis oriatur, habes causam impulsivam, eandemque internam. Sin autem & hujus adpetitûs ratio, objecto quôdam comprehendatur, extra agentem sito, vocatur illud causa impulsiva externa.* Sic reliqua causarum genera persequi licebit. *Nam quoties porro, ratio, cur quid existat, aut non in actione aut non in intentione agentis ponitur, appellamus id agens, causam per accidens. Quando que autem ratio, cur quid hôc, aut illo modo existat, contineatur necessariis characteribus, (determinationes alii vocant) qui in re quâlibet primo concipiuntur, in causam formalem incidimus.* Contra *id, quod characteribus istis afficitur, causa materialis adpellari solet*, quo pluribus paucioribusve determinationibus indiget; donec effectus prodeat, eò *materia* isthæc *propior* aut *remotior* vocatur. Sic frumentum panis materia remotaest, propterea quod pluriumgenerumdeterminationes (vicissitudines) frumento subeundæ sunt, donec existat panis. Denique, *si ratio cur efficiens agat, in bonitate rei cujusdam versetur, finalem causam agnoscas, necesse est.* Sed non scribo Methaphysicam, filum duntaxat Ariadnæum ostendo, cujus ductu, auctorum tricis, queis hanc doctrinam involverunt, memet exolvi. Igitur ad rem! si DEUS substantia vocatur, quæ contineat in se rationem, cur existat universum: profecto

fecto id de nullo causarum genere intelligi potest, quam quidem de Efficiente, id quod Methodus, ex Mundi adspectu DEUM investigandi, commonstrat. Sin instituatur examen, numquid mundus ab alio oriatur, nec ne? Quæso an id agitur, ut investigetur adperitus, cujus nisu, creandi actio suscepta, i. e. causa impulsiva? ut inquiratur, quinam characteres primum sint in mundo concipiendi? i. e. quæ sit causa formalis? ut excutiatur, cujus præstantiæ causâ exstiterit mundus? i. e. quæ causa sit ejus finalis? haudquaquam eò consilium spectat; quin potius satisfactum est quæstioni tum, quum dixeris, *in actione* supremi cujusdam entis, rationem, quare exsistat mundus, positam; atqui ea est creatio DEI, quæ Autoris mundi existimationem titulumque, verissime dictum, eidem conciliat. Ut omittam hac vice, definitionis Inventorem, disertis verbis innuere, Metaph. §. 951. quod ratio mundi exsistentis de efficiendi eventu intelligenda sit. Ist der Grund, inquit, in GOtt zu finden, warum diese Welt für andern ihre Würcklichkeit erreicht, ist auch eine Welt vollkommener als die andere; so kan dieser Grund in nichts anderem bestehen, als daß die grössere Vollkommenheit GOtt bewogen hat, die eine für der andern hervor zu bringen. Vid. etiam Riebovii fernere Erläuterung p. 427.

(*dd*) Respondet ipse Philosoph. Marpurg. ad hoc ratiocinium, in annot. ad Metaph. p. 444. edit. prim. §. 286. Wann die Seele, inquit, alles ausser sich sehen würde, obgleich keine Welt vorhanden wär: Würde doch deßwegen den Idealisten nicht eingeraumt, daß die Welt nicht würcklich vorhanden seye, &c.

§. 10.

Omissis reliquis, quæ ab adversa parte, definitionibus hisce duabus, fuerunt opposita; pleraque enim ad vivum usque, ut ita loquar, resecta

ſecta ſunt, (*ee*) convertimur ad indicandum uſum, quò definitiones ambæ, ſanctioribus doctrinis, cum ſucceſſu adhiberi poſſunt. Inſervit nimirum utraque confirmandis DEI reliquis virtutibus (attributis,) nec ipsâ etiam voluntate, de qua tanto dubitabant opere adverſarii, excluſa. Ibimus in rem præſentem, ſpecimine craſsâ licet Minerva concepto; neque enim his ex inſtituto accuratius exponendis ſuppetit tempus. Poſſe ex definitione, quâ non comprehenditur, niſi intellectûs mentio, voluntatis argumentum deſumi negabant doctiſſimi Halenſes & Jenenſes Theologi. (*ff*) Videamus nunquid factu ſit id impoſſibile?

(*ee*) Magiſter quispiam Würtemberga Jo. Fr. *Müller* integrum librum confutandis Rev. Langii contra Wolffium ſcriptis impendit, vindicavitque eodem inſtituto definitiones præſentes, in quo, ſicut pleraque veriſſime dicuntur, ſic pauca absque affectuum æſtu. liber inſcribitur: Sicheres Mittel. &c.

(*ff*) Beſiehe die beſcheidene Antwort auff Hn. Chriſt. Wolffens Anmerckungen zum Buddiſchen Bedencken p. 39. Es ſoll ihm (Hrn. Wolffen) wohl ſchwer werden eine demonſtration zu machen, daß eine Göttliche Vorſehung ſey, wann man ſich von GOtt keinen andern Concept machet, als daß er ſpeculire, und ſich alle Welten auf einmal vorſtelle. Sed vid. Bulffing. Dilucid. §. 424.

§. 11.

Obſervarunt definitionis promachi *generatim*, (*gg*) cum omnia in DEO ſint ταυτὸ & idem, communi Theologorum & Philoſophorum ſententiâ, omnia DEI adtributa poſſe ex omnibus intelligi, idque eſt multo veriſſimum. Sin v. g.

DEO distinctissimam possibilium omnium repræsentationem i. e. immensam, nullo gradu limitatam adsignes, perfectionem statuis numeris absolutam omnibus, nullis cognoscendi cancellis, nullis finibus circumscriptam. Jam rogo te, dummodo *principium sufficientis rationis universale concesseris*, quæ ratio sit, cur hæc summa perfectio exsistat, nunquid ab alio fuerit orta, an vero in se contineat exsistendi rationem? Profecto non dixeris, stabilitam isthanc perfectionem ab alio. Quod si enim ex alio fuisset nata, infinitum ab infinito penderet, quod est absurdum. Igitur infinita isthæc cognoscendi vis rationem exsistendi habet in semet ipsa. Jam temet obtestor, annon Theologi & Philosophi omnes ex notione rei, quatenus exsistendi rationem in semet ipsa habet, omnes DEI virtutes derivent? si immensa illa scientia non est ab illo, quis ei limites posuit, ut in hoc tantum genere (cognoscendi) sit perfectissima, nec etiam in alio foro? (in voluntate, in operatione) an ratio adest, quæso, cur in uno longe consummatissima sit, nec vero in altero? profecto non adest. Ergo, ne quid sine ratione exsistat, fatendum est illis omnibus, quotquot hanc immensam cognoscendi vim concedunt, esse eam cum voluntate, cum operatione &c. conjunctam. Quicquid hic regesseris, id omne pugnabit etiam contra Theologos Philosophosque, qui ex idea independentiæ quaslibet DEI virtutes commonstrant. Nunc quoniam vis ea cognoscendi non exsistere potest nisi *à se*, in simili casu, similis est pronuntianda sententia.

Sic

Sic ego, quæ Bülffingerus, (*hh*) cæterique omnes sine argumento pronuntiarunt, ratiocinio, ni fallor, irrefragabili firmandum suscepi. Desinant ergo tandem tot suspicionibus onerare præsentem definitionem.

(*gg*) Verba Bülffingeri hæc sunt Dilucid. p. 465. §. 425. *si recte rem reputes, certum est, ex omnibus Dei adtributis deduci cætera omnia posse; hoc oportet fateantur illi omnes, qui in DEO fatentur omnia esse identificata, h. e. omnes Theologi & Philosophi.* argumentum positionis nusquam adhibuit.

(*hh*) Bülffingerus cit. loc.

§. 12.

Cum hæc adeo in promtu sint posita, ut disputatione propemodum egere non videantur, cardo controversiæ omnis non in eo jamjam amplius vertitur, an ex infinita vi cognitionis voluntas probari queat? sed ex quanam Dei virtute facilius, commodius & planius cæteræ omnes intelligantur? i. e. quænam in supremo Numine, cæteris exponendis substernendæ? Si in genere respondendum fuerit, dico primam DEI notionem esse hanc, *ut non exstiterit per alium quemvis.* Tum enim demonstratur, ornatum esse DEUM virtute omni. Cum autem speciatim quæsiveris, quibus igitur virtutibus resplendescentem DEUM cernere liceat? respondeo, primam cæterarum velut matricem esse incredibilem isthanc cognoscendi vim. Ne dicas voluntatem sic silentio prætermitti, jubeo enim te in memoriam redire eorum, quæ paulo ante docui, ne tamen cætera negligam, quæ dici possunt, alia via definitionem erroris labe exsolvam. Exprobratum est,

stante ea non esse nos de providentia certos, non de creatione, inanem DEI speculationem solatio vacuam esse &c. (*ii*) Dicam igitur quomodo suos calculos recentiores subducant, quidve innuant potissimum? idque faciam eô ordine & modo, qui & novus videri possit, & ab aliis hujus Philosophiæ expertibus, intelligi, non immemor tamen, cautionis quam hic adhibendam rentur, ne scil. quisquam credat, *quod ex hac sola definitione, non adhibitis aliis veritatibus*, virtutes DEI reliquæ, non exclusis operationibus, possint demonstrari (*kk*).

(*ii*) Besiehe Hrn. Langens bescheidene Entdeckung von der Wolffischen Philosoph. p. 253. §. 7. seqq.

(*kk*) Est monitum Bulffingeri Dilucid. p. 464. *hæ notiones, gubernationis & creationis, resolvuntur in notionem entis intelligentis, atque adeo ab illa pendent, sed non sola aut immediate.*

§. 13.

Exordiamur filum ratiocinii brevissime tamen, nec ad instar demonstrationis, sed crassiuscule pertexendum. Quicquid est necessarium, id rationem sui habet in se ipso, Metaph. W. §. 675. atqui nullus mundi status habet rationem sui in se ipso, ergo nullus est necessarius. Secundæ propositionis veritas ipsô usu comprobatur. Quodcunque momentum concipias, habet rationem in alio antecedaneo, si non haberet, existeret casû. *Casus enim est existentia sine ratione.* Omnes status mundi simul considerati, sunt mundus ipse; atqui eorum nullus est necessarius, ergo nec mundus. Si neges concludendi vim, dicendum

dum est, posse ex partibus, quæ non sunt necessariæ, componi totum necessarium; sed id contingere nullo pacto potest. Ergo nec illud. Fingam tamen tantisper id fieri, ut ex statibus mundi, quorum nullus necessarius est, coeat Mundus necessarius, tum ratio necessitatis in partium collectione posita foret, quoniam partes per se mutabiles, hôc tantum, nec aliô confluxu possent coalescere: fieretque id propterea, quod quædam partes necessariæ manentes, obstarent, quo minus alia oriretur compositio, licet aliæ variabiles essent. Sed id à vero alienissimum est. Quamcunque mundi vel partem, vel statum cogites, semper variabilem invenies, sin igitur omnes sunt mutabiles, omnes sunt contingentes, cumque omnium complexus mundum exhibeat, mundus ipse est contingens. (*ll*)

(*ll*) Confer, quæ prolixius, & alia methodo in sententiam hanc philosophatur Bülffing. de orig. mali. p. 320. §. 369.

§. 14.

His, rudi penicillo delineatis, cognoscitur mundum esse contingentem, ac sui quidem, quod ipsa præsens notio indicat, rationem habere in alio. Metaph. IV. §. 575. Nunc quæritur quis ille sit? Aut & ipse ab alio nascitur, aut exsistit per, & propter se. Illud sin affirmaveris, eadem quæstio recurrit & sine fine quidem, neque enim respondendo quidquam profeceris. *Eadem te quæstio præcurrit.* Agnoscendus igitur est talis mundi auctor, qui per & propter se exsistat, idemque à Mundo diversus, cujus omnes partes alias

ab aliis oriri, paulo ante docendo evicimus. Habes igitur definitionem DEI recentiorem. *Deus est substantia à Mundo distincta, quæ rationem hujus in se continet*, aut hæc ex adspectu mundi veritas colligitur, aut nulla.

§. 15.

Quæ, cum ita sint, ratiocinando ultra provehemur. Si mundus est à DEO, aut sui rationem habet in ejus exsistentia, aut in quadam illius actione. Cave primum dicas. Quicquid enim à se est, illud intelligitur necessarium, & quicquid ab exsistentia necessarii pendet, eodem censû habetur; ergo in contingenti Numinis actione ratio mundi quærenda. Mundum probavi contingentem, eoque & alios possibiles præter hunc. Actio, quâ ex plurium numero possibilium, alterum anteponitur alteri, electio vocatur. Cumque ab actione, ad potentiam agendi, consequentia valeat, perspicuum est, Mundi auctorem eligendi facultate præditum esse. Eam voluntatis nomine insigniri multo est tritissimum. Habet igitur mundi Artifex voluntatem. Aut hanc cœcam dixeris, aut cum cognitione conjunctam: Improbatum iri istud nullus dubito. Est igitur amplectendum posterius *voluntatem Dei cum cognoscendi vi copulatam esse.* Vult igitur DEUS & cognoscit hunc mundum. Sine ratione eum velle haudquaquam dixeris. Igitur ratio est petenda ex cognitione mundorum omnium, inter se collatorum, ut quisnam alteri præferendus sit, potuerit decerni. Omnium vero possibilium cognitio argumento est scientiæ immen-

mensæ, cadit igitur in DEUM distinctissima mundorum omnium repræsentatio, i. e. omniscientia, quia rationem mundi in se continet.

§. 16.

At enim, sic prius voluntas in DEO demonstranda erat, quam quidem vis cognoscendi. Sed salva res est. Annon rationem voluntatis petiimus ex intellectu, nihil enim quisquam vult, nisi cognitum prius. Est igitur in methodo analytica, quæ argumentandi initium ab experientia sumit, ut hucusque factitavimus, incipiendô ab obviis sensui in mundo mutationibus, est, inquam, voluntatis cognitio prior, quoniam à *principiatis* pergimus ad *principia*, at ubi methodum syntheticam secuti descendimus à *principiis* (definitionibus) *ad principiata*, intellectus ideam priorem esse, luce meridiana clarius est. Quis enim nescit definitiones & propositiones identicas (sic enim vocant) principiorum loco haberi.

§. 17.

Series igitur demonstrationis exsurgit â definitione intellectus, quippe qui rationes voluntatis in se complectitur. Quis igitur dicat, eum ab hac ita separari, ut non adscribatur DEO nisi speculandi facultas, quis jure hanc methodum objurgaverit? Minuant igitur Censores laudatissimi, quod in hanc definitionem conceperunt, odium. Intelligantque quam illa rebus explicandis præsentibus adcommodata sit. Etiamsi enim probandæ DEI existentiæ non inserviat,

quod nec necessum est, facit tamen ad demonstrandas ordine affectiones DEI omnes, in consilium auxiliumque vocatis, cum quibus connectenda est, cæteris veritatibus. *Ubi sunt motiva adpetendi, eademque cognita, ibi, quum graviora argumenta non obstiterint, non potest non sequi adpetitus*: esse vero in immensa, quam indicat definitio, cognoscendi vi, motiva adpetendi omnia, queis graviora obsistere non possunt, *quia omnia sunt*, paulo ante ivimus demonstratum, §. 15. Non est igitur cur quisquam dubitet, cum ea semper voluntatem conjunctam esse, nec non ex ea posse comprobari. *(mm)*

(mm) Habes hic argumentum verborum, quibus Bülfing. utitur Dilucid. p. 463. 464. *Vim infinitam intelligendi posse consistere in ente voluntate destituto, ergo non admitto*, supersedebat enim probando.

§. 18.

Ita voluntatem, quod quæstionis caput erat, ex definitione utraque probavimus. Sed quid de provida DEI circa universum curâ, habendum? forsan ex definitionibus saltim hæc evinci nequit? absit longissime! primo quidem *creatio*, quid aliud *est*, quam *actio DEI, quâ ratio continetur existentis universi?* atqui divina actione rationem Universi comprehensam §. 15. ostendi, ergo & creationem divinam eôdem demonstravi negotio. Si DEUS res creat, conservat quoque. *(nn)* *Quid ita?* inquis. Ratio est in promtu. Ubi primum res ex nihilo emicuit, rationem existentiæ accepit ab alio. Sic enim modo obtinui arguendo. Numquid verò, secundo creationis, tertio, quarto

to &c. momento incipit eſſe à ſe, num, quoniam rationem exſiſtendi, prima vice, ab alio ſortita eſt, ſecundâ, tertiâ, &c. non amplius ab alio habet? quis hoc dicat? deſineret enim res eſſe quod eſt, dependens, quod abſurdum. Ergo per omnia durandi momenta, tam ab actione alius pendet; quàm in primo. Cumque ab actione alterius exſiſtentiam accepiſſe creationem ſignificet; non ſolum res conſervatur ſed continuata etiam creatione ſubinde denuo efficitur. Quæ ipſiſſima Theologorum omnium, Eccleſiæ proteſtantis, nec non Philoſophorum ſententia eſt. Quid de concurſu, quem vocant, loquar? quô DEUS rerum creatarum actiones nutu potentiſſimo velut animat? eſt in rebus creatis agendi vis, eſt & virium illarum ad certa, quæ obſervantur, directio. Vires *poſitivas* vocamus, directionem; qua hac tendunt nec illac, limites vocare ſueverunt. *Actio enim rerum creatarum terminatur ex objecto.* Qui immenſa operandi vi pollet T. O. M. DEUS, ejus actio omnibus efficiendis (*oo*) idque uno nutu idonea eſt. Directio eſt virium limes, præſtat enim, ut huc extendantur, nec aliorſum, ut hac nec ultra. Nunc quæritur an vis illa agendi *ab alio ſit?* eſt utique, idem ille qui te exſiſtentem exhibuit, præſtitit quoque operantem, i. e. ille concurrit ad conſervandam tuam agendi vim! Directionem non addit, niſi primô momento, eamque in bonum ſpectare jubet. In ſecundo momento, vim conſervat, directio autem pendet ex ſtatu priore, & ſic porro; niſi forte neceſſarium fuerit, quod fit in regno gratiæ, ut novâ operatione dirigenda

vis sit ad virtutem Christianam. Est ergo DEI ad actiones concursus, si rationem quidem continet, quare universum exsistat. (*pp*) *En fecunditatem definitionis controversæ!*

(*nn*) Quantum religionis momentum in Providentia situm sit, Bayle declarat Dictionaire edit. tert. p. 1807. quod mirum videri potest.

(*oo*) Potentia DEI ad omnia diffunditur, neque ad certa dirigitur, cæteris exclusis. Directio igitur non est actio, sed actionis limes, quia a DEO exulat, Conferat Bülffinger. de Harmon. præstab. p. 55. §. 55.

(*pp*) Absum à Durandi sententia, qui DEUM creatis nonnisi facultatem concessisse docet, neque putat concurrere ad actiones in individuo. Primo enim multum interest inter agendi vim, & potentiam; post observandum, DEUM actionibus quoque in individuo non deesse. Licet enim non concurrat ad actionis directionem i. e. limitem, confert tamen operationem suam ad vim, quæ aliquid in rerum natura ponit, non, uti limes, negat. Atqui in qualibet actione singulari, vis exseritur, ergo & ad quamlibet singularem DEUS accedit, vim sustentando.

§. 19.

Quod de una definitione ostendi, ostendam quoque de altera. Nec illa sterilis est. *DEUS adpellatur substantia distinctissime pernoscens possibilia quævis.* Atqui, §. 15. probavi, eumdem illum, qui universi rationem in se contineat, pollere etiam vi intelligendi immensa, (ad omne possibile cognoscendum) ergo qui omnes mundos distinctissime repræsentat, est auctor mundi (rationem hujus complectitur) qui auctor mundi, is creator, qui creator, is conservat exsistentiam rerum, qui conservat exsistentiam rerum, actio-

actiones quoque earum ſuſtentat. *Hæc omnia paulo ante connexa eſſe oſtendi*: Cur igitur negaremus, poſſe ex vi repræſentandi mundos omnes, cæteras DEI virtutes intelligi? At enim non elicui eas ex ſola definitione, nec absque alterius veritatis ſubſidio, non ſum argumentatus: *Deus omnes mundos diſtinctiſſime repræſentat, ergo Stator potens, voluntate præditus, rerum conditarum Arbiter, vinum agendi diribitor eſt*: Sit ita ſane! non ita arguebam, ſed nec volebam, nec (*qq*) debebam id facere, nulla ergo inde culpa mihi imputari poteſt. (*rr*)

(*qq*) Monitum conſulto ſecutus Bulffingeri Dilucid. p. 464. ſuadendis, ne *ex repræſentatione mundorum omnium ſola aut immediate* DEI regimen inſereatur.

(*rr*) Ex idea ſubſtantiæ, quæ rationem mundi contineat, probavi DEI creationem, conſervationem, concurſum, §. 18. Cum igitur idem Deus repræſentet omnes mundos, §. 17. interventu illius definitionis poſſunt ex hac erui, quæcunque adverſarii negabat.

§. 20.

Puto ita ſatisfactum eſſe deſideriis eruditiſſimorum diſſentientium, qui, cum nemo ex recentioris Philoſophiæ Patronis, ob inſtituti rationem (*ss*) doceret, quomodo ex definitionibus indicatæ veritates conſequerentur, eo tandem devenerunt, ut crederent, id fieri prorſus non poſſe. Atqui fieri id potuit, aliter à me factum non eſſet, imo vero id factum etiam tum eſt, ſi fundamenta rei hinc inde jacta, in Bülffingeri aliorumque ſcriptis, ſpectes. At non debuerunt rem enuntiare *hâc methodo*, *his additamentis*, quo-

quoniam alio consilio, alia occasione scribebant, sunt ob eam causam excusandi, laudandi. Credo etiam, me vano promissorum adparatu lectorem non elusisse. Pollicebar doctrinam nexûs, quò præcipuæ DEI virtues operationesque cum definitionibus reprehensis conjungerentur, steti vero promissis, omnia, sed breviter ex definitionum harum fontibus hauriens, quæ alii hauriri posse negabant. Si errare me dicas, necessitas tibi imposita est, ostendendi, me in illo nexu explicando sophismatibus, vel falsis doctrinis usum, i. e. me in *forma* vel *materia* ratiocinionum admisisse errorem. An id fieri possit dubito, stat igitur firma fixaque sententia, velut Marpesia cautes, definitionum, quas frequentissime dixi, *usum in Theologia esse longe maximum*, id autem scribendi consilio respondere, manifestum est.

(ss) Wolffius in der Zugab zu den Anmerckungen, ita loquitur: daß man vermeynt ich hätte um Herrn Buddens Beschuldigung zu heben, von der deutlichen Vorstellung aller Welten auf einmahl / die Theologiam naturalem (adtributa Vorsehung und Schöpffung) deduciren sollen / so darff man nur lesen / was ich in der Erinnerung wegen der Einwürffe §. 10. geschrieben / daß dergleichen Leute / die das Lehrgeld mit Schimpff-Worten abtragen wollen, nicht werth seynd / daß man sie unterrichtet &c. Nec clariss. Riebov. nec Excell. Bulffing. ex instituto voluntatis, operationis &c. nexum cum definitionibus ostenderunt, contenti dubiorum solutione, & generali rerum indicio. Vid. Riebovv. in der ferneren Erläuterung p. 222. seqq.

SECTIO

SECTIO II. CAPITIS I.

De Exsistentia DEI.

§. 1.

EXsequuti sumus institutum de iis, quæ pertinent ad Sectionem primam, promoto ad secundam gradu, dispiciemus, quid in probanda DEI existentia Philosophi, maxime recentiores, præstiterint? Primo quidem tantum abfuit, ut eximiam in hoc negotio operam hos navâsse nonnulli existimarent, ut potius ab ipsius Atheismi labe non exsolvendos contenderent. Exprobratorum igitur Atheismi criminum prius faciemus mentionem, quam ad ostendendam Recentiorum doctrinæ progrediamur utilitatem. Cogamus in arctum, quæ Viri Præstantissimi ultrò citroque agitârunt. Displicet excellentissimo Jenensi Theologo, *quod solidissima, quæ vocat, pro existentia DEI argumenta damnaverit adversarius.* (*a*) Cui Philosophus occurrit, *hiatu laborare concludendi nexum, nec rationi consentaneum, ut qui unum argumentum cæteris anteponit, Atheismo latam recludat portam.* (*b*) *Addit se cæteris missis non plane contemtis, propterea in unum duntaxat ratiocinium propendere, quod istud extra telorum ab Atheis vibratorum jactum esse sibi videatur; quin monet se in commentatione luculenta §. 34. p. 5. seqq. docuisse, quomodo & cætera argumenta, si mens non læva sit, ad ingentem demonstrandi vim revocari queant, iniquam igitur Atheismi exprobrati crimi-*

natio-

nationem esse. Cum eodem loco summus Jenensium Theologus urgeret, *etiamsi Adversarius quendam ratiociniis pro existentia DEI usum in Monito ad Comment. §. 2. non deneget, tamen id magni faciendum non esse, quoniam vel probandi robore, quod Adversarius in argumentis desideret, polleat, vel eodem careat: sin hoc, frustra fuisse argumentis illis tot opposita dubia, sin illud adfirmaverit, usu revera cætera carere cuncta:* explicuit mentem Philosophus, *habere ista argumenta usum in suo genere, ad probanda DEI adtributa, in existentia DEI commonstranda parere duntaxat certitudinem* (sic enim vocavit) *moralem.*

(*a*) Besiehe das Bedencken des Herrn Buddäi über die Wolffianische Philosophie §. 1.

(*b*) Besiehe die Anmerckungen Herrn Wolffens p. 12. - 18.

§. 2.

Non deerat sibi, secundo, quo consilium tuebantur, scripto celebris Theologus, qui iterata vice hæc regessit. *Falso caussari* (*c*) *adversarium tot in argumentis pro existentia DEI cæteris difficultates; Nam etiamsi ratiocinia quævis, ab ordine, & structura universi desumpta niti rerum ordinatarum contingentia soleant; tamen inde disputationem contra Atheum susceptam non fore justo prolixiorem; cum & in adversarii de contingentia argumento non minus probandum sit, quod res contingentes sint, quàm in ratiociniis ab ordine & structura mundi depromtis, quæ utique rerum contingentiæ superstruantur: subjecit Vir longe doctissimus, quoties de mundi ordine à probaturis DEI exsi-*

exsistentiam instituatur sermo, intelligi ordinem Physicum, qui, cum contigens & exquisitissima sapientia stabilitus sit, autorem omnino arguat, firmumque præstet ratiocinium: Ubi ordo, ibi ordinans. Nonigitur ratiocinium niti præmissa falsa, quod adversarius caussetur, in rat. prælect. p. 155. §. 42. Subjunxit dein Vir summus quædam *de discrimine inter demonstrationem Mathematicam & Philosophicam*, quam adversarius confuderit, quæ egomet non intellecta recensere nolo.

(c) Vid. Buddæi bescheidene Antwort auf Wolffens Anmerckungen p. 11. 12. 13. 14. 15.

§. 3.

Quæ fuerit ad hæc Marpurgensis Philosophi duplicata responsio jam jam videbimus: *mirari se, cur difficultates, præter necessitatem, argumentis oppositæ fuisse dicantur, cum easdem difficultates & ipse Jenensis Theologus alibi libro ratiociniis pro exsistentia DEI obverterit, atque e. g. ultro fuerit professus* Philos. Theoret. P. VI. c. 3. §. 4. p. 359., *quod in disputationis contra Atheos argumento ex notitia insita deprompto non sit utendum: Concedi quod cæterorum ratiociniorum vis in contingentia ponantur, eo ipso autem non dissimulari, recte à se factum, qui argumentis cæteris missis huic uni institerit; imò, si fatente Theologo, cætera argumenta non probent, etsi adhibitô contigentiæ documentô, cur Veteres quos defendat, ea methodo non sint usi? quem enim unquam in ratiociniis à finibus, ordine, structura Universi derivatis ad contingentiam provocasse? nec ipsum Theologum in* Philos. Theoret. part. 6. c. 3. §. 9. p. 361. 362. *quam*

quam nunc doceatur, contingentiam suis argumentis præstruxisse; imo nec in thesibus quidem Atheismi, ubi ex instituto Atheos impugnaverit: Cum igitur de contingentia hactenus non distincte, cogitatum sit, laudes non vituperia sibimet deberi, quod argumenta emendaverit. Hucusque generatim axiomatis loco, dubio omni majoris, fuisse adoptatum illud: ubi ordo ibi ordinans, à se autem, quod ex mathematicis instantia dari possit, cautionem adhibitam, ostensumque fuisse, ubi ad Minorem propositionem descenderis. Atqui *in mundo præsenti est ordo: confugiendum ad contingentiæ argumentum, in quod tandem vis omnis probandi erumpat*; Addit, quod gravissimum mihi visum fuit, *Theologum Jenensem quidem, argumentis ab ordine & structura universi petitis, medicinam adhibiturum, se monente, fuisse, præstructâ, illis fulciendis contingentiâ ordinis in universo; at non docere hoc modo suis doctrinis consentanea, quippe qui Philos. instrument.* P. IV. C. 3. §. 9. p. 283. *naturæ ordinem necessarium pronuntiaverit, affirmando, quod, quicquid naturæ ordine fiat, necessario fiat* &c. &c. (*d*).

(*d*) Legi hæc omnia possunt in der nöthigen Zugab zu den Anmerckungen über Hrn. Buddäi Gedancken p. 74. sequentibusque.

§. 4.

Nondum hôc locô contentio ista substitit, ulterius, tertiô scriptô existicô, dubia sua urgente Theologo Jenensi. (*e*) *Uti in Adversarii ratiocinio, propositio minor, quod scil. mundus contingens*

tingens sit, veniat probanda, sic in argumento ab ordine rerum petito, à minore propositione, ordinis obvii contingentiam commonstrandam, quô pactô non destituantur usu, ratiocinia ab Adversario improbata. Repetit deinde Vir summus, quæ de ordine scriptô dixerat secundo: *nimirum eos qui argumento ab ordine universi desumto utantur, non intelligere nisi ordinem rerum naturalium, ex hoc utpote contingenti, legitimam necti posse ad præsentiam Auctoris consequentiam.* Tertiâ tandem vice calamum strinxit Philosophus Marpurg. longeque alia disputandi methodo usus, aliam controversiæ faciem formavit. Nimirum Theologi Jenensis accusatione, quam in consilio suscepit, repetita, rationes Viri præstantis subjecit, quibus ista niteretur, eô consiliô, ut rationum infirmitatem, suorumque dogmatum palpandam præberet veritatem. Subjunxit etiam subinde quæstiones, ad quas ex instituto voluit, ut sibi respondeatur.

(e) Vid. den bescheidenen Erweiß daß das Buddäische Bedencken noch fest stehe. p. 35. 36.

§. 5.

Quærit enim, cum insolens argumentorum pro existentia DEI contemtor adpellatus fuerit. (f) *An isthac criminatio exinde possit probari, quod ex Universi ordine noluerit ducere argumentum, donec prius contingentia ordinis demonstrata sit,* (g) *an ex eo firmari queat, quod noluerit ex finibus rerum ad existentiam DEI arguere, ne committatur petitio principii, allegando fines pro ratione quibus conclusio supponitur?* (h) *Annon ex rat. prælect. §. 36. p. 153. pateat, consilium Philosophi fuis-*

se, non destruere ratiocinia, sed invicto robore firmare, & ex omnibus eligere argumentum efficacissimum, ad firmandam victoriæ certioris contra Atheos spem? cur igitur contemtor vocetur, cur tot criminationibus exponatur? Fateor hæc talia me movisse. Theologi Jenenses Halensesque suspicione Atheismi onerabant Philosophum Marpurgensem, allegatâ ratione. *quia missis omnibus argumentis, in uno,* (de contingentia) *collocet fiduciam.* Cum ad certamen de neglectis à Philosopho argumentis perventum, fassi sunt ipsi, *contingentiam cæteris argumentis præstruendam, perperam tamen egisse Philosophum, qui cætera repudiârit, quæ quippe, adhibitâ in subsidium contingentiâ non, ut Adversarius opinetur, sint omni destituta usu.* Quamvis igitur cogitaverim, lectâ Theologorum exprobratione, *verum esse, quod de usu cæterorum argumentorum hoc sensu dicant, deferendam contra Philosophi ratiocinio palmam, nam cætera probare propter hoc, non vicissim; propter quod unum quodque tale sit, illud esse magis tale* : Tamen cum in lucem emisso tertio Philosophi scriptô, curatius animum adverterem, non id agi, an utcumque, ex Philosophi præceptis, cæteris argumentis quispiam usus adjudicari queat; sed an is, qui annotavit, vim probandi omnem, in ratiocinium de contingentia erumpere, Atheismi propter eam causam reus sit, dignusque qui exsilio plectatur; obstupui, nec potui, quin innocentiam agnoscerem longe maximam.

(f) Vid. Klahren Beweiß daß Herr Buddäus die ihm gemachte Einwürff einraumen müsse &c. p. 54 55. leqq. Sub initium consilii. §. 1. heißt es: Wolff verwerffe die argumenta insolenter Weiß.

(g) Vid.

(g) Vid. Tract. idem. cit. loc.

(b) Rogo submisse Eruditos, ut animum adplicent, an non in hoc arguendi genere circulus insit vitiosus? *Ubi sunt rerum fines, ibi est, qui propter fines agit, efficit. Atqui rerum in Universo omnium sunt fines, ergo est qui agit propter eos, efficitque. Finis est id, cujus gratia intelligens agit.* Hæc est genuina finis definitio. Substituamus jam in locum definiti definitionem ipsam, Minori propositioni inserendam, argumentum ejusmodi emerget, cujus Minor manifestissime principium petit. *Ubi sunt rerum fines, ibi est, qui propter fines agit, efficit: atqui rerum in universo omnium sunt certi respectus, quorum gratia intelligens agit*, (ecce finis definit.) *ergo est, qui agit progter eos respectus, efficitque.* Quis non agnoscat formæ vitium? Minor enim propositio complectitur definitionem finis, quâ surrogatâ, in lucem prodit fallacia. Ergo non potest ad usus rerum provocari, nisi prius, Deum esse, probatum iveris. An recte colligo? *quia sunt rerum fines, ergo exstitit rerum auctor.* perinde ac si dixerim: *Quia propter res universi efficiens causa agit, ergo est causa efficiens.* Num antecedens Atheus concesserit?

§. 6.

Non dissimulo, aliud etiam argumenti, de contingentia, Patrono dubium, præter ea, quæ paulo ante dixi, adversum esse, quod maxime hanc attinet causam. (i) *Frustra nimirum*, dicebant, *in argumento de contingentia victoriam quæri ab eo, qui nexum Universi eventibus tribuat stoico fato non absimilem, quique (k) ipsas causas liberas Mechanismo subjiciat, quod ex Metaphysica §. 767. intelligatur; quamvis enim Philosophus in commentat. & monito ad commentat. (l) discrimen constituere voluerit inter necessitatem absolutam, & hypotheticam, quarum hanc, non illam eventibus semet*

adscripsisse dicat; Tamen & hypotheticâ, quam vocant, necessitate in naturæ cursu concessa, fatum stabiliri libertati inimicum: Non sufficturam responsionem, quâ forte Adversarius ad contingentiam in ortu mundi sit provocaturus; namque contingentiam ortus mundi, non posse cognosci, nisi ex rerum operationibus; ubi vero operationes mundi, ad instar motuum horologii, serie haudquaquam turbata, eveniant, nunquam nos in notitiam perventuros, ceperintne operationes contingenti ratione, nec ne? Admissa ea opinione, Atheum reclamaturum: Si Deus esset, non condidisset Mundum liberis hominibus vacuum: Imo, qui DEO necessitatem imponat condendi optimum, illum parum abesse, quin DEG Libertatem abjudicet. Conjungenda cum his reliqua, quæ Adversario suspicionem creent, qui v. g. *Moral. §. 368 p. 321. scribat: non esse ferendum ut Ecclesiæ Doctores, Viros judicii gloriâ florentes in suspicionem Atheismi adducant &c.*

(*i*) Besiehe die bescheidene Antwort Herrn Buddäi auf die Anmerckung Herrn Wolffens p. 19.

(*k*) Besihe wiederum eben dieselbe. p. 27.

(*l*). Vid. eundem Tract. p. 28. Dedi operam solicite, ut prolixiorem discursum in compendium mitterem, omissô ullo ratiocinii robore.

§. 7.

Sed quid ad hæc Marpurgensis Philosophus? Parata erat responsio, *neç argumenti antecedens, nec ejus consequentiam legitimam* pronuntiabat. (*m*) *Non illud, nunquam enim se eventus mundi necessarios docuisse, quin potius probasse semet contrarium* Metaph. §. 577. *Simile ab Horologio petitum* (*n*) *non*

non indicare doctrinam necessitatis, horologii enim structuram contingentem esse, etiamsi motus continuum sequentes ordinem, non amplius iidem futuri essent, si quæ per externam manum in iis mutarentur; mensam, v. g. licet resectis angulis, desinat esse quadrata, rotundamque figuram induat, non tamen propterea necessariam fieri; ita explicandum Metaphysices paragr. 565. qui adversarios male habeat: quam illam, aut qualem consequentiam esse: Sunt mundi eventus singuli, per antecedentes determinati, i. e. certi facti, ergo non existit mundus ratione contingenti; dat instantiam ab horologio: Conqueritur porro, falso semet accusari quod causas liberas mechanismo subjiciat, & si vel maxime subjecisset, eum errorem non obstiturum fuisse contingentiæ mundi: non posse enim ex libertate hominis nec DEI existentiam nec contingentiam rerum probari. Addit Vir acutus, se in annotat. ad Metaph. §. 205. Contingentiam universi distinctius probasse quam ante se quemquam; Dicit porro electionem mundi optimi cum libertate consistere, nec Deum ad id faciendum cogi, sed suâ ipsius sapientia suadente in optimum ferri, (quod & à sapientissimis fieri solet hominibus, ut non ineptiant, haud furentur &c. licet omissio necessaria non sit) in probanda DEI existentia maxime spectandum esse, an mundus in se potuerit esse alius atque alius, non opus esse, ut investigetur, necessarione à DEO creari debuerit nec ne? posse morali necessitate Artificem opus in se contingens struere: Denique fatetur noster, se nunquam patrocinatum Atheismo; licet enim inanes, quibus Viri præstantes affiguntur, Atheismi suspiciones

improbet, tamen se sententiam isthanc corroborasse sit. loc. quâ Atheis in re publica non ferendis dicantur.

(*m*) Besiehe Herrn Wolffens Zugab zu den Anmerckungen p. 84.

(*n*) Besiehe eben dieselbe. p. 86.

§. 8.

Credens hîc futurum fuisse, ne lites sedarentur, sed ultra sunt provectæ. Tertio scripto eristico Theologus Jenensis adversarium ita excepit, ut negaret distinctionem, inter necessitatem hypotheticam absolutamque, liberando auctori sufficere, secundum ejus enim doctrinas nexum eventuum actionibus creaturarum fatum imponere, instantiam ab Horologio petitam, quâ à catenatis & h. m. necessariis eventibus contingentia ortûs non excludi probetur, prævisam & occupatam fuisse, in der bescheidenen Antwort p. 28. 29. (*o*) Nihil autem eandem facere ad Rhombum; cognosci ex motibus horologii necessariis ortum contingentem, eoque artificem; quia ipsa operis natura motus necessarios postulaverit; at aliam esse mundi rationem: Cum nemo facile necessitatem eventuum ejus probare possit, semper fore, ut Atheus ogganiat: minus consentaneum DEI, si quis esset, bonitati futurum, qui mundum creasset liberis hominibus vacuum, cum tamen nulla ad id necessitas adegerit.

(*o*) Vid. hæc in dem bescheidenen Beweiß / daß das Buddäische Bedencken noch fest stehe, p. 40. seqq.

§. 9.

Cùm ad hæc diluenda animum adplicaret Auctor recentioris Metaph. quærebat ex Theolog.

(*p*) Cur

(p) *Cur non probet, quod hypothetica necessitas rebus imponat fatum, ex sua sententia, cur criminetur, libertatem hominis fato subjici, ostensum à se contrarium; Necessitatem absolutam contingentiæ addi posse, falso sibimet affingi. nec eo pertinere simile de horologio; Mundi optimi delectu, si vel maxime necessarius esset, uti non sit, necessitatem absolutam tamen non introduci &c.* Pace virorum tantorum dixerim, quæ mihi sententia sedeat. Existimo, Dn. Buddæi verba §. 8. citata, ab adversario non eo sensu accepta esse, ac debebant. Mirabatur Theologus præstantissimus, (q) quod Philosophus Marp. affirmet, posse cum necessitate contingentiam mundi, & existentiam Numinis conciliari, displicebat simile ab horologio petitum, ut paragrapho anteced. ostendi: Puto locutum esse celeberrimum Polyhistorem de necessitate hypothetica naturæ. Est, ni fallor, hæc ejus mens: *Simile adversarii non esse ad litem præsentem accommodatum, posse in horologii motu necessitatem regnare hypotheticam, eâque non obstante Artificem cognosci, quia motus illius necessarii libertatem respuant; at ex mundi necessitate licet hypothetica, difficulter Atheum de Conditore persuaderi, quisnam sit regesturus, in mundo libertas, si Deus foret, locum habere posset, horologio non potuit libertatis donum addi.* His lectis, existimavit Philosophus, sibi sententiam, de absoluta mundi necessitate affingi, eamque hîc impugnari. Minime vero! aliena igitur videntur, quæ respondere instituit. Interim facilis est ad verba Theologi Jenensis responsio alia: Naturæ even-

eventuum Catenæ non inseruntur homines liberi, possunt ea non obstante agere hoc, & agere illud: hodiernæ tempestatis amœnæ causas perpetuâ retrò serie usque ad creationem licet extensas, mihi nonnisi occasionem excurrendi in campos præbere novi, non obstante enim sudo isthoc cœlo, potui excurrere, & non excurrere, facere hoc aut illud. Quamquam id certum sit naturæ nexus plurimos adpetitui nostro prævisos adtemperatos esse. Ruit igitur suâ sponte Atheorum ineptum dubium, à Viro adlatum præstantissimo.

(p) Besiehe den klaren Beweiß ꝛc. p. 70.

(q) Besiehe den Bescheidenen Beweiß Herrn Buddæi p. 40. sub init. conferri possunt, qui plura alia in hoc argumento dubia expedivetunt, Riebovv. in der serneren Erläuterung cap. 5. p. 230. Bulffinger dilue. p. 417. § 385 Müller in dem sichern Mittel ꝛc. p. 75 Item Anonymi kurtze Beantwortung der strittigen Fragen aus der Wolffianischen Philosoph. nach dem Sinn der Theol. protestant. in der Schutz-Schrifft wieder Idirpium p. 54. Commentatio Anonym. p. 76. de DEO anima & mundo. Ipsius Wolffii annotat. ad Consilium Halens. Theolog. facultatis p. 3. seqq. Commentat. Luculent. p. 3. seqq. Monit. ad Commentat. p. 7. seqq.

§. 10.

His ita enarratis, penes lectorem, non penes me, judicium est, num jure an injuriâ Atheismi nota recentioris Philosophiæ Patrono inusta sit? Id ego novi, non hodie demum, ita agi cœptum. (r) Cum de expugnando Atheismi detestando crimine complures & olim & nunc fuerint soliciti, (s) interest examinare quid hodieque à Viris præcellentibus eximii sit præstitum?

Non

Non dubito mea facere verba Crenii (t) *Pauca*, inquientis, *nec satis elaborata, Protestantium contra Gentiles, Atheos, Deistas, Judæos, Semi-Judæos exstant scripta, non quod summi nostri Viri rem non intelligant, aut tergiversentur, aut diffidant, aut difficultatem metuant; sed quod justum tempus his rebus impendere nequeant.* Facio, inquam, mea hæc verba, non ex omni ratione, sed ex parte. Non laboramus, opinor, talium librorum, in omni hoc genere, sed in quodam, penuriâ. Si convertamus in eos mentis aciem, qui adversus Atheos felici decertârunt pugna, subjicientur oculis complures Viri doctissimi. Nos, quid ex Leibnitii aliorumque inventis, hac doctrinæ parte sperari possit? paucis declarabimus.

(t) Nota sunt Alberti Christ. *Rothenii Atheistica Thomasiana* é scriptis Thomasianis illustrata quidem, sed & confirmata, proposita mense Februario 1698. Pertinet huc, quod ipse Thomasius conqueritur in Fundament. Jur. Nat. &, Gent. edit. quart. p. 24. se propter sententiam *de consilio naturæ, non lege, per apertam calumniam violatum esse; in Collegiis privatis eorum, qui loqui ament:* Daß Himel und Höll daran hange, wann man nemlich die præcepta naturæ nur vor Consilia halt. Scripsit Hubert de Versé *Impie convaincu*, in quo Cartheſium accusavit, *quod naturam constituat Deum.* Johannes Regius emisit *Cartesium Spinosismi Architectum*, cui licet Andala *Cartesium Spinozismi everſorem*, opposuerit, confutatus tamen est per *responsionem apologeticam.* Vid. neue Zeitungen von gelehrten Sachen. 1720. pag. 18. Quæso, quis hodie tot Virorum eximiorum accusationibus movetur?

(s) Historiam Atheismi breviter delineatam dedit Jenkin, Thomasius 1713. Præcipue nostris temporibus contra Atheos egit Jacquelot, *in dissert. de existentia Dei, ubi veritas hæc demonstratur per universalem historiam de prima Mundi antiquitate, per refutationem systematis Epicuri, Spinozæ &c. Hagæ Comit. 1697.* Vid. Acta eruditor. german. part. 27. p. 193. Addatur *Jehan. Ray. existentia & sapientia Dei manifestata in operibus creation.* ex Anglica lingua in Gallicam translat. Ultrajecti. 1714. Conferat: *Monsieur Ferrand de la Connoissance de Dieu. Item Fenelonii demonstration de l' existence de Dieu, tiré de la connoissance de la Nature, & proportionée à la foible intelligence de plus simples.* Prodiit liber auctior 1719. subjunctæ sunt reflexiones Patris Tournemini. Judicium de libro extat in den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen. ad ann. 1720 Sed quid opus est hisce recensibus? universam Atheismi litterar. hist. tradidit *Ioh. Alb. Fabricius in delectu argumentorum, & syllabo scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ adversus Atheos &c. lucubrationibus suis adseruerunt. Hamburg 1725.* de Tolando, Collino consule Dn. Buddæi Thes. de Atheism. §. 27. p. 194. innumera cætera non addam.

(t) Verba sunt Th. Crenii in præfatione, Christoph. Helvici Elenchis Judaicis, præmissa, Lugdun. Batav. p. 4.

§. 11.

Tribus, meo judicio, momentis emendatior est Leibnitii aliorumque de DEO philosophandi methodus, quam eorum, qui ordinaria viâ incedunt: primo namque explicatiores de contingentiæ argumento notiones præbuerunt; post principii, quo omnium rerum existentium ratio sufficiens exigitur, fecunditatem immensam (u) detegentes, quantum istud adjumenti in

in probanda DEI exsistentia adferat, Primi monuerunt. (x) Denique Cartesii argumentum, de quo supplendo complures spem abjecerant omnem, fulciri posse, ubi calculos recte subduxerimus, publice significabant.

(u) Confer Recueil de diverses piéces par Leibniz, Clark &c. T. I. p. 147. Ep. V. §. 126. J' ose dire, que sans ce grand principe on ne sauroit venir à la preuve de l' exsistence de Dieu, ni rendre raison de plusieurs autres veritès importantes.

(x) Cartesii sentent. lege Meditat. III. Princip. p. 18. ubi ita disserit: *Cætera omnia ex quibus rerum corporearum ideæ constantur, nempe extensio, figura, situs, motus &c. in me quidem, cum nihil aliud sim quam res cogitans, formaliter non continentur; sed quia tantum sunt modi substantiæ, ego autem substantia, videntur in me contineri posse eminenter. Sola restat idea Dei, qui est immensus, independens summe intelligens, quæ omnia talia sunt, ut quo diligentius advendo, tanto minus à me solo profecta esse videantur. Nam quamvis idea substantiæ in me esset, quia sum substantia, non tamen esset idea substantiæ infinitæ, cum sim finitus, nisi ab aliqua substantia, quæ revera esset infinita, procederet.* Anselmus eodem modo pro Dei exsistentia arguisse perhibetur, hinc Leibnitius in eo supplenda notavit, Recueil T. II. p. 153. *Je ne mepriſe point l' argument inventè, par Anselme, qui prouve que l' Etre parfait doit exsister; quoique je trouve qu' il manque quelque chose à cet argument, par ce qu' il suppose que l' Etre parfait est possibile. Car si ce seul point se démontre encore, la demonstration toute entiere sera entierement achevée.*

§. 12.

Initium igitur dicendi faciemus de præstantia ratiocinii, quod attingit mundi contingentiam. Fatentur ipsi adversarii esse istud bonum,

(y)

(*y*) Non dissimulant *plura alia rationcinia hoc nitè nervo*, (*z*) Haudquaquam abnuunt, *licet novum esse negent, non fuisse adeo distincte antehac evolutum*, (*aa*) Igitur aliquam certe hujus Philosophiæ in Theologia opportunitatem agnoscere, ipsa nos æquitas jubet. At enim *cum nexu, quem recentiores in cursu naturæ fatalem fingunt, consistere gravis hæc veritas nequit*: Quæso, num rerum nexus plus innuit, (*bb*) quàm, *nihil quidquam DEUM sine ratione fecisse.* An ratio sufficiens fatum obtrudit? an qui mandato v. g. paret, rationem obtemperandi non habet, aut si habet & sequitur, num quid necessario sequitur? Non, opinor eo deveneris! Potest igitur sæpe habere locum nexus, si potest sæpe, salva libertate, cur non semper? quod inimicum est libertati fatum, semper est. Ne dicas, *plura animum consilia adpetitusque subire, quorum nos ipsi causam advertamus nullam.* Si gravate non ferres, juberem te revocare ad mentem tritum istud: *Nosce te ipsum.* Sæpe destinationum, actionumque nostrarum rationes ignoramus, quoniam invita naturæ lege consuetudinem inconsulto agendi contraximus, quia nihil tale sentientes, vel commoditas tacita, vel philautia, vel aliud quid generis ejusdem, induxit, quod adeo irrepit occulte, ut nihil adesse jurato præstares. Nexum ergo à ratione sufficienti ortum, cur, amabo, temere rideres?

(*y*) Vid. Buddæi Isagoge Histor. Theol. p. 1382. *ad argumentum Wolffii quod adtinet, quodve à contingentia hujus Universi desumtum est, uti novum non est, ita minime contemnendum.*

(*z*) Vid. Herrn Buddäi bescheidene Antwort auff Herrn

Herrn Wolffens Anmerckungen p. 12. Ob nun gleich wahr/ daß alle Argumenten/ die man sonst von der structur des Welt-Gebäuds/ von den Absichten der natürlichen Dinge ꝛc. sich auff die contingenz gründen ꝛc.

(*aa*) Vid. Bescheidenen Beweiß, daß das Buddäische Bedencken noch fest stehe p. 35. 36. Obgleich Herr Wolff sagt/ daß die/ so diese Argumenta vorgebracht/ auff die contingenz nicht gesehen; so thut es doch/ wan es wahr ist/ zur Sache nichts/ ꝛc. *Si vel maxime verum sit*, autor inquit, non audet igitur probare, quod ante Leibnitium & Wolffium contingentiæ notio à cæteris argumentis separata, majorque demonstrationis vis fuerit indita, &c.

(*bb*) Besiehe Herrn Wolffens Anmerckungen über die Metaph. edit. prim. p. 254. §. 176. Ich sage die Dinge in der Welt seyen mit einander verknüpfft/ wann eines in sich eine raison hält/ warum das andere neben ihm gleich ist/ oder auff es folget. ⁂ Der gantze Verstand von der Verknüpffung der Dinge ist demnach dieser/ daß alles in der Welt/ von GOTT/ mit raison geordnet. Scio quæ te sub pectore cura coquat. *Si*, inquis, *præsens, quo afficior adpetitus, à ratione oritur, oriretur & ipsa ratio ab alia, hæc iterum à tertia, & id quidem sine fine: Quantum hoc est necessitatis jugum.* At nôsti, quod vel unô catenæ articulô in partes ruptô, ipsa carceris funesti, libertatisque inimici, vincula discissa sint; atqui in infinita rationum serie plura non vinciunt, non cogunt, non stringunt libertatem. *Catena igitur præsto est, sed cuius articulus extimus proxime nos spectans, ultro fuit prensatus.* Quid hoc necessitatis est? Pluviosa tempestas, quæ temet ab itinere destinato revocat, annon habet causam, in alio naturæ eventu, hic in tertio, sicque in infinitum i. e. ad creationem usque. Verum enimvero turbidum istud cœlum an libertatem excurren-

currendi ademit, an mancipium præstitit fati? Absit longissime! Tumet ipse captasti tuo arbitrio extremum catenæ articulum, tute à turbido cœlo, non coactus, sed fastigio captus, distulisti iter. I nunc, & mitius posthac de his doctrinis judica.

§. 13.

Cum nexus rerum fatalis nullus argumento de contingentia, obstet, nihil prorsus obstat, quod enim optimum cætera esse concedebant, id in recentiorum systemate, nonnisi per fatum quod abesse suspicabantur, arietari credebant, Sed nimius ego forsan in laude versor unius argumenti: non est minoris forte pretii, ad supremum Numen arguendum, illud: *Ubi est ordo, ibi ordinans, atqui in mundo conspicitur admirabilis, exsistit ergo, qui eundem stabilivit.* Falleris! quid *ita*, inquis, *fallar*. *Loquor de ordine naturali* (cc) atqui hæc concludendi ratio aut nulla est, aut mei argumenti filia est. *Ordinem allegas*, eundemque *naturalem*. Sed qualem istum? num independentem, Pantheistico sensu Spinozæ acceptum, qui naturalem præsto esse ordinem, ultro annuebat? atqui is DEUM non arguit latam recludens Atheismo portam: An dependentem intelligis ordinem? Cave, si eo consilium spectet tuum, ne circulum in ratiocinando vitiosum tibi exprobret jure, acutus adversarius. Dependentem enim, i. e. *ab alio* factum supponis, cum ab alio ortum probare demum deberes. *Conclusionem ingreditur medius terminus.* Liceat enim ad barbaros istos ratiocinandi, nec evitabiles tamen Tyrannos provocare! Elige si placet, utrum lubet, ut de argumenti tui robore possis

possit decerni. *Imò verò contingentem*, inquis, *volo ordinem*, (*da*) *eundemque talem esse posthac probo*, *non est tunc argumentum infirmius ac tuum*, *quod ex sola petitur contingentia.* Habeo egomet quod volo, non poteras firmitatem addere tuo ratiocinio, nisi sequereris meum, quicquid tuum roboris habet, à meo habet, cur per anfractus euntes, rectâ viâ ad contingentiæ asylum non contendimus? cur eos pro Atheis habemus, qui nos ambages vitare jubent, cur mutuo acceptum argumenti nostri robur, Auctori grata mente non ferimus acceptum? *At novi hoc ipso Philosophia recentior nihil dicit*, *cur superbit priscis alienisque plumis*; (*ee*) *cur cætera postponit?* Postponit nonnisi ea, quæ sine suis non consistunt. An isthoc crimen est? Dic vero, si placet, quis ex veteribus unquam adverterit, vim omnem cæterorum in contingentia cõire, quis nervum hâc ratione contrahendo, ictus Atheorum declinare docuerit? Dic, si placet, quoniam judicii, & lectionis plurimæ gloria, te pollere perspectum habeo.

(*cc*) Verba sunt Excellentissimi Dn. Buddæi in der bescheidenen Antwort p. 13. wann man von der Ordnung der Welt redet, so verstehet man die Physische Ordnung der natürlichen Dinge.

(*dd*) vid Bescheidenen Erweiß, daß das Bedencken noch fest stehe p. 16. Es ist eines so lang als breit/ ob ich sage: Die Welt ist contingent, und schließ daß auff GOTT/ oder ob ich sage/ die structur der Welt ist was Zufälliges/ und schließ wieder auff GOtt. Was soll man aber der structur gedencken/ wann alles bey derselben auff die contingenz ankommt?

(*ee*)

(*ee*) Ne quis vitio vertat, disputari contra argumentum pro DEI exsistentia; dicam, nos thesin ipsam religiosissimo cultu venerari, monebo, idem sæpe factum à Viris longe doctissimis, quos nemo impietatis arguit. Citat nonnullos Bülfinger, dilucid. p. 418. Plenius vero facta eorum, qui argumenta contra Atheos examinârunt, Bælius enarrat in Lexico Historic. Crit. edit. tert. p. 2901. Adde quæ leguntur dans l' Histoire des ouvrages des Sçavans au Mois du May 1709. p. 199. seqq. dans les II. Journâl des Scavans de l' année 1701.

§. 14.

Memini me quondam in celebris Viri scripto, Theologiam naturalem complexo legere, qui, cum ante recentiores, missis cæteris argumentis omnibus, solum contingentiæ argumentum urserit, laudem distinctius traditi de contingentia ratiocinii recentioribus præripuisse videtur. *Non invideo.* Age legamus verba: *Certum est*, inquit, *dari plures effectus naturâ suâ contingentes, qui ita sint, ut ante non fuerint, & postea esse desinant, imo & pro tempore, quô exsistunt, potuissent non esse. Ex quibus ita argumentari licet: vel omnia quæ sunt in rerum naturâ habent jam dictam contingentiam, vel aliqua non habent, sed ex se necessaria sunt & ad esse determinata, si hoc admittatur, habetur intentum, dari scil. aliquod ab intrinseco exsistens, sive ens à se. Si primum dicatur, nullus contingens erit in rerum natura, imo nec esse poterit.* (*ff*) *Plura sunt in hoc* argumento egregia, laudeque dignissima, sed supplementa, quibus eget, non inveneris nisi apud recentiores. *Si quædam necessaria sunt*, non arguere, sine saltu, licet, *Ergo habeo quod volo.*

Pos-

Possent enim ea necessaria plura esse, eoque non significare unum DEUM, posset quæri, an ab eo, quod necessarium est, cætera contingentia pendeant? Igitur id est supplendum, suppletur autem à Recentioribus. (*gg*)

(*ff*) Verba sunt Johann. Wolffg. Jæger. Cancel. Tub. in Theolog. Natural p. 15.

(*gg*) Vid. quæ in anteced. disserui Sect. 1. §. 10. seqq & Bülffing. Diluc. p. 420. plura etiam isthuic argumento addi debent. *An id ens necessarium, à mundo distinctum sit nec ne? An posita omnium rerum contingentia, ipsa earum collectio necessaria non emergat?* Pauca attigi in anteced.

§. 15.

Altera Philosophiæ recentioris, in probando DEO opportunitas, ad novum *principii de sufficiente ratione*, & ante hac non plene perspectum usum pertinet, sine hac scala ad DEUM adscenderis nunquam. Substitue antiquum illud: *Nihil exsistit sine causa, atqui mundus* &c. E. major propositio contrario poterit refelli exemplo. DEUS enim, quem quæris, annon sine causa exsistit? (*hh*) monuerunt hoc jam alii. Addo hæc: *Forsan*, inquis, *poterit adhiberi limitatio: Nihil naturaliter exsistit sine causa, mundum vero naturaliter hôc exsistere modô quis ignorat?* E. atqui loco fundamenti ponis, quod erat superstruendum. Nec enim cum Spinoza facis, qui quicquid naturale est, non ab alio ortum contendebat, ergo mundum naturaliter exsistentem pronuntiando *ab alio esse* supponis, quod erat prius probandum. Perinde ac si argueres: *Quicquid naturaliter (i. e. ab alio) exsistit, id habet causam*, i. e. *istud exsi-*

stit ab alio. Quid est in circulum arguendo redire, si hoc non est? Forsan & nos isthæc difficultas urit? Minime! DEUS enim etiamsi causam sui non habeat, nec habere possit, rationem tamen existendi habet in semetipso, generalis ergo non manet propositio. *Nihil existit sine ratione.* Si generalis est, demonstrando quoque accommodata est. (*ii*)

(*hh*) Bülffinger Dilucid. p. 424.

(*ii*) Bona igitur arguendi ratio, sed supplenda tamen est. Frommann in Dissert. de Atheo stulto, p. 27. *Opus perfectissimum & infinita sapientia elaboratum, supponit causam perfectissimam* &c. &c. Probaturus enim Mundi auctorem, mundum ab alio coortum supponit.

§. 16.

Sunt interim, qui sufficientis rationis principium per omnes existendi casus non diffundi docent, laudabili metu, ne *quid hominis libertas detrimenti capiat.* (*kk*) Sunt autem, qui non hoc metu quidem, *sed experientia ducti credunt, complures hominis liberos adpetitus absque ratione nasci.* Fingamus igitur tantisper, caussarum liberarum actiones hinc arcendas. Quo pacto nunc probabitur existentia DEI? Rides quæstionem, meticulosamque in isthoc negotio solicitudinem. Ego vero ridentes ridere nolo. Experiamur, prius, quam ridendi faciamus initium. Negas principii amplitudinem. Sed da nunc tantum imbecillitati meæ, ut quî, negatô principii universali ambitû, in DEI notitiam perveniri possit, haud gravate commonstres. Prævideo quam sim reportaturus responsionem, *cogitare jubes*, si cætera omnia omi-

omiserim, *argumentum de contingentia mundi. Existit mundus, qui & aliter habere posset, ergo exsistit ejus auctor.* Vellem hic intelligere nexum propositionis utriusque. An quod contingens est, quod aliter habere potest, auctorem arguit sui? *Quidni*, inquit, *arguat, nihil enim, quod contingens est, exsistit sine ratione.* Atqui voluntatis liberæ adpetitus contingentes esse me docuisti modò, nec tamen concessisti eorum rationem, O quam Tibi sum ineptus disputator! *Confundere memet*, ais, *causam cum ratione; addis, liberæ voluntatis desideria causam habere animam, licet rationem habeant nullam, etiamsi anima ratione antecedente iis afficiatur.* Sed quæso te, quomodo potest causa exsistere sine causandi ratione; an quisquam, non dico, Philosophorum, sed & mortalium unquam causam effinxit sine ratione, ut minus latine vocant, causandi? Nunc ludere tibi videor vocabulorum significatû. Regeris & *animam causandi ratione, dum adpetitus eliciat, præditam, præsto esse libertatem agendi, nec ultra requiri, ut singulis adpetitibus singularis respondeat dispositio animi.* (*ll*) Sit ita sane! ast gladium hoc modo excussisti pugnandi contra Atheos. Quibus, quæso te, quomodo tandem obsistam? Mundum ex fortuito atomorum concursu coaluisse clamabunt, tuamque responsionem convertent in fidei meæ perniciem. Juva me quæso disputantem contra Epicureos. Opinor te huic officio non defuturum. Videor mihi audire Epicuri de grege porcum grunnientem ita: *Non est adeo absurda de fortuito atomorum concursu opinio.* Cur non absurda foret? (*mm*) Temere enim & casu

i. e. sine ratione confluxisse fingitur stupendæ pulcritudinis machina. *Num*, inquit, *Epicuri assecla tanto id est absurdum opere? Annon varii absque ratione frequenter ab animo eliciuntur adpetitus, annon sæpe conspirant aptissimo ad voluptatem pulcram assequendam concursu? Num si quid hoc modo fieri sine ratione potest, altero modo non potest?* At ego dicam confundere protervum ἀντιλέγοντα causam cum ratione sufficienti, non deesse causam adpetitibus voluntatis, quamquam non omnes existant ratione, aliam vero esse conditionem confluxûs atomorum, qui nec causâ ullâ, nec ratione contineatur. Videor autem mihi audire ogganientem porro: *nec suos atomorum concursus sine causa fieri ut enim anima suarum dicatur actionum causa, absenti licet speciali ratione hanc, præ alia actionem dirigente; sic atomos causas suorum motuum esse verissimas, licet ratio cur hac declinent, nec illàc prorsus inveniatur.* Juva nunc quæso, Lector Optimè! me disputando hæsiantem. Dixisti dari posse causas efficientes, potentia præditas, generali & vagâ; ita tamen ut singulis effectibus, non semper singulæ & distinctæ quidem respondeant causæ schetes; constare id exemplo animi præditi libertate: Nunc idem Epicurus, isque Atheus (*nn*) opponit; *atomos esse causas, pariendô quippe motus, non desiderari in illis facultatem seu rationem caussandi generalem, gravitatem sc. qua deorsum tendant naturâ (oo) ut autem speciali, declinationis effectui, singularis ratio respondeat, opus non esse, cum idem in aliorum Philosophia pervulgatum sit.* Quô nunc, obse-

obsecro conatu veritatem tuebor, quomodo mundum sine Architecto non extitisse docebo?

(*kk*) Inter quos est Clark Epist. V. ad Leibnit Rec. T. I. p. 198. *Je remarquerai seulement que cette expression (de la raison suffisante) est équivoque & comme peut l'entendre, comme si elle ne renfermoit que la Necessité, ou comme si elle pouvoit aussi signifier une volonté & un choix. Il s'agit de sçavoir -- si, lors que les raisons les plus fortes se trouvent d'un seul coté, les Agens libres n'ont pas un principe d'action &c.* ? Credidit Anglus laude nostra major, si fortiores agendi rationes pro una parte pugnaverint, tolli facultatem eligendi alterum, i. e. libertatem, in quo non est assecutus Leibnitii mentem.

(*ll*) Oportet, ut in causis omnibus, cum liberis tum necessariis, singulis effectibus singulæ in causa scheses & dispositiones respondeant, aut quod perinde est, singulæ rationes hoc agendi nec aliud. Sin refrageris, Epicurus triumphat; *nam caussabitur: Atomus mea caussa est motûs, ratio caussandi gravitas tendens deorsum. Atqui non opus est, ut peculiari declinationis effectui, in Atomo, peculiaris ratio respondeat; aliter enim & in anima libera, singulis adpetitibus certa & distincta dispositio occasionem præberet, quod libertatem animæ suffocaret: Non est ergo absurdum si dicam: dari causas, quæ diversis effectibus producendis, indifferenti potentiâ præditæ, sufficiant.* Quicquid Epicuro responderis, tibi responsum erit. Vid. Bayle in Dictionaire Hist. Critiq. p 2483 edit. tert. *On se moqua d'Epicure lors qu'il inventa le mouvement de declinaison. Il le supposa gratuitement pour tacher de se tirer du labyrinthe de la fatale necessité de toutes choses, & il ne pouvoit donner aucune raison de cette nouvelle partie, de son hypothese.*

(*mm*) Docet Lucretius L. II. v. 250. &c. Euseb. præpar Evang. L. VI. c 7. *Epicurum sub prætextu libertatis tuendæ atomorum declinationem esse commentum.* Li-

bertas igitur sine omni ratione agens, & delicinatio Atomi Epicureæ, differunt ut Mater & filia germana. Addatur Cicero de fato p. mihi 80. *Sed Epicurus declinatione Atomi vitari fati necessitatem putat, itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, quam declinat Atomus intervallo minimo, quam declinationem sine caussa fieri, si minus verbis, re tamen cogitur. — Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod verum est, ne, si semper Atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, &c.*

(*nn*) Athei loco habendum Epicurum Augustinus docet de Civitate DEI L. XVIII, cap. 41. *Miror*, inquit, *cur Anaxagoras reus factus sit, quia solem dixit lapidem ardentem, negans utique Deum; Cum in eadem civitate gloria floruerit Epicurus, vixeritque securus, non solum solem vel ullum siderum Deum esse non credens, sed nec Iovem nec ullum Deorum omnino habitare contendens, ad quem preces hominum supplicationesque perveniant.*

(*oo*) Vid. Lucret. II. v. 217. Cicer. de fin. L. I. 6. *Distinguendus in Atomis motus duplex, unus ipsiusmet gravitatis quo Atomus suopte nutu fertur alius ex ictu seu reflexione &c. verum, quia, si omnes Atomi ad lineam, deorsumve ferrentur, fieret, ut nunquam altera alteram posset contingere, ea de caussa necesse est declinare Atomos paulum, ita enim fieri possunt complexiones, copulationes, adhæsiones, &c. &c.*

§. 17.

Cum igitur sine principio sufficientis rationis, DEI existentis veritas firmari nequeat, nec impediri, quo minus Epicuræi per aciei latus irrumpant: grates illis deberi existimo, qui fecunditatem axiomatis primi detexerunt, cæterosque ut huic superstruerent, fuerunt hortati. Esse autem recentioris Philosophiæ hanc prærogativam

vam neminem fugit. Progrediamur igitur ad illud commodum, quod Cartesiani pro existentia Numinis, argumenti emendationem adtingit. Paragrapho undecimo sub nota, (c) istud exhibuimus. Ratiocinium istud à multis jure improbatum, (pp) hoc potissimum nervo continetur. *Ideam Entis infiniti nobis ingeneratam, finitos nos illam animo complexuros non fuisse, nisi revera extra nos Ens infinitum existeret, quod sui ideam nobis ingenerasset.* Observavit alicubi seculi nostri Phœnix (qq) contra Hobbesium, qui veritates ideo arbitrarias putabat, quod ex definitionibus nominalibus penderent, *definitionem nominalem comparandæ scientiæ non adcommodatam, nisi alibi unde constiterit, rem esse possibilem; non enim quaslibet notiones inter se posse conjungi.* Eò videlicet spectat admonitio: Cum Cartesius ab Idea Entis perfectissimi ad ejus existentiam cum Anshelmo fuerit argumentatus, *bonum fore argumentum, dummodo prius confirmata sit Entis perfectissimi possibilis natura. Fieri enim quandoque ut ideis, quæ possibiles non sint, imponamus definitiones nominales quam ob rem ne in similem, hôc locô incidamus errorem, cavendum esse.*

(pp) Improbatur Cartesii argumentum à compluribus; Walchius in Lexico Philosoph. sub Tit. (GOtt) p. 1339. ita de eo sentit: Man siehet gar leicht / daß dieser Vernunfft-Schluß weder in dem ersten noch dem andern Satz seine Richtigkeit hat. Büllfinger in Dilucid. p. 418. aliquot nommat, qui in utramque de eo partem disputârint. Pertinet huc in primis Grapius in Theol. recens controvers. T. I. c. 1. quæst. 3. p. 11. seqq. qui magnum scriptorum de hoc arg. numerum dedit.

(qq) Leibnitium ita vocat Joh. Christoph. Wolff. in Manichaism. ante Manich. p. 420. ita quippe sentit Leibnitius in actis erudit. An. 1684.

§. 18.

Operæ pretium igitur faciemus, si Cartesii pro Dei exsistentia argumentum emendaturi ostendamus, ideam Entis perfectissimi fictitiam non esse, respondere potius ei possibilitatem (sic loqui liceat) ex ipsa rei consideratione hauriendam. Nullus enim dubito futurum, ut quod argumento deest, hâc methodo suppleatur. Quicquid autem dicturi sumus Philosophiæ recentiori debebitur, non secundum meditationes singulas; neque enim ab aliis copiose observata nude repetimus: sed secundum potissima meditationum fundamenta.

§. 19.

Præmonebo ante quædam, quam probavero, fieri posse ut quiddam perfectissimum exsistat. Quæcunque res componi cum aliis non possunt, illæ per & propter suos limites una consistere nequeunt. Cur v. g. tanta inter ignem & aquam observatur pugna? nullam sane aliam ob causam, quam quia velocitatis in motu gradus non uno modo temperatus est. Particularum ignis agitatio quam celerrima est, contra aquæ minutias tardiores prioribus istis obstantes videre licet. Comprobat id & ratio & experientia. Graduum igitur i. e. limitum in viribus discrimen luctam isthanc parit. Similis ratio est rerum aliarum. Cogitatio in rem extensam cadere nequit, quòd omnis *extensio multitudinem rerum arguit*

quæ

quæ ut unum menti obversantur, cogitatio autem ens unum, idemque simplex requirit. (*rr*) Ubi autem sunt multa, ibi res limitatæ occurrunt, plura enim infinita existere non posse, & per se patet, & infra ex instituto probabitur. Idem judicium de cæteris ferendum. Pugna omnis ex rerum, quibus circumscribuntur, finibus nascitur. *Cur raro judicii summi acumen cum amplissima lectione & insigni memoria conjunctum est?* Scil. majore temporis spatio opus est, ut res ad stateram limati judicii expendas, quam ut vivaci memoria præditus, ad instar alati Mercurii eas transvoles, more, quò Polyhistores nonnulli solent. Quantum huic facultati accedit, alteri derogatur & viciſſim. Ubi vero subtrahi quid, & addi potest, ibi habet locum limitatio; quod non limitatum est, ei haud quidquam accedit, vel decedit. Ipsa igitur animi vis nulli alteri contraria est, nisi quatenus ad res aeriter tenendas (felici memoria) vel ante distinguendas (judicio subacto) determinata, vel, quod tantumdem sonat, limitata est. Si vel unum pugnæ in universa rerum, quaqua patent, natura, exemplum allegare poteris, causâ memet cecidisse ultro profitebor, victasque dabo manus, nisi illud ex rerum limitatione coortum fuerit.

(*rr*) Cogitationis incapax extensum quodlibet esse Wolfius ostendit Metaph. §. 739. seqq.

§. 20.

Præstructis his nunc ratiocinia nectendi copia datur. Sit observatio fundamenti loco jacta. *quacunque rerum combinatio repugnat, ista ob limites*

mites rerum combinandarum repugnat. Non dixi, ubi sint rerum limites, ibi & esse pugnam, sed ubi pugna locum habeat, nullam posse causam allegari, quàm limitationes. Quicquid à solis rerum pendet limitationibus, id non est rebus ipsis tribuendum: atqui pugnam rerum ex eo fonte solo derivare Philosophos oportet, non est igitur cur quisquam de postrema propositione dubitet. *Gradus egomet voco virium limites.* Cumque propter limitationes res interdum pugnent, fieri etiam potest, ut ob gradus quibus variè afficiuntur, pugnent. Liceat hîc nominali definitione perfectum adpellare illud, quod aliquid in rerum natura ponit, imperfectum verò, quod rebus in natura positis derogat, quod eas certis cancellis coarctat, finibus claudit, limitat. Quoniam pugna, (*contrarietas*) (incompossibilitas) non oritur à rebus ipsis, ut paulo ante monui, perspicuum est, perfectionem nullam (accipio vocem sensu, quem modo dixi) alteri obesse, eoque potius suavi concentu cum ea conspirare. Definitione igitur genetica, seu reali, perfectionem oriri cernimus, quoties *in varietate consensus quidam existit.* (*ss*) Est igitur hæc definitio genuina prono fluens ex paulo ante dictis alveô.

(*ss*) Cur perfectio per consensum in varietate rectius explicetur, quam per eorum, quæ adesse debent, præsentiam, Wolff. docet, im Bericht von seinen eigenen Schrifften, p. 227.

§. 21.

Perfectissimum, de quo quæritur, dicimus, *quod*

quod omnes perfectiones complectitur simul, easdemque sine gradu, vel limitatione. Cum igitur quælibet perfectio, qua talis alteri amice consentiat, & vero in ente perfectissimo gradus seu limitatio omnis exulare supponatur, ex qua sola (incompossibilitas) pugna oritur: manifestum est, posse fieri sine rerum pugna, ut omnes perfectiones coëant in aliquo ente & sine gradu quidem, i. e. non repugnare ens perfectissimum. Quodsi autem non repugnat, possibile est, eoque etiam, quam de eo formamus, idea, non fictitia, non absurda. Si ens perfectissimum possibile est, necessarium est: involvit enim contrarium ejus, i. e, impossibile contradictionem. Quicquid ergo ente perfectissimô comprehenditur, illud non potest non habere locum; *Existentiam vocare lubet complementum possibilitatis.* Quis autem dubitet, illud perfectionis titulo ornandum? ponit enim aliquid in re, & cum possibili, quod completur, exacte conspirat. Ens perfectissimum igitur existentiam complectitur, aliter enim non foret perfectissimum, quod est contra hypothesin. Cumque omne, quicquid ente perfectissimo comprehenditur, non possit non habere locum, etiam existentia ejus necessaria est. Atqui ens perfectissimum DEUM vocamus, *ergo Deus necessario existit*, ergo ex idea entis perfectissimi, cum Cartesio existentiam ejus, hâc lege observatâ, arguere licet.

§. 22.

Multitudo arguit res limitatas, Perfectissimum

mum ens non est limitatum, aliter enim vel non ornatum esset omnibus perfectionibus, vel iis præditum quidem foret, non tamen sine limitatione; quod est absurdum. Perfectissimum igitur ens non potest plura complecti distincta, sed oportet unum esse, eoque simplex. Extensum omne complectitur quandam multitudinem, ergo nec extensum esse potest, id, de quo loquimur, ens consummatissimum. Idem, quod sæpe dixi, ens perfectissimum ubique est, quod est, nimirum tale, quo præstantius cogitari nihil possit, nollem ergo cum quibusdam (*tt*) DEUM extensum vocare.

(*tt*) Quod fecit Pordætsch. Metaph. div. I. I. C. 12. p. 348. seqq. ex eo scilicet, *quod vocitetur lux*. Sed nostrum non est, infirma ejus argumenta confutare.

§. 23.

Ex discursu hactenus instituto cognoscitur; quid sentiendum sit, de Viri cujusdam Docti sententia, qui methodum cognoscendi DEUM, quâ separatis mente à rebus creatis imbecillitatibus, quidquid perfectionis residuæ est, DEO adscribitur, penitus improbavit, (*uu*) caussatus & incertam, *& minus perspicuam esse eam methodum; sæpe perfectionis loco haberi, quod revera infirmitatum classi sit adjudicandum. quo casu non sine periculo à rebus creatis, ad Numen argumentum duci possit.* At præsto sunt characteres, quibus probe adhibitis in consilium, veram perfectionem ab imbecillitate nunquam non discernere licet. Si consentiant adtributa, de quibus quæritur, cum cæteris omnibus, *modô quôlibet, semper & ubique*, in

in DEUM cadunt absque dubio; sin minus, ab eo sunt removenda. Sic extensio, siquæ DEO assignaretur, non consentiret cum cæteris perfectionibus cunctis, quà enim v. g. præsentem urbem spectaret illa DEI expansio, nondum foret DEUS ipse immensus, omniscius &c, Simili modo si motus DEO tribueretur, vis illa movendi non concineret cum cæteris DEI excellentiis, nam qui hinc inde movetur, præsens ubique non est, major est consensus, ubi cunctis præsto est, omnia uno velut obtutu complexus, quam ubi, succedente nisu, aliò atque alio deferretur.

(uu) Sententia est Thomasii in Jurisprud. div. L. I. C. 3. §. 54, Contrarium tamen sentit Rudigerus in institut. erud. p. 411. ed. tert. Confer ea quæ paucis & recto nomine in hanc Autoris sententiam dixit Bülffinger. Dilucid. p. 517.

§. 24.

Sub finem pauca moneo. Nullum argumentum à posteriori pro DEI exsistentia allegari potest, nisi quod *principio* sufficientis rationis suffultum sit. Provoca, si placet ad universi ordinem, quæ est vis argumenti, quô ordinantem cognoscas; Nulla alia quam hæc, quoniam aliâs *ordo exsisteret sine ratione.* Provoca ad rerum fines, judicium erit idem, allega si lubet conscientiam pœnæ, & præmii præconem, non valebit ratiocinium, si vel unus casus, in tota rerum universitate, sine ratione exsistere potest, unde enim disces, quod hic ipse, de quo quæritur, non ejusdem sit conditionis? an ex ratione quadam?

atqui

atqui probanda est hæc, & sine fine, ubi semel principii amplitudinem coarctare, vel in paucis casibus, institueris. Non igitur contemtu & odio digni sunt qui fundamentum omnium pro DEI exsistentia facientium argumentorum distincte ostendentes, majori cum Plerophoria agere nos adversus Atheos docuerunt. (xx)

(xx) *Ratio sufficiens dicitur id ex quo intelligitur cur aliquid sit, hoc potius nec alio modo.* Qui vel unum casum exsistere concedunt, quem nec res creatæ, nec DEUS ipse, cur contigerit potius, quam non contigerit, intelligant; stabilitur aliquid, quod concipi nequit, ad imitationem senis illius in *avantures de faque Sadeur edit. Holland. 1692. p. 83.* quem ita auctor loquentem de suis Androgynis facit: *Ils se contentent d' adorer l' être incomprehensible sans en jamais parler. Ils s' imaginent que c' est l' offenser par l' endroit le plus sensible, que de faire de ses divines perfections le sujet de leurs entretiens: de sorte qu' on peut dire, que leur grande religion est de ne point parler de la religion.* Eorum, qui hoc principium angustioribus terminis circumscribunt, ratio est similis. Gravissima eorum intelligendi vis in eo versatur, ut plura intelligi (nec à DEO quidem, i. e. ratione sufficienti nixa) negent.

SECTIO III. CAPITIS I.

De infinita DEI Natura.

§. 1.

IMmensum Divinitatis pelagus esse, nemo eorum dubitat, quibus esse solet sanum synciput. Quod Sect. II. anteced. rudi Minervâ delineavimus facit omnino ad corroborandam hanc veritatem. Interim non est diffitendum, argumenta

mentis, quibus hucusque tam sublimis doctrina confirmata fuit, ejusmodi esse, ut indigeant supplemento, mea sententia, ex Philosophia recentiori petendo. *Sine principio sufficientis rationis, DEUM infinitum esse, nunquam demonstraveris plene.* An ea vilis est Philosophiæ recentioris opportunitas? Age, faciamus periculum.

§. 2.

Non obscuri nominis Theologus pro infinita DEI natura ita ratiocinatur: *Nos existimamus*, inquit, *infinitudinem dari in DEO. Prima probatio nobis desumitur ex ipso conceptu Entis à se, quem diximus esse constitutivum essentiæ divinæ. Nam eo ipso, quo DEUS essentialiter à se ipso, non vero ab ullo aliquo principio extraneo sive causa efficiente habet esse; hoc, inquam, ipso non potest non esse ejus infinitum & illimitatum esse. Omnis enim limitatio & finitudo quoad esse, & sic quoad essentialem perfectionem à causa efficiente provenire debet, utpote quæ tribuit tale, vel tale esse cum tanta vel tanta perfectione. Nihil enim sibi tam inimicum est, ut certos sibi terminos & limites essentiæ ac perfectionis substantialis ponat. Ergo cum DEUS à nullo habeat esse, etiam nullam potest habere causam suæ limitationis ac finitudinis in essentia. Ergo est infinitus quoad essentiam.* (a)

(a) Argumentum est Joh. Wolffg. Jægeri in Theolog natural, p. 58. 59.

§. 3.

Est hoc ratiocinium ejusmodi, ut additamentis quibusdam indigeat. Nervus in eo ponitur:

nitur: *Quodcunque non habet auctorem, illud fruſtra fingitur. Atqui limites in DEO, ſi qui forent, auctorem non haberent, fruſtra igitur finguntur.* Fulcro indiget propoſitio Major, obnoxia quippe contrariorum exemplorum exceptioni, qua *Univerſalitas* nonnihil detrimenti capit. Ipſa DEI natura auctorem non agnoſcit, nec tamen fruſtra fingitur. Sunt & ſui rebus, in æterna poſſibilium regione manentibus, nec inde prodituris unquam, certi limites; non poſſent enim exiſtentia donari limitibus deſtitutâ, nec tamen illi limites auctorem requirunt, ipſa rerum naturâ, quæ finita eſt, eos poſcente. Miraris forſan, acuminis, ſeu nimiæ ſubtilitatis exceſſum; ſed malo memet præſtare tutum ab omnibus adverſariorum argutiis, quascunque prævidere licet, quam deſtinato conſiliô pias admittere fraudes. *Non eſt id ingenui hominis, nedum Philoſophi.*

§. 4.

Subit forte tuam mentem, *aliam eſſe conditionem DEI, aliam rerum cæterarum, ſive poſſibilium ſive exiſtentium: non poſſe non has limitibus eſſe circumſcriptas, à DEO autem eos alienos eſſe neceſſariò.* At ita ſupponis quod erat in quæſtione. Probaturus naturam DEI infinitam allegabas abſentiam auctoris, qui limites contuliſſet, cùm urgerem, & alibi multa præſto eſſe, quorum non ſit auctor, reſpondendo redis in orbem, *DEUM infinitum eſſe*, tanquam probatum ſupponens. Poſſet itaque hujus doctrinæ hoſtis obvertere, ex *Independentia non duci argumentum pro natura infinita; limites forſan æque neceſſarios eſſe, ac*

ac ipsam naturam, sicut & caeterorum possibilium ferme eadem sit conditio. Aliter igitur hoc ratiocinium emendandum videtur. (*b*)

(*b*) Quæ causa fuit, cur Ethnici olim Philosophi materiam, quam æternam & independentem dicebant, haudquaquam continuo omnibus perfectionibus vestitam i. e. infinitam concedebant. Non minus enim existentiam materiæ, quam perfectionum illius limites existimabant necessarios. *Non supervacuum igitur hoc est meum dubium, quod impellit, ut animum ad fundamenta Ethnicæ religionis evertenda adplicemus.* Vid. Bayle continuat. des diverses pensées écrites à un Docteur &c. T. *II.* p. 527.

§. 5.

Examinanda tamen sunt reliqua in ratiocinio excellentissimi Theologi. Pergit, Vir summus: *Nihil sibi tam inimicum esse, ut certos sibi terminos, ac limites essentiæ, ac perfectionis constituat.* Robur argumenti in eo ponitur: *Quidquid inimicum animum prodit, id in optimum Deum non cadit, atqui limitum collatio facta sibi ipsi, inimicum Dei erga se ipsum proderet animum.* E. Minor valde dubia. Confert DEUS limites rebus à se conditis, nec tamen id inimicitiæ testimonium est, non potest enim conferre. Unde probamus igitur, non esse similem rationem in DEO, non esse necessarios in eo limites. Si enim necessarii sunt, sibi inimicus non est, admittendô, quod declinari nequit. Intelligis igitur & hoc argumentum aliud quiddam supponere, quod hactenus distincte evolutum non fuit.

§. 6.

Alterum ratiocinium, quo infinitam Dei naturam tueri satagit, Theol. celebris, ita habet.

Deus est id, quô melius esse & cogitari non potest, ne ab ipso Deo quidem, atque quocunque ente finitô potest quid cogitari melius. Ponamus ens perfectum ut octo, erit aut certe quid cogitabitur eo melius, si sit aut cogitetur perfectum ut decem. Solô autem ente simpliciter & per essentiam infinito nihil melius esse aut cogitari potest, ergo DEUS est ens infinitum. (c) Argumentum hoc Cartesiano haud est absimile. Præstruit propositionem hanc: Quod si DEO melius nihil cogitari possit, aut si tanquam perfectissimus concipi queat, tum continuo quoque posse perfectissimum existere. Probandum vero est, quod ideæ Entis perfectissimi respondeat extra mentem *possibilitas*. Id ex nostris doctrinis demonstravimus paulo ante, usum ergo nostra dogmata firmandis cæterorum thesibus præstant non contemnendum.

(c) Theol. natur. p. 63.

§. 7.

Dixi in antecedenti paragr. primô, sine principio sufficientis rationis non posse Dei infinitam demonstrari naturam, ibo nunc in rem præsentem. Finge plura fieri sine ratione, quomodo occurres illi, qui divinas virtutes gradu affectas, imo ipsam naturam cancellis coarctatam contendit? Num provocabis ad *independentiam*? quid? si limites ipsos etiam *independentes*, eoque necessarios dixerit? Num allegabis naturam Dei perfectissimam? atqui eam esse possibilem probasti nondum. Forsan accusabis fictionem adversarii, qui limites admittat in Deo, idque sine ratione ulla? Ita vero in nostra transibis castra auxilium principii, de quo disputatur, implorans. Fatere igitur, si pla-

placet, summam esse hujus principii, à Recentioribus distinctius evoluti, in Theologia necessitatem.

§. 8.

Nos igitur infinitam Dei naturam probaturi hâc viâ ingredimur. Aut limitum graduumque, quibus divinæ virtutes circumscribi finguntur, ratio est, aut non est. Sin hoc adfirmaveris, Philosophiæ omnis fundamentum labefactas. Sin illud placeat: quæro: aut ratio illorum limitum est in DEO aut extra DEUM. Non potest esse in DEO. Sive enim consideraveris naturam ejus generatim, sive prout est *à se*, nulla pro limitibus occurrit ratio. Natura cujuslibet rei generatim spectata ex æquo capax est his aut aliis limitibus gradibusque recipiendis, nullaque proin ratio peti potest inde, cur hos potius DEUS limites haberet nec alios. Sed similis ratio est naturæ DEI, quatenus est *à se*. Nunquid ex *independentia* ratio desumi potest, cur hos potius, quam alios admittat gradus, Divinitatis Oceanus? Minime vero. Ergo in Deo nulla est limitum ratio. Sed nec extra Deum ulla esse potest. *Dependens vocamus cujus ratio est in altero*, atqui Deus est independens, tam quoad limites, si quos haberet, quam quoad cætera, ergo nulla limitum in Deo ratio peti potest à rebus externis. Quodsi gradus divinarum virtutum penderent à rebus extra Deum collocatis, possent utique variari, unus enim gradus æque possibilis est ac alter, sic DEUS passionibus ab agente extraneo foret obnoxius, nec proin independens, quod est absurdum. Ergo divinæ Excellentiæ omnium plane graduum sunt ex-

pertes i. e. infinitæ. Arbitror ita intelligi, quanta sit in hac doctrina principii sæpe memorati necessitas, quanta utilitas. (*d*)

(*d*) Confer, quæ in hanc rem discurrit Bülffing. Diluc. p. 440. & statue tecum quantum inde sumserim mutuo, aut quantum lucis ibidem dictis affuderim, aut non affuderim?

§. 9.

Forsan eâdem nos autumas difficultate premi, quam obverti posse ordinariis argumentis diximus. *Nam si qui limites in DEO necessarios statuant, eos negaturos, quod ulterior ratio requiratur, quicquid enim necessarium est, habere rationem sui, in semet ipso. Addes, nos ipsos dixisse, limites rerum possibilium necessarios esse, non posse enim infinitas creari, nec tamen agnoscere illos limites auctorem.* Sed non est responsio difficilis. Qui limites in Deo necessarios docet, eum oportet monstrare, quod si virtutes divinæ cancellis essent nullis circumscriptæ, oriretur contradictio, Atqui nemo id ostenderit, falso igitur inculcatur limitum in Deo necessitas. (*e*) Deinde rerum, quæ nunquam ex possibilium regione prodibunt, sunt necessarii limites, iidemque causam efficientem poscentes nullam, sed ratione tamen certâ nixi. Quæ enim ratio est, ut in existentibus v. g. celeritas motorum corporum limitetur gravitate ita, ut quantum huic decedit, tantum accedat illius & vicissim: Ea etiam ratio fuit in æterna possibilium regione, ut semper rerum, in systema redactarum altera alteram limitaret, repræsentante eam schesin divino intellectu, tum cum nondum existerent. Habet igitur limitatio

rerum

rerum dependentium, licet sit necessaria, rationem, à mutuâ dependentiæ in systematico nexu, coordinatione profectam. At alia ratio est entis, quod à nullo dependet, sive id ut possibile, sive ut existens perpendas; nihil est quod limites requirat, necessitatemque ei imponat certorum perfectionis graduum. Non igitur limites in eo fingi debent. In eo igitur emendatur ordinariæ Philosophiæ ratiocinium. Nam hactenus ita sunt philosophati: *ubi nulla limitum in DEO causa efficiens ibi sint nulli limites, atqui.* E. Instantiæ obnoxia erat propositio major, sed nostro more emendata nulli obnoxia est exemplo contrario. *Ubi nulla limitum ratio, ibi tales existere non fingendi sunt*, atqui in Deo, E. Nihil hic potest obverti. Priori argumento occurrebatur, *nec Dei naturam causam agnoscere efficientem nec auctorem habere rerum possibilium nondumque existentium limites.* Nostro autem ratiocinio tale quid exprobrare non licet. Nec enim vel ipsa Dei *essentia* sine ratione existit, habet rationem in se ipsa, quoniam est *à se*; licet causam efficientem non habeat: Nec etiam limites rerum nondum existentiâ donatarum absque ratione finguntur, cum eorum ratio ex dependentia fluat, quâ fit, ut in systemate rerum plurium creandarum, creatarum, altera subinde alteram limitet. Imo vero quidquid dependens est, limitatum creari debet, aliter Ens independens conderet, quod semet perfecte æquat, *eoque dependens non foret dependens*, quod est absurdum.

(e) Vid. Wolff. Met. §. 79.

§. 10.

Demonstratâ h. m. DEI infinita naturâ intelligitur, nihil non in DEO sine gradu esse: scientiam, potentiam, præsentiam (*f*) durandi vim, & alia generis ejusdem. (e) Quicquid in DEO est, infinitum est. Si vel unica virtus limitata foret, prior rediret quæstio, quæ ratio sit, cur hæc potius nec alia quælibet hoc afficiatur modo? Cumque nulla reddi possit, perspicuum est, eam virtutem vel esse nullam, eoque DEUM non esse perfectissimum, vel nullo coarctari gradu. Quod erat probandum.

(*f*) Quin & præsentia infinita sit, non est dubitandum, quidquid calumnientur Socini Discipuli. Ita enim Beza Epist. VI. T. III. operum p. 206. 207. *Axioma illud*, inquit, *Serveti de DEI reali vel essentiali in omnibus rebus & locis præsentia, ita urget, ut ex eo colligat non modo brutas pecudes, sed ipsa etiam corpora inanima animâ quadam communi vel cœlesti vetegari &c. Eam hominum animos communi quadam vi fovere, eoque recte illos vel DEOS vel Deificatos adpellari.* Proterva est hæc cavillatio inferius forsan tangenda. Vid. quæ *Wittichius in consensu veritatis p. 86. seqq. ed. 1682.* adversus Suaretzium de spatiis imaginariis DEO repletis scribentem disputat. Addatur quod in scripto: *Jansenistе convaincu de vaine Sophistique pag. 164.* de præsenti materia legitur. Confer. Vasquez. T. III. disp. Disp. 110. quæst. 25. Cap. 3.

SE-

SECTIO IV. CAPITIS I.

Quod DEUS sit unicus.

§. 1.

U*Nicum exsistere DEUM* sapientiorum inter gentes constans sententia fuit. Perviderunt enim multitudinem Deorum minime consentaneum esse rationi rectæ. (*a*) Duo tamen sunt observanda: aut in probanda ea veritate quosdam vacillasse, aut unicum Deum talem intellexisse, qui à rerum creatarum collectione universa distinctus non fuerit. Quod ad postremum adtinet, satis, opinor, ostendimus, DEUM, quem oporteat colere, à Mundo plurimum differre, cujus quippe rationem in se continet, quam universum ipsum contingens complecti non potest. Sed de primo nunc dispiciendum erit, an *argumenta pro unico DEO adlata, ejusmodi sint, ut supplemento ex recentioribus haudquaquam indigeant?*

(*a*) Socratem capitis damnatum, quod negaret Atheniensium DEOS pro Diis habendos, neminem fugit. vid. Xenoph. Apol. pag. 703. Augustinus observat, *non esse gentes usque adeo ad falsos DEOS delapsas ut opinionem amitterent unius DEI veri.* Contra Faust. Manich. L. 20. cap. 19. Lactantius Institut. divin. L. I. C. 6. p. 41. seqq. illud Mercurii allegat: ὁ δὲ θεός εἷς, ὁ δὲ εἷς διόματος ὑπροσδέεται, ἔστι γὰρ ὁ ὦ ἀνώνημος. Confer. quæ collegit Tobias Pfanner. in System. Theol. gentilis purioris. c. 2. §. 9. p. 51. seqq.

§. 2.

Ut huic instituto satisfaciamus, Patrum Ecclesiæ argumenta potissima allegabimus, quibus

adversus gentes, *unicum esse DEUM*, demonstrare sunt aggressi. *Quod est summum idemque perfectissimum, non potest esse nisi unum, nam is demum est perfectissimus, qui solus totum habet*: atqui DEUS. E. *Domino omnium Dominantium convenit ut sine socio imperet, alias nec ipsius majestas erit maxima, nec ipse solus dominabitur Universis nec solus omnia gubernabit.* atqui Deus Rex regum. E. (b) *Non possunt esse actu multa infinita, at DEUS sua natura est infinitus. E. si multi sunt Dii, circumscripti sint necesse est, ubi enim fuerit unus alter esse non potuerit, atque περιγραπτον εἶναι in Deum non cadit. E. Si plures sunt Dii aliqua inter illos differentia sit oportet, si autem sit differentia ita ut unus habeat, quod non habet alter, non poterunt esse perfectissimi.* (c)

(b) Ignatius Epistol. IX. ad Antiochen. Clemens Alexandrin. orat. exhortat. ad gentes. Tertullianus contra Praxeam in apolog. lib. de Idololatr. L. V. adversf. Marcion. Lactant. L. I. institut. cap. 3. Augustin. I. de Trinit. c. 4. Damascenus de orthodox. fid. L. I. c. 5. &c.

(c) Hoc argumento etiam recentiores utuntur. Opalenski de offic. L. III. c. 1. p. 183. Roell. de relig. natur. §. 61. Heinsius Theol. nat. c. 3.

§. 3.

Examinabimus jam hinc inde supplenda, ne quis autem id à me fieri miretur, non possum quin moneam, jam olim à Viris doctissimis observatum, *unitatis* (d) *divinæ ideam natura minus evidentem esse, quam existentiæ notionem*; speramus igitur fore, ut examen argumentorum, pro hac veritate facientium, nobis vitio non vertatur. Primo arguunt Ecclesiæ veteris sidera *ab Idea perfectissimi entis*

tis ad naturam ejus unicam. Recte quidem, si modo prius ostenderint, quomodo eo ratiocinio & contra Manichæos uti liceat, qui alterum Deum suum, eundemque malum, *summum quidem dixerunt, non vero perfectissimum.* (e) Cum & ipsi Patres, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum videantur dixisse, (f) non unitate, ut Philosophi (g) loquuntur, numerica sed specificâ solum; eoque tria perfectissima entia forsan statuerint; non potest hoc eorum ratiocinium quidquam habere roboris. Accedit tertio quod nondum commonstrarint, fieri non posse, ut tria seu plura perfectissima existant, pe omnia sibi mutuo æqualia, nam & is perfectissimus est non qui solus omnia habet, sed cui nihil perfectionis deest, non advertendo, sive alii existant omnibus perfectionibus ornati, sive minus.

(d) Grotius de J. B. & pacis. c. 10 §. 47. affirmat *minus evidentem esse unitatis divinæ Ideam quam ejus existentiam.* Reprehendit id quidem Osiander ad h. l. & Buddeus de Pierate Philos. §. 19. Sed ipse discursus præsens excusabit Grotium. vid. Coudvvorth, system. Intellect. L. I. cap. 4.

(e) Juxta Manichæos enim *conflixerunt duo principia, postque conflictum mixtura remansit mali & boni.* Vid Augustin. de Hæresibus cap. XLVI. fol. 115. in edit. Lambert. Danæi. vid. *de ineptiis Manichæorum, quibus lunæ phases explicabant*: Basnag. Histoir. de la Relig. des Eglises Reformées T. I. p. 125. 126.

(f) Adparet ex Veteribus, eos credidisse, quod tres sint Naturæ divinæ, *numero diversæ sunt unius speciei.* Vid. Steph. Courcellæi Quatern. dissert. 1. §. 74. & seqq. & Vit. Eusebii ac Gregorii Nazianzeni. Accedit quod vox ὁμοούσιος ex Platonicorum usu significaret, *ejusdem speciei*, & synodus Chalcedonensis in

suo symbolo statuerit: *Filium esse nobis ὁμοούσιον καὶ ἀνθρωπότητα, ut est ὁμοούσιος Patri, κατὰ θεότητα.* Vid. Coudvvorth. in libro anglico inscripto: *the true system intellectual of the universe* L. 1. c. 4. p. 606. seqq. Addatur Bælius in Diction. Hist. crit. p. 330. a. edit. tert. Ubi Juriæum in hanc sententiam allegat. Vid. Buddeus Th. dogmat. p. 428.

(g) Ita enim Aristoteles Metaph. L. IV. c. 6. λέγεσθαι ἓν ὧν ἡ οὐσία μία, μία δὲ ἢ συνεχεία ἢ εἴδει ἢ λογῳ. *dici unum, quorum essentia una est, una continuitate, aut specie, aut ratione.*

§. 4.

Alterum ratiocinium fulcro pariter indiget. *Convenit*, inquiunt, *Dominio Dominantium ut sine socio imperet, alias nec ipsius majestas nec erit maxima, nec ipse solus dominabitur.* Vellem ut ab hoc argumento morali abstinuissent veteres, si non ob imbecillitatem argumenti, certe tamen ob argutiarum, quibus ei occurrunt adversarii, ambages non tam levi negotio extricandas. Nec enim divinitatis personæ quælibet solæ imperant exclusis duabus cæteris, nec vero etiam pluribus in Aristocratia competens majestas, tollit supremam majestatis dignitatem. Prolixum foret, regerere, *à Christianis tres duntaxat personas fide divina credi, non autem substantias, ibi igitur Majestatem supremam manere, non vero hic, ubi per distinctas substantias distribuatur:* eo enim effugio non commovebitur adversarius, nam ab absurditate societatis in imperio divino argumentum ducebatur, ab eadem autem societate trium personarum divina Majestate æquali gaudentium, petitur instantia. Ternio substantiarum est extra tertium comparationis. (h)

(h)

(*b*) Accedit quod Manichæi, & qui cum iis sentiebant, unicuique principio bono & malo summam in suo genere potestatem tribuebant, alteri ad omnia bona, alteri ad mala quævis inferenda, contra quos hôc argumento feliciter non pugnaveris, dicent enim *arbitrium mali indignum esse Deo bono, licet suprema majestate omnia moderetur, quæ bona sint.* De Sclavis testatur Helmoldus Chronic. Sclav. cap. 53. Quod summum mali arbitrium Deo cuidam nomine ZEEVUBOCH tribuerint, Paria de Germanis quibusdam Vossius tradit de orig. Idololatr. L. 1. cap. 8. p. 280. Atque hodienum provinciæ Fetu in Africa incolas persuasum sibi habere notum est, *esse aliquod Numen, cui omnia mala, aliud, cui bona accepta ferenda.* vid. Wilhelm. Müller Beschreibung der Africanischen Landschafft Fetu p. 43. 44. apud Pfanner, in system. Theol. gentil. p. 258.

§. 5.

Tertium ratiocinium in eo ponitur, *non posse actu dari plura infinita.* Perbene id quidem affirmatur; sed quomodo id probabimus? *Infinitum dicitur, quod omnes perfectiones complectitur,* quâ quæso ratione evincemus, *non posse duo, aut plura complecti omnes perfectiones?* Quid, si fingat adversarius fieri id posse, quomodo tum erroris arguendus est? similis ratio cæterorum est argumentorum. Verosimilitudine eminent multo maxima, ut ad summum tamen demonstrationis cacumen evehantur, supplemento opus est. Dicunt, *si plures sint Dii, circumscriptos eos propterea esse, quoniam non esse possit unus, ubi fuerit alter.* At quod perfectissimum est, alteri consentit, si duo sunt Dii, sunt profecto amicissimi, quia perfectissimi ambo, nullo livore laborantes. Postremum denique argumentum viam

viam ad supplementa monstrat, quæ nunc jam sumus exhibituri. *Si plures sunt Dii, aliqua inter ipsos differentia sit oportet. Si autem sit differentia, ita ut unus habeat quod non habeat alter, non poterunt esse perfectissimi.* (i)

(i) Detestanda est Polytheismi à gentibus introducti, quæ δῦμον θεῶν pro uno vero Deo coluerunt. Quidquid humus, pelagus, cœlum mirabile signant, Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas. Varro trecentos commemorat Joves. Vid. Augustinus L. VI. & VII. de civitate Dei. Hesiodo τρεῖς μοίριοι εἰσι θεῶν ἐπιχθόνι πολυβοτείρῃ.

§. 6.

Quod si forte ogganniverit protervus ἀντιλέγων, *posse existere plures DEOS, eosdemque nulla prorsus perfectione differentes, eoque undiquaque perfectissimos omnes, sed distinctos tamen numero;* (k) Pervulgatum enim est Scholasticorum cohortem, & ea differre, quæ numero discrepant, docuisse; quid eo casu regerendum est? Novi esse absurdam fictionem, sed qua via ineptus error detegendus est? recurrendum ni fallor ad principium Leibnitii, *quod ea sint unum idemque sub diversis nominibus, quæ penitus non possint distingui.* (l) Si finxeris DEOS duos perfectissime sibi mutuo æquales nec minimo discrimine differentes, non duo, sed unum Numen concipis duobus titulis adpellatum.

(k) Vid. Scheibler. L. I. cap. 7. p. 104.

(l) Primus enim, qui hoc principium distincte docuit Leibnitius erat. Vid. Recueil de diverses pieces par Mr. Nevvton, Leibniz. &c. T. I. p. 50. *ces grands Principes de la raison suffisiante & de l' Identité des indiscernables*

nables changent l'etat de la Metaphisique, qui vient reelle & demonstrative par leur moyen. Quanquam non ulla obscurè cognoverint ipso Antiquiores. v. g. Cicero Acad. quæstion. L. II. ait: *dicis nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pius alius nullum granum &c.* Jacobus Thomasius in Logic. Cap. 4. de individ. ita definit individuum, ut ab hoc axiomate non videatur longius abfuisse. *Individuum est*, inquit, *quod constat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio aliquo eadem esse potest.* Ergo nullum individuum alteri ex omni parte simile, ergo juxta Leibnitium, eorum quæ alteris prorsus similia sunt, non est distinctio, sed cum alteris unitas. Quis igitur duo Deorum individua fingit penitus æqualia, unum cogitat DEUM sub diverso nomine. Claubergius in Metaphys. quæ operibus Philosoph. omnibus inserta p. 306. h. m. philosophatur. *Singularem cujusque rei unitatem cognoscimus ex certis conditionibus, quæ omnes simul sumtæ in alia re eadem numero inveniri nequeunt*: his versibus comprehensæ:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, Patria, tempus,
Propria quæ septem continet omnis homo.

Hoc axiomate observato magnæ difficultates de spatio, tempore creati mundi, compositione continui aliisque famosis labyrinthis exortæ solvuntur. Vid. Bülff. Dilucid. p. 445.

§. 7.

Hôc unô observatô, cuncta argumenta in antecedentibus allegata vim demonstrandi sortiuntur. Primò enim licebit cum Patribus Ecclesiæ citatis ab idea perfectissimi entis arguere ad ejus naturam unicam. Nam si duæ pluresve existerent naturæ perfectissimæ: inquirendum foret, num illæ quodam adtributô differrent, nec ne? si diffe-

differunt, recte cum Patribus colligis, habere unum DEUM, quod alter non habeat, esse igitur eo deficiente minus perfectum: si non differunt, ex recentiori Leibnitii Philosophia concludi potest, quod veteres non adverterunt, non duos sed unum cogitari DEUM sub diversis nominibus. *Quicquid enim ab altero plane non potest distingui, idem est cum eo, haudquaquam diversum* (*m*).

(*m*) Hoc axioma in præsenti eademque distincta applicatione priscis ignotum fuit. Quanquam Augustinus de civitate Dei L. IV. C. 11. Huetius demonstrat. Evang. propos. 4. p. 122. Coudvvorth. Systemat. intellect. L.I. C.IV. Clericus Bibliothec. choisi. T. III. art. 1. p. 75. Chaovinus de relig. nat. P. I. cap. 5. Prolixe docuerint unitatem Dei gentibus non ignotam fuisse.

§. 8.

Mittimus ratiocinium secundum, quo non indigemus, dicturi tantum de tertio, quod *plura infinita existere nequeant.* Nimirum fulcitur hæc ratio axiomate nostro. Si possunt existere perfecte similia, eademque distincta numero, potest etiam fieri, ut duo sint infinita quorum utrumque omnibus perfectionibus ornatum est. At si perfecte similia, quæ discerni nullo pacto possunt, unum idemque sunt, sub diversis nominibus: perspicuum est, sub duobus infinitis, quorum unum quodque alterum ex omni parte æquat, cogitari nonnisi unicum DEUM, adeoque ludi tantum & decipi incautos. Non igitur locum invenit, quod postremo argumento est obversum dubium. *Posse nimirum æquales esse duos pluresve Deos, similesque per omnia, ut habeat quisque eorum, quod*

quod possidet alter, interim differre tamen, sed nonnisi numero. Nam qui nonnisi numero differunt, plane non differunt, eoque Polytheismi figmentum sua sponte corruit.

§. 9.

Nunquam potui à me impetrare ut commoverer argumento sequenti: *Si Dii forent plures, aut alter alterius opus destruere posset aut non. Si posset, secundus non esset omnipotens, si non posset, primus foret imbecillis.* Atqui *utrumque est absurdum.* E. (*n*) Qui enim plures Deos fingunt, perfectissimos dicunt omnes, eoque ita affectos, ut propter perfectionem i. e. consensum, nemo eorum possit nolle, quæ alter vult. Nec etiam alter alterius opera, hôc commentô stante, destruere potest. Quantum enim abest ut impotentiam arguat, si unus DEUS se ipsum destruere nequeat, aut ea velit evertere opera, quæ condenda judicavit sapientissime: tantum etiam abest, admissa isthâc hypothesi licet absurda, ut infirmitatem prodat, si alter Deus alterum destruere, vel ejus opera perdere nequeat, consentit enim cum altero, cui perfecte similis est, per omnia nec alia agenda judicat, quam ipse prior. (*o*)

(*n*) Argumentum à Jægero urgetur in Theol. natural. pag. 18.

(*o*) Hinc si vel maxime plures fingantur Dii, iidemque æquales perfectissime, divini tamen cultus vincula non pessum eunt quibus potentissimo Conditori obstringimur. Vid. Bülffing. Dilucid. p. 445.

§. 10.

Intelligitur ex his quare nonnisi unicus Deus exsistere, præter DEUM autem infinita rerum varietas

rietas habere locum queat. Nimirum res omnes præter Deum non sunt perfectissimæ; possunt igitur differre, perfectionum gradu, numerô. Sed cum per vocem DEI intelligamus eum, qui omnes omnino perfectiones complectitur, & eas quidem sine gradu possessas; cognoscitur sane, plures ejus generis esse non posse. Nam cum singuli omnibus & sine gradu quidem perfectionibus exornati forent, nullum remaneret distinctionis fundamentum. *Qui enim bis omnia cogitat, si differre tum ea statuat, aut alterutro conceptu non comprehendit omnia, aut eadem omnia diverso mentis actu concepit.* (p)

(p) Non feliciores in probanda hac veritate fuerunt Scholastici. Thom. Aquin. p. 1. quæst. art. 3. DEUM esse unum probat, *ex simplicitate, ex unitate perfectionis, 3. ab unitate mundi.* Quod argumentum quidem recte expositum in axioma de sufficientis rationis necessitate resolvitur. Cum enim unicus DEUS unius mundi rationem sufficientem in se continere possit, præter rationem plures finguntur. Vid. Wolff. Metaph. §. 1083. Scotus urget. 1. sent. distinct. 2. quæst. 2. *Quod in causis essentialiter subordinatis oporteat ponere statum, ne fiat processus in Infinitum*, unde concludit esse aliquod ens primum, huncque primatum *uni soli naturæ convenire.* Sed Biel 1. sentent. distinct. 2. quæst. 10. art. 3. ait, *quod non demonstratum sit ratione naturali, esse unicum DEUM.*

SECTIO V. CAPITIS I.

De DEI Sanctitate.

§. 1.

PLures existere Deos non posse, in subsidium vocatô Leibnitii axiomate, argumento compro bavi-

bavi, quod omne dubium superat; Nec enim curandos esse Manichæos puto, qui mali summum arbitrum fingentes, mali naturam, quæ in perfectionum absentia ponitur, non intellexerunt: Nihil igitur superest, quàm ut ex recentiorum dogmatibus pauca addamus, quæ ad illustrandam sanctitatis divinæ notionem comparata sunt. Infinitum ideo diximus DEUM, *quod, quidquid perfectionis cogitari potest, complectitur:* nunc sanctum cum recentioribus (*a*) vocare licebit, *quod perfectiones solas nec diversum aut contrarium quiddam continet.*

(*a*) Ita Bülfinger Dilucid. p. 513. *per infinitudinem id denotavimus, quod DEUS complectatur omnia realia, per sanctitatem intelligimus, quod sola illa possideat, non vero admixta eorum opposita.*

§. 2.

Notio sanctitatis cum naturæ infinitæ idea necessariò connexa est. En argumentum à citato auctore omissum! *Qui infinitus est, omnibus, quæ animum subire queunt, ornatur perfectionibus.* Finge jam, non esse eum sanctissimum, contaminabitur quâdam imperfectione, atqui imperfectio nil aliud est quam perfectionis cujusdam absentia. Ergo si infinitus non est sanctissimus, non complectitur omnes perfectiones, i. e. infinitum non erit infinitum, quod manifestam prodit absurditatem. (*b*)

(*b*) Sanctitatem Buddæus Theolog. dogmat. instituc. p. 325, ita describit: *Quando Deus amore purissimo se amare concipitur, ut simul ab omni imperfectione remotus, secretus, separatus censeatur, amor ille vocatur*

sanctitas. Parum hæc definitio à nostra differt, nisi in eo, quod amoris mentionem faciat, quam consulto omisimus.

§. 3.

DEUS necessario est is, qui est, cunctas sc. perfectiones complexus, & quod inde intelligitur, ab imperfectione omni separatus. Sine isthac idea DEUM non conceperis, sed idolum. Omne quod in re qualibet primo & necessario concipitur, essentiæ vocabulo adpellatur; est ergo perspicuum, DEUM per *essentiam* sanctum esse. Cum perfectiones non pendeant à DEI voluntate; neque enim Numen suas, queis nunc vestitur, perfectiones immutare, aliasque eis substituere potest: sequitur, DEUM nonnisi ea velle quæ suis perfectionibus digna sint, adeoque sanctitatem esse voluntatis normam, non vicissim, sanctitatis regulam voluntatem. (*c*) En tibi fundamentum, *objectivæ*, quam vocant, *moralitatis.*

(*c*) *Τὸ δίκαιον εἶναι κατὰ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ est vetus Archelai paradoxum, cui succinit Aristippus, & Theodorus ille ἄθεος appellatus. Quâ sententiâ nihil potest excogitari pestilentius, & ad omne fundamentum religionis tollendum, ipsamque rationem justitiæ DEI & necessitatem Servatoris interimendam & pietatem exscindendam efficacius.* Verba sunt Cocceji in summa Theol. Cap. 24 §. 6.

§. 4.

Sanctitas DEI versatur in complexu perfectionum omnium, excluso eo omni, quod innuit imperfectionem, i. e. dissensum inter virtutes supremi numinis. Parum igitur sanctus foret,

si quid ageret DEUS, quod quandam inter virtutes suas argueret disharmoniam. Atqui si intellectus DEI duos repræsentat homines, v. g. Petrum apostolum, & Judam proditorem, quorum neuter quidquam habet, ex quo DEUS moveri posset, ad illum huic anteponendum; & voluntas tamen sine intuitu rationis in objecto alterum eligeret, alterum vero reprobaret; disharmonia oriretur inter intellectum & voluntatem: ergo sancta ea voluntas non foret, quæ prorsus sine causa in objecto prævisa ageret. (*d*) Intelligis, *Lector benev. quantum definitionis momentum sit.*

(*d*) Nomina eorum, qui electionis decretum intuitu fidei formatum dicunt Barthold. Holzfusius tradit in tractat. Theolog. de prædestinat. Sect. II. §. 7. p. 117. *Si*, inquit, *absolutum opponatur ordinato, decretum DEI minime absolutum esse, siquidem illud respectu ad Christum & conditione fidei ordinatum sit &c.* Verum enim vero videtur laudatissimus vir exsecutionem tantum decreti ordinatam facere, non decretum ipsum, de quo semper redit quæstio, an hæc voluntatis propensio cum intellectu consentiat? nihil enim ab intellectu Dei in Juda prævisum, quod ipsum postpônere posset, aut hunc præferre, & voluntatem tamen in hunc eligendum ferri præ altero, experientia docuit.

§. 5.

Sanctitas DEI per omnes ipsius virtutes diffunditur. *Sanctus est intellectus, qui nulli errori assentitur unquam, sancta voluntas, quæ nunquam adprobat, aut indulget malum*, sed nonnisi bonum amat, *sancta sapientia, quæ semper bonos fines eligit, eisdemque subordinat media adcommodatissima Sancta ipsa essentia, quod non complectitur, nisi perfectiones omnes*, easdemque *solas*. Qui igi-

tur cum illustri Viro (e) sanctitatem DEI supremum benignitatis cacumen adpellat, meâ sententiâ de voluntatis divinæ sanctitate loquitur. *Benignitas enim est propensio voluntatis conferendi aliis perfectiones.* Qui proinde semper conatur in alios perfectiones conferre, Sanctus utique vel & justus est.

(e) Definitio est Leibnirii in Theodicea Part. II. p. 151

§. 6.

Qui sancta excellit voluntate amat bonum, qui sanctior, fertur in *solum* bonum, qui sanctissimus tendit *in omne bonum, ut malum amare non possit.* (f) Illius exempla sunt vere pii, istius autem, sedium beatarum incolæ, hujus denique, nonnisi solus DEUS. Ergo qui sanctus est, malum odit. Qui enim bonum, quod in perfectione positum, amat, molitur ejus contrarium destruere, videlicet, quod sæpe dixi, malum. Sed ita DEUS odit malum, ut illud impediendo majus non committat. Quocirca permittit peccatum, ubi convenientius est non impedire, sin minus, nunquam non obstiterit. (g)

(f) Vid. Buddæus Theol. dogmat. p. 302. edit. prim. *Ex eo enim quod DEUS semper optimum eligit, & amplectitur, sua sponte consequitur, quod omnia etiam ad bonum dirigat finem.*

(g) Gerhard. de peccat. p. 125. *Quia DEUS ex lapsu homines bonum elicere novit, ideo voluntarium hominis lapsum non impedivit.* Bonum igitur è lapsu eliciendum præstat ejus permissionem convenientiorem quàm impedimentum. Addatur Ursinus oper. Theol. Vol. I. fol. 222. *Non impedit DEUS lapsum, quia novit ex eo boni quiddam elicere; non tamen inde efficitur, quod ipsum lapsum voluerit, quin potius voluit bonum istud, quod ex lapsu elicere novit.*

§. 7.

§. 7.

Non potest non esse sanctum in Cœlis habitans Numen. § 3. Si non foret sanctus DEUS, non esset infinitus, si talis non existeret, DEUM egomet non agnoscerem. At quam diversa est hominum conditio! Non sunt infiniti, nec possunt quidem esse. Quocirca nec omnibus excellunt perfectionibus, & illæ ipsæ, queis paucis gaudent, gradibus sunt distinctæ suis. Habent igitur imperfectionis plurimum. Sanctitas, si quâ resplendescunt, contingens est, cum exspirare possit. Si præpollente quidem boni amore possim gliscat appetitus mali, incoata sanctitas, si, extirpatô mali amore, solus boni ardor flagret, Perfecta sanctitas, sed humana tamen oritur; non involvit enim contradictionem, homines tum odisse bonum, quanquam pro statu præsenti nunquam id sint facturi. Contra DEUM odisse bonum, i. e. sanctitate exui, tam fieri non potest, quam fieri nequit, *ut idem non sit idem. Adoranda* (b) *hæc est sanctitas*, Esaj. 6. ℣. 3. quoniam perfectionis divinæ ineffabile specimen exhibet, quod immenso post se spatiô relinquit, quos Romana Ecclesia jubet adorare. *Adoramus, quod vult omne bonum, & solum id quidem, quod approbat omnem veritatem, & exclusô quidem errore, ne si quadam duntaxat bona, quædam vera amantes colamus, aut, vobis bona, nolle, aut nescire deprehendantur.* Ita non sterilem in Theologia definitionis usum esse cognoscimus.

(b) Adoranda igitur sanctitas non inest in iis, quos colere flexis genibus jubet Rom Pontifex; alterum autem adorandi fundamentum nonnisi figmentum est. Caussantur sc. *Christum sibi non reservasse nisi pœnas*

gratiæ autem omnis administrationem contulisse in matrem. Vid. Basnag. Histoir. de l' Eglis. Liv. XVIII. Chap. 11. p. 1082. Mr. Arnauld. difficultez proposez à Mr. Stegaert P. I. p. 60. Quam blasphemum est cum Jesuita Osorio in uno sermonum, apud Drelincour. in Relique à l' Eveque de Belley pag 374. affirmare, *quod DEUS Mariæ Virgini dederit innumeras chartas litteris vacuas easdemque obsignatas,* (une infinité de blancs signez) *ut eas distribueret hominibus pro arbitrio.* Vel ipsæ gentes rectiora sentiebant. Xenoph. in Hierone pag. 584. ait. Ἐγὼ οὖν φημὶ ἀνδρὶ ἄρχοντι τὸ μὲν ἀνάγκης δεόμεν μενον, ἄλλοις προεῖναι κολάζειν, τὸ δὲ τὰ ἆθλα ἀποδιδόναι δι ςακτεόν αὐτοῦ ποιητέον.

CAP. II.

De usu Philosophiæ maxime juxta accessiones recentiorum in articulo.

DE SCRIPTURA.

§. 1.

CUm ex recentiorum axiomate *nihil fiat sine sufficienti ratione,* & sacrarum auctoritas litterarum ex evidentissimis characteribus ceu totidem rationibus explendescat: quanta hujus Philosophiæ consensio cum protestantium Theologia sit, omnino perspicitur. Ex adverso, quemadmodum auctoritas, quam Rom. Pontifex poscit nullo fere idoneo argumento nititur, nisi maligno isthoc, quod ad accusandam scripturæ obscuritatem, litium inde ortarum multitudinem, Judicisque necessitatem pertinet: perspicuum est nulla ratione suffi-

sufficienti fultum imperium pontificis. Quis auctoritatem toleret, quæ nullam ob causam se obtrudit, quam quia conatur aliam multo digniorem oppugnare nec non destruere? Sic in syllogismo pro auctoritate sacrarum formato litterarum Majorem Philosophia recentiorum præbet, Minorem suggerit experientia cum interna tum externa. Non est igitur illius in præsenti loco nullus plane usus. (a)

(a) Auctoritatem sibi vindicare nulla ratione munitam importuni solet esse hominis. Quam ridiculæ Canus L. VI. cap. 8. locor. Theolog. scribit? *Papæ conclusiones esse veras & necessarias, etsi præmissæ neq; veræ nec rectæ sint.* Quem rider jure Hülsemann, in Manual. August. Confess. disp. 13. p. 575. *Novum id in Logica privilegium* vocans. Addatur Thom. Cren. in not. ad Gabriel. Naudei Bibliograph. polit. p. 536.

§. 2.

Cuidam auctoritati credendum est sine ratione, cum à ratione tamen disjuncta non sit, sæpe tamen rationi tribuitur fides, quæ ab auctoritate omni separata est longissime. Nimirum illinc, non est præsto ratio specialis credendi hoc, adest tamen generalis, ut credas testanti, sic auctoritas cum ratione conjuncta est; hinc autem ratio à fide secreta semper specialis est, & absque auctoritate elicit assensum. Auctoritati divinæ in sacris loquenti nec alleganti rationem, quam habet, obtemperandum est; eam fidei maximam dixero vim, quâ colitur DEUS. (b) Sed auctoritas tamen divina nunquam sine ratione est admittenda, ne in tenebrarum Muhamedi, nescio quas revelationes temere fingentis, incidas regna. Hic

trames medius interjacet inter extremos errores. Sunt, qui auctoritati subesse nulli volunt nisi præceptorum omnium specialissimas allegat rationes, cum ratio tamen generalis falli auctoritatem hanc non posse, sufficiat. Atheos isthos voco & Naturalistas pessimum genus hominum: sunt etiam ex adverso positi, qui auctoritati subjiciunt nullo idoneo argumento corroboratæ, cœcæ ei quidem, & erroris plenissimæ; quô nomine Pontificis assentatores accusandos esse quis non videt? Vitabimus igitur ambos scopulos, si divinam auctoritatem non admiserimus sine ratione; nec specialem rationem anquiramus in iis quæ auctoritate DEI stabilita sunt.

(*b*) Ipsi Pontificiorum nonnulli h.l. consentiunt. Balduin Junius Ord. S. Franc. de observantia L. 12. Manual. Theol. c. 6. p. 523. *Auctoritas Scripturæ divina prorsus est, quod ipsum ex fide nobis constat, tum ob revelationem divinam in eadem Scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam proprie ipsa fides respicit.* Non admittendam sine ratione sufficienti auctoritatem divinam vel Huetius Pontificis assecla docet libro, quem inscripsit *demonstrationem Evangelicam*, qua tot argumentis Evangelio auctoritatem conciliare studet. Non quidem fugit quid impudentissimus Atheus Tolandus ejus instituto obverterit, sed & scio, quod illud vindicarint Jacob. Fayus in defens. religionis nec non Mosis & Gentis Judaicæ differt. poster. c. 1. & 2. p. 186. Morinus in peculiari dissertatione, quæ exstat in dissert. varii argumenti à Tilladero linguâ Gallica editis T. I. p. 458. Si sine ratione revelatio amplectenda, frustranei fuêre conatus omnium, qui de verit. relig. Christianæ scripserunt. Quorum numerus fere iniri non potest. Adi, si placet, Pfaff. Hist. litter. T. I. sub init.

§. 3.

§. 3.

Quod si fieri sine ratione ulla res potest, non obstat quidquam, quo minus auctoritas Romani Ponificis exsistat, aut nullis, aut non tam firmis sustentata rationibus, quam sacrarum dignitas litterarum, nihilo secius tamen audienda; quoniam ut divina credatur, sufficit, eam ipsam id caussari. (c) Quis autem Theologus hoc dixerit? Contra si sine ratione sufficienti adoptanda non est, plura ab ipso Pontifice auctoritatis documenta alleganda erunt, quam sacræ quidem litteræ commonstrare queunt: auctoritatis enim scripto revelatæ testimonia dubiis obnoxia contendit, quibus aut superior decet esse Pontificis auctoritas, aut nulla. Dicam clarius. Vellicat Pontifex Naturalistarum dubiis (d) scripturarum auctoritatem, suam quippe substituturus. *Quodsi igitur nihil sine ratio adoptandum*, jure quærimus: aut superior Naturalistarum dubiis, quæ contra revelationem urget, Pontificis est auctoritas, aut æqualis, aut inferior. Si superior vocetur, tum non ex sacris litteris, inferioribus quippe, sed aliunde Pontificis firmanda est potestas. Quis autem credat, vel ex ipso Papæ regno, plura portenta, plura vaticiniorum complementa, plura alia pro Pontificis potestate pugnare, quam pro sacris litteris, *quàm id commentum sine ratione est*! si æqualis sit Pontificis auctoritas ἀυθεντίᾳ codicis sacri, tot utique dubiis premitur ipsa, quos hanc exagitari calumniatur, eoque ex propria hypothesi audienda non est: Sin vero sit ejus dignitas inferior auctoritate S. codicis, cur eam sequeremur? cur moveremur tot

ſcripturarum obtrectationibus ? cur principium noſtrum non amplexi potiorem revelationis partem eligendam judicamus præ Pontifice? (*e*) Ita in auras vel abeunt, vocato *ad animum rationis ſufficientis principio*, quæcunque adverſus Scripturæ auctoritatem vibrantur tela, vel in ſuos retorta proprios configunt Dominos.

(*c*) Eo enim ſpectat Pontificis conſilium, *omnes judicare, nec judicari à quoquam.* Vid. Dictatus Hildebrand. apud Baron ad annum 1076. & Rechenbergii diſſertationem de Totatu Hildebrandino edit. 1693.

(*d*) Notum eſt quibus armis aggrediantur Scripturam Jeſuitæ. Vid. Gerhard. Confeſſ. Cathol. p. 436. ubi ingentem eorum Catalogum exhibet, qui dubiis Naturaliſtarum Scripturam detrudunt infra Pontificis auctoritatem.

(*e*) Pluribus enim divinitatis characteribus eoque rationibus ſuffic. micat, quam emendicata Papæ poteſtas. Per rationem h. l. innuo non *ſubjective* facultatem hominis cognoſcendi, ſed *objective*, id, ex quo cognoſcitur, præſto eſſe veritatem ab ipſo revelatam Deo, non excluſo, quod poſt aſſenſum, naturæ viribus colluſtratis Veritati tributum, ſuccedit, Spiritûs S. Teſtimoniô. Conſtat inde quid de controverſia inter Reformatæ Eccleſiæ Doctores agitata ſentiendum ſit. *An divina Scripturæ auctoritas non aliunde, quam ex ratione cognoſcatur?* adfirmabat quæſtionem Joh. van der Wagen Hermann. Alexander Rœllius, Henricus Hulſius Theol. Duisburg. libros duos *de principio credendi* Lugduni Batavor. 1688 publici juris faciens. Sed in contrariam ſententiam abiit Ulricus Huberus Jurisconſ. Franeq. editô ſcriptô, *de concurſu rationis & Scripturæ.* Pertinet huc Hermann. Witſius in diſſert. Epiſtol. ad Ulr. Huber. in qua *de Scripturæ S. auctoritate divina ex ſola ratione adſtruenda diſputatur* Traject. ad Rhen. anno 1687. Leydeker in exercit. Theol. *de Sacræ Scriptur. auctoritate ad conſcientiam adſtruenda.*

§. 4.

§. 4.

Faceſſant igitur Fratres Wallenburgici, (*f*) qui Præſcriptionem, qui traditionem (*g*) qui teſtes humanos, Scripturæ antepoſitos, nobis obtrudunt: Nam *aut illa omnia rationem veritatis habent, aut non habent*, ſin illud, *oſtendatur ratio*, quâ præſcriptiones, qua traditiones qua teſtes humani nituntur, videbimus *quantum ara diſſent lupinis: Aut ea cum ratione conjuncta non ſunt*, tum nec iis movere par eſt, ne faciamus, quod Muhamedani traditionibus præſcriptionibusque non deſtituti, factitare ſolent, eoque erroris pœnam luamus æternam. Nec ipſa auctoritatis ſumma antiquitas tantum provehitur, quin in rebus ad fidem pertinentibus, ſemper hodienum obſtringatur *rationem* adferre *ſufficientem* tur, aut quô jure tantum ſit dignitatis conſecuta faſtigium. Niſi forte fuerit, ut antiquiſſima paganorum ſacra Chriſtianorum recentioribus anteferre volueris. Obſervatis his, evertuntur omnia adverſariorum ſophiſmata, quibus litteris ſacris (*h*) inſidias ſtructuri Pontificis auctoritatem clam offerre conantur. Semper namque & de auctoritate, quam obtrudere volunt, eadem, immò centies, millies plura dubia occurrunt, quam illi Scripturæ exprobare audent. Faciat rei periculum qui poteſt, non hac parte profectò diſſentiet.

(*f*) Fratres, Adrian, & Petrus de Wallenburch in contractis de controverſ. tractat. general. noveno, ut vocant, *Muſarum* numero conſtantibus Agunt enim: 1) *de principiis fidei.* 2.) *De methodo Auguſtiniana.* 3.) *De articulis neceſſariis.* 4.) *De inſtrumentis probandæ*

bandæ fidei. 5.) De perpetua probatione fidei per testes. 6.) De traditionibus non scriptis. 7) De præscriptionibus Catholicis. 8) De missione Protestantium. 9) De Unitate Ecclesiæ, & schismate.

(g) Vid. Libr. citat p. m. 136. seqq. de præscriptionibus vero p. 161.

(h) Insidiis illis adscribo præscriptionis inventum, à Tertulliano excogitatum, à Pontificiis in abusus raptum longe maximos, ita enim Tertull. de *præscriptione* c. 15. p. 318. *quando hæretici scripturas obtendunt & hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso quidem congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus non admittendo eos ad ullam de scripturis disputationem.* Breviter nos ut expediamus sine prolixo verborum Tertulliani recensu, observandum est, Hülsemannum de præscript. thes. 3. p. 5. ita hanc vocem explicare: *Præscriptionem accipi apud Tertullianum generice, pro exceptione nascente ex aliquo vitio sive actoris, (ut quod ei non competat actio quod sit ignarus rerum, alienus, excommunicatus) sive testium, sive etiam judicis: non ex temporis legali cursu.* Sed observant Theologi, *Tertulliano negotium fuisse cum hæreticis, qui spretaScripturaS opiniones ex suo arbitratu, & sapientiæ singularis obtentu introduxerint.* ita Dannenhäuer in Christeide pag. 971. 972. probat ex Tertull. de præscript. c. 7 p. 195. *Fuisse hæreticos, qui adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui scripturas interverterint, qui non omnia Apostolos sciisse, & iterum, omnia quidem Apostolos sciisse, sed non omnia omnibus tradidisse dixerint:* Hinc ait citat. Theolog. *Totam disputationem Tertulliani esse tantum ad hominem: nam quia ab hæreticis parvi facta fuerit Scriptura, imo & depravata, ideo Tertullianum sine Scriptura probasse, eos ad Scripturam non pertinere. An,* inquit, *ideo N. T. Fundamentum fidei non est quia Judæi illud contemnunt?* Adde, quia ex N. T. contra eos non agimus: *Præterea quia iidem hæretici antiquitatem jactitârint, merito ad successionum decursus revocatos fuisse,* memorat idem. §. 5.

§. 5.

Nunquam in animum induxisset Theologus (*i*) profundissimâ rerum sacrarum notitia pollens, tot argumenta congestare pro sacrarum litterarum majestate, nisi iniquum esse credidisset; quemquam auctoritate duci, ratione sufficienti destitutâ. Pleraque ejus ratiocinia resolvuntur in generale hujus Philosophiæ axioma, *quidquid creditur, niti argumento debet, cur potius adprobari, quam rejici mereatur?* Argumentum v. g. quartum de miranda harmonia & connexione omnium partium Scripturæ confirmatur per notionem perfectionis, quam recentiores tradunt (*k*). Quintum de Testimonio Spiritus S. illustrant per doctrinam de experientia. Sextum & septimum ab effectu verbi divini petitum fulcitur illo recentiorum, *effectus non superat causam* (*l*) nonum ab occulta vi humanas mentes excutiendi, quæ Scripturæ competat, desumtum, commune dogma omnis est Philosophiæ, *futurorum contingentium, animæque scrutinium nonnisi in DEUM cadere.* (*m*) Decimum argumentum Scriptorum studia allegans, qui veritatem suæ existimationi anteposuerint, valere jussô propriæ utilitatis studiô, in Logica Viri Celebris secundum generales doctrinas exponitur. (*n*) Argumentum denique à miraculis pro Scriptura depromtum tale est, ut secundum Recentiorum placita non possit non arguere DEum. (*o*) Aut nihil igitur hac parte cum Theologia consentit, aut certe consentit, quam dixi, Philosophia.

(*i*)

(*i*) Ægidius Hunnius in aureo Tract. de Majestate S. S. seorsum Anno 1588. edito, sæpiusque recuso, & tomo denique operum ejus primo inserto, cujus & german. vers. dedit Isaac Fœckler, emendatamque cum præfatione edidit Vejel Ulmæ 1696. in duodec. form. de quo libro ita sentit Thomas Crenius: *Beati Æg. Hunnii tractatus florido maxime stylo & eleganti - - conscriptus, sic animum meum adfecit, ut neminem sciam qui hoc ipsum in argumento superet* in Exercitat. de libris Scriptorum optimis p. 27.

(*k*) Vid. Wolff. Metaph. §. 158. Bülffinger. de orig. Mal. §. 79. p. 40.

(*l*) Confer quæ de experientia traduntur Metaph. Wolff. §. 325. nullum enim est dubium, quin iisdem regulis judicetur *spiritualis experientia*, quam ordinaria hujus vitæ: quemadmodum & utriusque fori veritates Theol. Philos. regulis metimur logicis, ita ut nuspiam nec in Scriptura *à baculo ad angulum arguere* liceat.

(*m*) Gravissima est hæc regula à Leibnitio distinctius evolura & toti Dynamicæ fundamenti loco substrata. Vid. Journal des Sçavans 1691. p. 386. Recueil des diverses pieces &c. T. II. p. 189. il faut qu' il paroisse que matiere resiste &c. & qu' un petit corps en mouvement ne puisse pas en donner à un grand en repos, sans perdre de la sienne: *autrement l' effet surpasseroit la cause.*

(*n*) Ita ut nemo futura certo prædicere possit nisi DEUS, aut qui ab eo afflatus est.

(*o*) Vid. Logic. Wolff. ed. prim cap. 7. von der Wissenschafft, Glauben, Meynung &c. wann man kein *Interesse* siehet / welches einer von einer falschen Erzehlung hätte haben können / auch keine Umstände sich ereignen / daraus man schliessen könnte / er habe wenigstens sich ein *Interesse* eingebildet / so fället der Verdacht hinweg. Atqui nullius utilitatis intuitu Scriptores sacros, qui sæpe dogmata morte obsignarunt, talia prodidisse, luce meridiana clarius est.

(*p*)

(*p*) Vid. Recueil de diverſes pieces &c. p. 60. T. I. *Il y a des miracles reſervez à Dieu, & qui ſurpaſſent toutes forces naturelles* Wolff. *Metaph.* §. 642. Da kein Wunderwerck geſchehen kan / wann nicht auſſer der Welt ein von ihr unterſchiedenes Weſen iſt / ſo können diejenige kein Wunderwerck zugeben / welche auſſer der Welt kein anderes Weſen erkennen, i. e. die Atheiſten. ut paragraphi lemma oſtendit.

§. 6.

Qui cum ratione ſufficienti alterum auctoritatis ſuæ convincit, in eo conatu nil facit, quod ſignificationem illius minuere aut incertam præſtare poſſet. Aliter enim ageret contra rationem, quod eſt abſurdum: Atqui, ſi ſcriptores divi, imaginationis impetu abrepti, ultra dictionibus ſuis proceſſiſſent, quam ex mente divina debuiſſet fieri; incerta foret Scripturæ auctoritas, non diſſimilis ſcripto recenſui, auctoris affectu interpolato, **einem unrichtig geführten** Protocoll: Errant ergo, quotquot DEUM errores imbecillitatesque in ſcribendi negotio (*p*) Apoſtolis aut Prophetis indulſiſſe docent. Errant autem ideo, quoniam aliquid fingunt *cujus allegare nullam poſſunt ſufficientem rationem.*

(*p*) Sententia hæc fuit Joh. Adami Jeſuitæ Galli, in oratione ſacra 1650. Pariſiis habita. Quem Janſeniſtæ refutarunt: Vid. *Defenſe de S. Auguſtin contra les erreurs, les calomnies, les invectives ſcandaleuſes, que le Pere Ad. Jeſuite a prechées dans l' Egliſe de S. Paul ſur ce texte de l' Evangile de la Chananée. Je ne ſuis envoyé qu' aux brebis perdues de la maiſon d' Iſrael.* Ubi accuſatur 1) *quod Auguſtinum in ſuis ſcriptis obſcurum vocârit, quod fuerit genii Africani ardentis &c.* 2) *Quod infantes ſine baptiſmo dece-*

decedentes punitum iri pœna damni & sensus idem Ecclesiæ Pater docuerit. 3.) *Quod Augustinus terna vice sententiam de gratia mutârit, nec in ea firmus fuerit.* Eandem sententiam tenuisse dicuntur eôdem librô alii Jesuitæ antiquiores; Ex lectionibus enim Jesuitarum Lovanienſium & Duacenſium anno 1588. recognitis publice, libri illius auctores excerpserunt has propositiones: *Quod non necessarium sit ut omnia verba sint inspirata,* 2.) *quod non opus fuerit, ut omnes sententiæ, & omnes veritates immediate fuerint inspiratæ.* Sed hæc opinio non adeo periculosa est, ac illa prior. Sunt Viri litteratissimi, qui eam tuentur. Vid. Responſe de MS. Simon aux sentimens de quelques Theologiens de Hollande cap. 12. ejus Histor. crit. Nov. Test. c. 23. Cancellarii Tub. dissert. *de Evangeliis sub Athanasio non corruptis.* Item Bibliothec. univers. T. X. p. 132. T. XI. p. 80. *In Examen de la Doctrine de MS. Jurieu pour servir de reponse à un libelle intitulé second. Apolog. de MSC. Jurieu.*

§. 7.

Nullis Scripturam contradictionibus scatere constans, eademque veriſſima Theologorum sententia est. (q) Quem fugit tritissimum istud: revelationem *non esse contra sed supra rationem?* fecimus ejus rei mentionem Discursu præliminari. Atqui idem est præcipuum recentioris Philosophiæ dogma. *Veritatem Philosophicam non esse contrariam Theologicæ, utramque proficisci ab auctore eodem,* si nulla igitur ab hac doctrina Theologiæ utilitas expectanda est, certe & nullum damnum metuendum. (r) Absit ut quisquam dicat, *Scripturam ad tempus adoptatam, ita ut uno tempore secundum universalem ritum sit exponenda, mutato autem ritu iterum sententia mutanda!* Minime vero

vero. *Semper eadem mens DEI, semper sibi consentanea est.* (s)

(q) Si Theologiæ rationem adversari crederent sacrarum litterarum Doctores, cur tantô cum applausu tot harmoniæ biblicæ elaboratæ, exceptæ? Novimus diligentiam Waltheri *in Harmonica Hamb.* 1725, ubi Scriptores Harmonici citantur innumeri. Non enumerabo *Brougthoni concentum Scripturæ Anglice* primo scriptum, sed post latine versum. *Joh. Scharpii Symphoniam Prophetarum & Apostolorum*, Andreæ Althammeri *conciliationem locorum Scripturæ specietenus inter se pugnantium*, Martini Becani analogiam Novi & Vet. Test. Dominici Macrii contradictiones adparentes, omnes ejusmodi lucubrationes notiores sunt quam ut recensu egeant.

(r) Sententia Leibnitii de Harmonia rationis & revelationis eoque etiam Scripturæ exponitur prolixe ab ipso in Discursu Prælim. Theodiceæ præmisso. Legatur inprim. §. 20.

(s) Verba sunt Nicolai Cusani in Epist. II. ad Bohemos.

§. 8.

Diximus, pro ratione instituti, numquid in stabilienda Scripturæ auctoritate, opportunitatis habeat recentiorum Philosophia nec ne? Nunc in eo erimus, ut dispiciamus, an sacrarum literarum interpretatio detrimenti, seu utilitatis nonnihil capiat, ex doctrina eadem? In explicatione S. Codicis duo maxime spectari solent, vel enim dictionum phrasiumque significatus eruitur, ut, quæ DEI mens fuerit, decerni queat: vel nexus veritatum revelatarum adtenditur, ad quem interpretationes nostras exigimus, *quem vulgo analogiam fidei vocare solent.* (t) Si quidquam in recentiorum placitis deprehendi potest, quod alter-

utri instituto, vel utrique obstet, nihil ego pro hac eorum causa dicam amplius: Sin autem hermenevticas regulas robore firmet, adplicationem expeditiorem præstet, & in meditando juvet, non videtur utilitatis laude frustranda nostrorum hominum docendi methodus. Quemadmodum Papæam dixi auctoritatem, quæ sine ratione sufficienti obtruditur, divinam vero, quæ ratione munita est: Ita interpretationes ad rationem hermenevticarum regularum exactæ calculo Christianorum, quæ cœca auctoritate inculcantur, repudio eorum dignæ sunt.

(t) Buddæus Theol. Hist. litter. p. 1758. de analogia fidei ita judicat. Analogia ex locis claris & perspicuis nihilque difficultatis habentibus desumitur, & deinde locis obscurioribus illustrandis inservit.

§. 9.

Attingemus primam quæstionem de investigando vocabulorum significatu. *Voces nihil aliud sunt (u) quam signa cogitationum.* Cumque in Scriptura voces occurrant, non sunt soni sine mente, sed indicant potius, quid Spiritus S. sentiat. Quisquis igitur verbum DEI intelligere cupit, (x) eum oportet easdem cum vocibus ibi obviis ideas conjungere, quas Spiritus DEI fovit. Istæ autem ideæ aut lectô DEI in vernacula seu nota lingua verbô ad animum revocari possunt, aut non possunt. Si non possunt, Spiritûs Sancti erit sine verbo excitare istas notiones, sive in peregrina tibi, sive familiari lingua voces adspicias, legas, eoque voces non erunt signa. (y) Sin autem ad animum revocari possunt, intelligere licet verbum

bum in planioribus, nisi incuria obstiterit, aut præjudiciorum efficacia.

(*u*) Hanc *vocis* definitionem Wolffius tradit in Metaph. §. 291. Wörter seynd Zeichen der Gedancken.

(*x*) Ita ratiocinatur idem Auctor in Logic. c. 12. §. 1. de interpretat. Scripturæ.

(*y*) Signa enim quid aliud sunt quam res ex quibus aliarum præsentia intelligitur cit. loc. §. 292. *Absit ut faciamus cum Salmasio, qui Scripturam Æschylo non longe inferiorem* voluit de Hellenistica pag. 37. epist. dedicator. *quantum adtinet ad obscuritatem.*

§. 10.

Non est igitur impossibile, ut lectis vocibus, phrasibusque verbi, illæ ideæ animum adtenti, *saltem in doctrinis necessariis*, subeant, quas DEUS cum vocabulis copulatas voluit; nam aut vocem explicat ipse, quamque notionem formare oporteat, alibi ostendit; aut eam ad signandas tales adhibet notiones, quas animo jamjam antehac agitavimus. Ex his plerique Canones hermenevtici (*z*) demonstrari possunt. *Voces sunt signa cogitationum*, sed cum nemo penitius sensa animi scrutari queat, quam ipse, qui cogitat 1. Cor. 2. v. 11. manifestum est, quemlibet esse suorum verborum interpretem, eoque *Scripturam ex Scriptura explicandam*, quod Theologi Scripturæ analogiam (*aa*) adpellant. Quo plura de re cogitare, inque ea distinguere possumus, eo nobis obversatur clarior, ne igitur contra naturam vocum, audito sono verbi, nihil aut parum cogitare velle videamur, *clariora verba sunt obscurioribus illustrandis adhibenda.* En secundum Hermenevticæ canonem longe fecundissimum.

(z) Notæ sunt ex Antiquitate Tichonii Afri regulæ septem ad intelligentiam sacrar. scripturar. quæ exstant tum alibi tum in Bibliotheca mox. Patr. T. VI. p. 49. quas sub Examen vocavit Augustinus de Doctrina Christiana L. III. cap. 30. p. 114. seqq. Addatur altera pars Clavis Scripturæ Flacianæ, quæ Hermenevtici Systems. faciem induit, cum prima Lexici instar habeat.

(*aa*) Ex solvimur ergo obtrectatione Pontificiorum v. g. Rich. Simonii Hist. Crit. vet. Test. L. III. cap 16. pag. 448. nobis exprobrantis inter Pontificiam *interpretandi methodum traditionibus metiendam, & inter Socinianam sola ratione nixam non dari mediam.* Fallitur Autor, confundit *rationem*, *quatenus est cognoscendi facultas, & quà significat veritatum nexum.* Penes Socinianos quidem isto sensu ratio intrepretationis norma est, nullum enim mysterium in sacris admittunt, nisi sua cognoscendi facultate pervestigari posse videant, i. e. nisi desinat esse mysterium. Non est hæc ratio sed rationis sanæ abusus. Protestantium autem via media est, inter traditiones, & rationem h. sensu acceptam, sc. quidquid cum aliis veritatibus nexum habet, Scripturâ ex Scripturis explicatâ, quidquid per axiomata Hermenevtices seu logices *formalia*, ut vocant, cum vocum significatu conjunctum invenitur: id ambabus arripiunt, & in suæ fidei convertunt nutrimenta. *Vid. Anton. Coulan. in examine historico Crit. Nov. Test. ep. 4. p. 78. seqq.* Aliud est rationem colluſtratam sequi, i. e. nexus veritatum revelatarum, oracula ex oraculis explicando, aliud corruptam imitari rationem, quæ continuo improbat, quidquid intelligere nec vult, nec potest, etiamsi revera à DEO inspiratum fuerit.

§. 11.

Voces sunt signa cogitationum, non signa signorum, quæ ex aliquo, & per ambages ad signata ducunt. Atqui versiones signa sunt signorum, queis lingua originalis utitur, *non potest igitur*

igitur interpres commode linguarum originalium notitiâ carere. Hinc necessitas grammatici studii, rhetorici, cæterorumque pendet. (*bb*) Dantur cogitationum series, quarum saparati, à nexu toto, articuli haudquaquam intelliguntur, *quoties igitur plura vocabula iis seriebus signandis adhibentur, & antecedentia, & consequentia probe expendenda sunt.* Agnoscimus hoc axioma Hermenevtices quartum, idque longe præstantissimum. (*cc*) Pro temporum varietate, status conditione, temperamenti mixtura, studiorum diversitate, populorum denique, ad quos formamur, moribus, varie homines cogitare solent; *Scriptorum igitur* qui voces his rebus respondentes adhibuerunt, *historiam nosse*, ad interpretandas sacras (*dd*) littras cummaxime *adcommodatum est.*

(*bb*) Pertinet huc Philologia Salom. Glassii. Clerici ars Critica, quæ tamen censuram subiit Johann. van der Wayen. Cui se opposuit Clericus in Parrhasianis T. I. p. 415. Ex instituto eam impugnavit Johann. Heinr. Mey. in Introd. ad studium Philol. Critic. quæ repetito examini hist. crit. Simonis subjuncta Francof. 1699.

(*cc*) Urget id maxime Franzius, *de interpretatione Sacræ Scripturæ passim.*

(*dd*) Non tamen committendum, ut cum Grotio, aliisque, eruditionis ostentandæ causa, nimii simus in annotandis moribus, formulisque populorum, inprimis profanorum, cum ad sacras litteras explicandas accingimur. Vid. Joh. Laur. Mosheim cogitat. *de eo quod justum est circa sacrarum litterarum ex Græcis & Latinis Scriptoribus interpretationem, & emendationem* in libr. observat. hist. Critic. ann. 1721. C. 1. p. 1.

§. 12.

Interdum voces, cogitationum signa, non

unius generis ideas, nunc hanc nunc aliam indicant, interdum non distincte notiones innuunt, jam prorsus nihil (*ee*) denotant, jam ex genio linguæ tale *nescio quid* innuunt, quod alia lingua exprimere nequit &c. Primum si contigerit *ambiguæ voces*, secundum si evenerit *obscuræ*, tertium ubi observetur, *voces nihili* emergunt: Notandum igitur illas sæpe, has in scripturis nunquam occurrere, ad investigandas autem, quas intenderit DEUS, ideas, plurimum conferre, significatus omnes colligere, & iis examinatis judicare, quæ nam cogitatio hîc & nunc per voces indigitata sit; judicatur id autem ex canonibus, quos modo demonstravi. *Ita profectò ex recentiorum definitionibus doctrinisque potissima sanioris Hermeneuticæ fundamenta erui possunt, ut iniquum videatur, omnem eis denegare utilitatem.* Non descendo jam ad specialiora Hermeneutices corollaria; quoniam id hujus loci non est.

(*ee*) De vocibus nihili integrum caput curiosis exemplis illustratum Artis Criticæ à Clerico concinnatæ agit P. 226. cap. 9. P. II. sect. I.

§. 13.

Quod contradictionem involvit, (*ff*) cogitari non potest, & quod per se quidem fieri, & concipi potest, hac vice autem cogitatu ineptum foret, cogitari non debet. Cum *signa cogitationum voces esse* cum recentioribus sæpe dixerim; observari debet, frequenter evenire, ut voces talia signare videantur, quæ alii contradictoria credunt, alii vero possibilia. Iterum alii congrua putant, alii minus congrua, illis propterea à sensu literæ receden-

cedentibus, his eum acriter defendentibus. Conveniunt partes ambæ in eo, (*gg*) ut existiment, non juberi homines à DEO, ut cogitent, quod cogitari nequit, i. e. non inculcari per verbum ejus *lignea ferrea, circulosque triangulares*; sed in eo differunt, quod secundum regulæ *applicationem* abeunt in diversa. Quid tum faciendum est? *Quoniam voces sunt cogitationum signa, inquirendum erit, an id de quo quæritur, cogitari queat nec ne*, i. e. *num involvat contradictionem annon?* Sed hæc difficultas propemodum insuperabilis est, ubi ex parte una, aut altera radices egerunt opiniones præjudicatæ.

(*ff*) Ita recte decidit Tschirnhaus. in medicina mentis Part. II. p. 36. *nulla alia differentia est, inter ens & non ens, quàm inter possibile, & impossibile seu inter id quod potest concipi & non concipi.*

(*gg*) Vid. Leibnit. discurs. de Harmon. rat. & revelat. Theod. præmiss. §. 21. ubi gravissima hujus rei exempla allegat, quæ integras Ecclesias dividunt. Sic Reformati credunt, *contradictionem involvere, dari corpus omnipræsens*, eoque verba: *Hoc est corpus meum*, non explicant juxta litteram: contrarium sentiunt Augustanæ confessionis non variatæ Patroni.

§. 14.

Quia cogitationum divinarum, *quarum voces signa sunt*, profunditas, nostra animi sensa infinitis post se (& in regno naturæ) parasangis relinquit, Esai 55. v. 8. 9. fieri non potest, ut ideæ nostræ illas exæquent, aut rerum animo, per verbum oblatarum, perfectas nanciscantur explicationes, sufficiente præsenti phænomeno sine adcuratiori expositione ad scopum, quem sibi DEUS

verbô præfixum habet. Ex quo intelligitur, voces Scripturæ frequenter tales signare cogitationes quæ rerum distinctas Philosophicasque evolutiones non complectuntur; esse igitur vocabula ejusmodi, ut Philosophorum nec veram explicationem rejiciant, nec falsam adprobent. *Eo casu ulterior evolutio idearum aliis relinquenda est scientiis.* Terræ finium sæpe fit in sacris mentio, perinde ac si globi figuram non haberet, nemo tamen rotundam esse temere negaverit. (*hh*) De similibus esto igitur simile judicium. (*ii*)

(*hh*) Confer. quæ acute Bülffing. differit in Dilucid. P. 374.

(*ii*) Certe, nisi quis cum Alstedio putet, quod omnium scientiarum doctrinæ in S. Codice quærendæ, vid. Bayle Diction. p. 165. non poterit non huic mecum sentire. Non facio tamen cum iis qui dixerunt, *DEUM posse in verbo mentiri, si vellet.* Blasphemum id judico. Tribuitur tamen tantus error Wolzogenio in libro, quem inscripsit *de scripturarum interprete adversus exercitatorem paradoxum 1667.* refutatus tamen est à Van Der Wayen in scripto *de vera & genuina Reformatorum sententia in negotio de interprete scripturæ*: à Vogelsangio *in necess. responsione ad præfationem Ludov. Wolzogenii* à Joh. Brounio *in Wolzogenio causæ proditore.* Quid Cartesio objectum fuerit, *cum veracitatem DEI omnis scientiæ humanæ fundamentum faceret, & ex ea corporum existentiam probaret*, legi potest in secundis objection. contra meditationes Cartesii. p. 66. non mentitur DEUS, qui rerum explicationes non attingit.

§. 15.

Adeo non steriles sunt recentiorum definitiones, ut inde Hermeneutices prima possis elicere axiomata. Non minorem autem hâc parte usum

usum præstat *principii de sufficienti ratione* diligens observatio in sacrarum litterarum interpretatione. Gravissima hæc est admonitio, *quâ in consilium adhibitâ, Scepticismi Theologici ex peste laborantes sanitati mentis restitutos cognovi.* Nimirum ipso usu quotidiano comprobatur, diversarum Religionum assectas pro adoptatis hypothesibus Scripturam variæ explicare. Desumunt namque ex suis hypothesibus distinctiones, limitationes, negandi, aut affirmandi fundamenta, ut quicquid oraculorum Scripturæ altera pars pro sua sententia obvertat, id omne vel elidatur, vel eludatur, aut certe ita limitetur, ut adversæ parti, cui adstipulantur, non amplius obsit. Contra idem factitant oppugnatores, ubi se defendunt. Quæcunque autem pars argumentis lacessitur contrariis, ea se respondentis jure frui credit, nihil igitur probat, sed ex sua hypothesi, quam veram esse fingit, non difficulter distinctiones limitationesque oraculorum, quibus premi se videt, depromit; ac licet ipsas distinctiones aggrediantis novis usus argumentis, ea tamen ipsa denuo novis limitationibus & suppositionibus ita solvit, ut, quoniam facilis datur ex una materia ad alteram transitus, vastissimos controversiarum campos prius emetiendos credas, quàm ad finem pervenire, errorisque fontem aperire liceat. Hæc ratio est, quæ omnes omnium sectarum Promachos constantissime in sua detinet religione, ut in destruendo (*kk*) sint promtissimi, in adstruendo autem multo inferiores.

(*kk*) Perplacuit quod Clericus in Pneumatol. operibus Philos. inserta, p. 38. 39. scripsit, *Hi viri acutissimi*

tissimi (Malebranchius & Arnaldus) *mutuis telis ita confossi ex eo certamine abierunt, ut uter vicerit haud facile constet. Certe multis victores esse, ubi opugnant adversarium, victi, ubi se contra irruentum tueri conantur, visi sunt.*

§. 16.

Illustrabimus rem exemplo. Romanæ Ecclesiæ filii, quoties universale in Christianos omnes imperium suo vindicare Pontifici volunt, argumenta Protestantium contraria ita solvunt ut recurrant ad hypothesin. Obvertunt hi: (1) *singulos Apostolos habuisse summam & in regenda Ecclesia potestatem, & in docendo ab erroribus immunitatem, igitur aut succedi Petro, quà Apostolo, aut quà Doctori, non illud, Apostolos enim cæteros non habuisse successores, ergo hoc admittendum, quantum ad officium docendi*, non *autem prærogativam* attineat *infallibilitatis* (*ll*) Sed ecce! quid respondeant? distinguendum esse inter (*mm*) *Apostolatum ordinarium, & extraordinarium, illum cecidisse in solum Petrum, hunc in cæteros Christi legatos.* Ita supponunt exsistere ejusmodi potestatem, & ex ea hypothesi distinctionem formant. Urgent (2.) Protestantes, *Christum omnes ceu æquales tractare Apostolos* Joh. 20. ℣. 21. Math. 28. ℣. 19. Actor. 1. ℣ 23. *vocationem Ministrorum* Actor. 6. *non soli Petro relictam &c.* Regerunt Pontificii *inæqualitatem satis cognosci ex* Math, 16. ℣. 16. *Cæteris Apostolis tantùm ejusdem & æqualis potestatis usum concessum, non jus ipsum &c.* Ita denuo, ex sua hypothesi de primatu Petri, quam veram præsupponunt, argumentis occurrunt contrariis. (3) Instant

ſtant Proteſtantes, *non fuiſſe inferiorem Petro Paulum* 2. Cor. 11, ℣. 5. Gal. 2. ℣. 6. *Petrum Judæos gubernaſſe, ſed Paulum gentes.* Quærunt effugia Pontificii eadem, *multum intereſſe inter munus Apoſtolicum, & gubernandi officium; ſecundum iſtud Paulum Petro fuiſſe æqualem, non juxta hoc.* Hac ratione, iterata vice ſummum regimen Eccleſiæ Petro conceſſum præſtruentes, limitationes adhibent, quæ iſthuic doctrinæ tanquam probatæ jamjam innituntur. Qui curate conſideraverit lites Theologicas, intelliget, plerasque ita agitari, ut ſubinde pars impugnata diſtinctiones, ad contraria argumenta ſolvenda, petat ex ea ipſa hypotheſi, quæ invaditur, idque in ſpeciem *fine petitione principii fieri, quoniam veritatis poſſeſſio, & reſpondentis munus obtentui eſt.*

(*l*) Vid. Has reſponſiones apud Bellarmin, De Pontifice. L. II. cap. 12. p. m. 635.

(*mm*) Vid. eund. L. II. cap. 12. p. 639.

§. 17.

In tanta litium perplexarum, interpetationumque fraudulentarum copia quid quæſo faciendum eſt? Exiſtimo ad ſequentia advertendum animum. *Cum nihil vel fieri ſoleat, vel credi debeat, ſine ſufficiente ratione*, ante omnia diſpiciendum, quanta cum firmitate religio quædam *adſtruere* queat, non vero quam callide poſſit *deſtruere*; ſeu ſi mavis, cogitandum eſt, an interpretationis cujusdam rationes ſufficientes allegare poſſit pars diſputans, nec ne? ad veritatem probandam non ſufficit, quandam interpretationem (*nn*) fingere, eâque pro veritate ſuppoſitâ, quid-

quicquid in contrarium dicitur, ex hac ipsa hypothesi solvere, quod fieri facile potest: sed eo maxime connitendum, ut nunquam admittatur explicatio, nisi probata sit *vel* per *rationes sufficientes*, *vel per verosimiliores cæteris omnibus*, queis aliæ expositiones fulciuntur. Secundo si ab adversario, tuæ explicationis rationes impugnentur, videndum est, *numquid id fiat per dubia, quæ ipsius hypothesin supponant, nec ne? sin istud contigerit, non est cur movearis vel speciosissimis distinctionibus, si scilicet fluxerint ex hypothesi ea, quæ tam non probari potest, quam v. g. Primatus Petri, est vero, cur cedas, si ista interpretatio argumento potiori, seu ratione sufficienti præ tua opinione nitatur. Quodsi vero dubia adversarii hypothesin non supponant pendentia ex communi theoremate, tum non sunt spernenda, sed exacte examinanda omnia.* Tertio colligitur inde, *quod longe gravissimum est, rationes sententiæ cujusdam cum rationibus alterius comparandas, non autem rationes contendendas cum alterius partis responsionibus*: responsiones enim ad hypothesin recurrunt, eamque supponunt, sive probata sit sive non. *Respondens nunquam principium petere dicitur.* (oo)) Igitur, si Pontificius omnia mea argumenta contra Primatum Papæ suis eluderet distinctionum effugiis, non ego diffiderem causæ, probe gnarus, eas ipsas distinctiones filias esse hypotheseos, *quæ per rationem sufficientem ex S. Codice commonstrari non potest*; id agerem potius, ut ex machina tanquam prodiens, omnium controversiarum veluti inscius tantum ad rationes, adverterem, quibus utra-

que

que sententia corroboratur; tum rationum inæqualitate perspectâ, animum ad alterutram partem adplicarem. *Hæc autem omnia ductu axiomatis de sufficienti ratione observare jubemur.*

(*nn*) Ita v. g. distinctio voluntatis divinæ in *signi & beneplaciti* nititur doctrina, de qua quæstio est, nimirum de particulari div. misericordia. At quoties ad solvenda argumenta contrariæ sententiæ Patronorum adhibetur? ad rationes igitur dogmatis, de particulari misericordia, advertendum ei, qui solidâ veritatis hinc aut illinc stantis notitia imbui cupit. Falluntur qui in sententiam ideo tantum eunt, quia contraria argumenta solvere possunt, *non est ea ratio credendi sufficiens, de voluntate anteced. & consequente* integram dissertat. nuper emisit Hotinger *subjunctam Historiæ de gratia & prædestinatione.* Licet hanc adhibere, quia sententiam, qua nititur, aliunde probare possumus.

(*oo*) Vid. de respondentis officio quæ Leibnitius tradit, Discurs. de Harm. rat. fid. §. 73.

§. 18.

Pauca hæc de interpretatione sacrarum litterarum ex mente recentiorum tradere volui, quæ uti expendentur applicabunturque constantissime, ita etiam fecundissima, & ad extricandas complures difficultates accommodatissima invenientur. Alter locus erat, ut de *analogia fidei*, quæ in explicatione Verbi divini plurimum trahit momenti, nonnihil adderemus. Definivimus rationem (*objective spectatam*) *per nexum veritatum, quæ naturâ cognitæ sunt*, nunc alienum non erit Analogiam fidei vocare *nexum veritatum, quatenus per revelationem innotescunt*, quæ à ratione collustrata non differt. (*pp*) Dari talem nexum veritatum revelatarum Recentiores non admittunt solum, sed

sed & urgent. (*qq*) Quocirca & hâc parte Theologiæ doctrinas confirmant.

(*pp*) Analogiam fidei, quam alii ab analogia scripturæ distinguunt, h. m. definit vir summus Buddæus, *Analogia fidei est capitum atque articulorum, quibus religio Christiana absolvitur, præsertim fundamentalium consensus atque harmonia*, quæ definitio à nostra, me judice, prorsus non differt. vid. Theol. dogmat. Budd. L. I. C. I. p. 64.

(*qq*) Wolff. in Logic. de explicat. script. Cap. XIII. §. 8. p. m. 152 weil man aus dem Werck der Erlösung GOttes Weißheit warnehmen kan; Ephes. 3. v. 10. so müssen die göttlichen Wahrheiten eben eine solche Verknüpffung miteinander haben, wie die andern. Uber diß wird auch viel in der Schrifft vorgetragen, die nur GOtt, in so weit Er ein Schöpffer und Erhalter der Welt ist, und den Menschen, in so weit er ein Creatur ist, angehen. Conferat. Joh. Gerhard. loc. Theol. de interpret. script. c. 4. §. 71. *Ex perspicuis scripturæ locis colligitur regula fidei, ad quam reliquorum expositio conformanda.* Dicemus, si placet, hanc conformitatem oraculorum obscuriorum cum clarioribus *analogiam scripturæ.*

§. 19.

Fidei analogia jubet esse vaticinia Paulus Rom. 12. ℣. 6. Sensus igitur ex datis definitionibus non potest esse alius quam hic: cavendum, ne tales ex scripturis eruamus sensus, qui vel cum veritatibus aliis iisdemque manifestis non connectantur, sic enim forent contra fidei analogiam, vel clarioribus oraculis, quæ normam obscurioribus, juxta canonem supra demonstratum, præbent, adversentur; sic forent contra analogiam Scripturæ. (*rr*)

(*rr*)

(rr) Qui propter merita DEUM hominibus obstringi contendunt ex Jacob 2. clarioribus oraculis, & veritatum nexui generali, qui DEUM nulli obligatum docet Rom. II. v. penult. repugnant, id est & analogiam fidei & scripturæ violant. vid. quæ acute Leibnitius contra Veronium tradit *in sacrarum litterarum interpretatione Papam Judicem per dubia scepticorum* declaraturum, in Discurs. de Harm. rat. & revelat. Theod. præmiss. §. 62.

§. 20.

Age! levi penicillo delineabimus exemplum analogiæ fidei, ut quam connexa sint sacrorum capita, cognoscatur. Servatorem ultro adiisse mortis & periculum & sententiam historia Evangelii clarissimis verbis memoriæ prodidit. Confer Luc. 18. ℣. 31. cum Matth. 21. ℣. 1. seq. *Voluntarium est, quod cognoscitur & ut bonum vel & aliis præstantius eligitur.* Futuram primo mortem Servator prævidit, qui enim vel levissimas circumstantias præsagire potuit Matth. 21. ℣. 2. 3. graviora etiam multo ante scivit, quam evenerunt, i. e. mortem. Uti vero horrendum supplicium intelligendo præcepit; sic tamen etiam elegit, aliter Hierosolymam nunquam intrasset publice, & tantô cum applausu,

§. 21.

Recte tu quidem, inquis, *hæc Sole clariora, sed quid inde?* Sum in eo, ut exponam: Quidquid sponte eligit θεάνθρωπος, non potest non esse bonum Jesai 7. ℣. 17. Elegisse vero mortem concessisti, cum præstantia igitur conjunctam profiteri eandem; quid obstat? Quod bonum est perfectionem infert, *perfectio est consensus in varietate,*

tate, de qua in antecedentibus; credendum ergo est, mortem Christi peperisse novum rerum consensum. Major consensus in regno (*ss*) naturæ existere non potest, quàm DEO condente jam dudum exstitit, consensus igitur morte Christi partus regnum attingit gratiæ. Consensus dissensum supplet, nullus in regno gratiæ dissensus regnat, nisi admissum culpâ hominis peccatum, supereſt ergo ut credamus, mortem Christi propter peccata susceptam expianda. Cum peccatorum expiationem tanquam *bonum* sua morte intenderit Christus, majoris ponderis erit id bonum, quam quod in morte inest malum, doloribus acerbissimis licet comprehensum. Si bonum minus foret nec gravitate superans mortis incommoda, nunquam ab optimo Servatore fuisset huic antepositum. Eô loco habetur mors fratrum Christi ac si ipsi fuisset illata, *mors nostra*; *Christi mors 2. Cor. 1. v. 5.* Quemadmodum hanc felicitatis matrem comprobavimus, ita & nostra non infelicior erit. Si nostra non est morte Christi infelicior, plus in ipsa quoque boni inerit quam mali, cumque nonnisi ea timeamus, quæ plus mali inferunt quam boni, non esse metuendam mortem, quæ Christi similis est, evidenter intelligitur. Peccant, qui ab eo recedunt, quod faciendum est, aut omittendum; ergo & culpa non vacant qui mortis tantopere percelluntur metu. Inest in ipsa plus boni quam mali. Quis autem non fertur in id amore, quod plus boni complectitur ac mali? non ergo beatus obitus amore nostrô indignus est.

(*ss*) Si consensus Machinæ mundi, seu regno naturæ per Christum inferendus fuisset, dissensus ante in crea-

creaturis habuisset locum, eoque opus DEI Creatoris commaculasset imperfectio, non illa enim imperfectio hominum culpa exstitisset, quicquid enim hominum culpa factum emendatur, pertinet ad regnum gratiæ. Per peccata, in regno etiam naturæ plura mutari, exemplo agrorum constat, quibus DEUS dixit olim malè. Sed ille dissensus graviorem in regno gratiæ i. e. peccatum arguit, ita ut istum supplere DEUS nequeat, quin eòdem consilio respiciat hunc. Atqui in eo vis argùmenti ponitur, ut mors Christi ad regnum Naturæ non pertineat, nisi simul respiciat regnum gratiæ. vid. Recueil de diverſ. piec. par Leibnit. p. 4. §. 4. *Et je tiens, quand Dieu fait des miracles, que ce n' eſt pas pour ſoutenir les beſoins de la nature, mais pour ceux de la grace. En juger autrement, ce ſeroit avoir une idée fort baſſe, de la ſageſſe, & de la puiſſance de Dieu.*

§. 22.

Nunquam lectorem tam tenui ratiociniorum filo, & levi pro declaranda analogia fidei exemplo detinuissem, nisi satius fore exstimassem, si è longinquo saltem aliquis veritatum revelatarum nexus monstretur, quam si plane sicco prætereatur pede. Cùm *Analogia fidei veritatum nexus* indicet, falluntur, qui consequentias necti posse negant, (*tt*) qui systemata non saltem vulgaria rejiciunt (*uu*) verum & accuratiori sensu dicta supervacua imo periculosa ducunt, docendi rationes, quantum fieri potest ad methodum Mathematicam accedentes, improbando: (*xx*) Recte autem agunt, qui oraculis recte expositis structuram veritatum apte coagmentatarum inædificant, axioma, corollaria, Theoremata elicientes.

(tt) Sunt eo nomine accusandi Veronius, Wallenburchii &c. in contract. de controv. general. tractatibus

p. 75. 69. *Protestantes possunt errare in formanda interpretatione & consequentia* &c. quos Musæus depexos dedit in *Tractat. de conversione hom. peccator. &c. ubi & agitur de fraudibus, quas sophistæ moderni committunt, pro re nata etiam Methodi Wallenburchianæ fundamenta potissima impugnantur.*

(*uu*) Systemata vulgaria voco, quæ doctrinas similes in certas classes digerunt, non adtendendo, num ex antecedentibus consequentia legitime demonstrari possint, nec ne? omnem methodum systemat. & vulgarem a Fanaticis improbari constat, vid. Rob. Barclajum in theologiæ verè Christianæ apolog. thes. 9. §. 21. p. 200. Dicta B. Lutheri non tam contra Methodum system. quam scholasticum ejus abusum Zierold collegit in libro: *D M. Luthers Aufmunterung zur Liebe des Worts GOttes wider das Scholastische Aristotelische Christenthum.* Systematis accurato sensu dicti notionem exhibet explicatiorem Bülffing. De orig. mali. p. 28. §. 62. *est*, inquit, *multitudo rerum connexarum, quarum altera determinationes suas nancisci tur ex determinationibus alterius, ita ut ratio unius reddi possit ex altera.* Loquitur auctor de systemate Mundi, facilis autem est definitionis ad systema disciplinæ adplicatio.

(*xx*) Nota est Huetii demonstratio Evangelica, quam laudat velut mathematicæ propinquam in actis erudit. Lipsiens. supplem. T. II. Sect. II. p. 98. Pufendorf. notum Heinrici Widenburg. System. theol. positivæ. Sed alii hoc institutum improbant. v. g. Schomer. Theol. moral. cap. 1. §. 20. p. 29. Ruardus Andala in exam. Ethicæ Geuling. Dissert. I. §. 10. seqq.

CAP. III.

De usu Philosophiæ in Articulo de Creatione.

§. 1.

REcentiorum placita doctrinæ de mundi creatione non adversari dudum Viri judicio pollentes

lentes (*a*) contra nonnullorum (*b*) accusationes probarunt. Id negotii nunc nobis datum esse credimus, ut, quantopere illa gravissimo huic Theologiæ capiti faveant, paucis exponamus. Mundum nec exstitisse ab æterno (*c*) nec ex materia formatum æterna, DEO auctore, (*d*) sed ex nihilo prodiisse disciplinæ Christianæ sanctioris venerandum dogma est, cui si quæ Philosophia repugnat, exsecranda debet haberi. Quamquam sint, (*e*) qui creationis *ex nihilo* notitiam non à sacris litteris, sed à sola ratione proficisci contendant.

(*a*) Inter alios Bülfinger in Dilucid. pag. 522. seqq. Reibovv. in der ferneren Erläuterung pag. 31. seqq. §. 18. seqq. & alii.

(*b*) Joach. Lang. Theologus celebr. & eximius in der bescheidenen Entdeckung der schädlichen Wolfischen *Philosoph.* p. 24. seqq. in anatome nova p. 73. *ut de caussa DEI asserta, de modesta disquisitione, vindiciisque hujus nihil dicam.*

(*c*) Huc pertinet Aristoteles, de quo Cicer. in quæst. acad. L. IV. c. 28. *Aristoteles*, inquit *non esse ortum unquam mundum dicit, quod nulla fuerit novo consilio initio, tam præclari operis inceptio, & ita eum esse undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus, & mutationem moliri.* Cæteros auctores infra indicabimus pro re nata.

(*d*) Hæc sententia plerarumque fere gentium fuit quæ iterum circa modum, quo DEUS materiam tractârit, in diversa abierunt, quæ elegantissime describit Christ. Thomasius in den Monat-Gespräch. p. II. p. 175. anno 1688. addatur Jacob. Thomas. in dissert. 2. de stoica mundi exustione.

(*e*) Inter quos est Limborch. Theolog. Christian L. II. cap. 19. §. 5. p. 112. *Scriptura*, inquit, *nusquam diserte dicit, creationem ex nihilo factam, solent quidem hunc in finem tria potissimum loca proferri Rom. 4. v. 17. 2. Cor. 4. v. 7. Hebr. 11. v. 3 Sed ex nullo*

istorum id; solide concludi potest, in primo loco non definitur, an DEus res ex nihilo, an vero ex præjacente materia producat, secundus locus manifeste agit de luce evangelii &c. in tertio solum dicitur mundum creatum ex non adparentibus. Vid. Gerhard. loc. Theol. de creat. & ang c. 4. p. 3. Budd. Syst. p. 454.

§. 2.

Existimo difficulter creationem ex nihilo probari, nisi forte fuerit, ut *principii de sufficiente ratione non limitatam amplitudinem agnoveris.* Ne rideas quæso, toties commendari axioma idem, faciemus periculum, uter nostrum habuerit causam vel hoc affirmandi, vel temere dictum ridendi. Antiqui cujusdam ratiocinia Philosophi pro mundi non ex materia formatione, sed ex nihilo creatione facientia allegabo primùm. (*f*) *Quorsum*, inquit, *DEUS ea quæ non condidit digerere conatur, si quid enim ingenito & per se subsistenti addatur, præter naturam fiet. Quod autem præter naturam efficitur, vitiatur, quare materiam ornari* (ab alio) *minimè bonum* (est). Sed facilis est responsio ei, cui nulla principium *rationis sufficientis* observandi necessitas imponitur. Regeret enim: quod *præter naturam alicujus rei, ordinatæ, concinnatæ & eleganter digestæ efficitur, id omnino vitiatur.* Atqui materia rudis indigestaque erat moles, ejus igitur digestio perficiebat, non vitiabat. Pergit Philosophus. *Actionem DEI quâ materiam formare instituisset non futuram fuisse* (*g*) *argumento divinæ benignitatis, sed superfluæ DEI diligentiæ; cur enim DEUS moliretur ordinare quod non effecisset? optimum ordinem non posse non afficere rem æternam, qualis materia fingatur.* Hoc autem est, idem per idem probare, adversus eos qui materiam pro chao habent.

habent. Etiamsi enim fingant æternam, digestam tamen & ordine dispositam negant. Non est igitur consentaneum, id præstruere, de quo potissimum lis ultro citroque reciprocatur. Addit Philosophus: *stante doctrinâ de æternitate materiæ non potuisse DEUM moliri ejus ordinationem sine crimine, spoliaturum enim pristino statu & conditione fuisse substantiam, quæ ex æquo, ac ipse, fuerit, exstiterit æterna, eoque ipsam DEI sororem hoc pacto violatam fuisse.* (*h*) Non miror his ineptiis Platonis asseclas cæterosque Materiæ æternæ cultores haud fuisse commotos. Quomodo enim injuria fieri potest rei prorsus inanimæ inerti, qualis materia concipitur? quomodo rem perficiendô, exornandô, ad elegantissimam formam revocandô violare possumus? Certe si graviora non obstiterint argumenta, his parum effeceris aut nihil. Adversarius enim, cui copiam facis universalem axiomatis de *sufficienti ratione amplitudinem aut restringendi aut tollendi*, semper, sed absque ratione finget, materiam rudem æternamque eguisse ornamento, & ex hac hypothesi suas derivabit ad contraria argumenta solvenda distinctiones.

(*f*) Hieroclem intelligo, qui apud Photium Bibliothecam, Cod. CCLI. p. 1380. ita disputat: Τί γαρ δὴ μαθὼν ἂ μὴ ὑπέσησε διατάξειν πειρᾶται, πάντως πᾳ τῆς ἐυταξίας αὐτῆς ἐν τῇ ἀγεννησίᾳ τῆς ἑαυτῶν φυσεως καμένης, τὸ γὰρ ἀγενήτως καθ' ἑαυτὸ ὑφεσῶς εἰ τι προσλάβοι παρα φυσιν προσλήψεται.

(*g*) Idem Philosophus citato loco.

(*h*) Idem citato loco.

§. 3.

Audiemus argumenta eorum, qui inter Christianos, & non ita diu, contra materiæ æternitatem pugnando à principio rationis sufficientis discesserunt. Celebris Arminii Promachus (i) his utitur ratiociniis. Primo *DEO nihil esse coæternum.* Verum enim vero sic nihil probatur, sed probandum supponitur. Addit, *si materia fuisset haud creata, Deum ex se jus in illam non habiturum fuisse, tanquam in rem ex asse suam; sed omne jus Dei in illam futurum fuisse tanquam primi occupantis.* Quidquid sit, dummodo jus habeat DEUS, *jus in rem est facultas re utendi cum exclusione alterius*, quis talem DEO denegandam probaverit, etiamsi non effecta ab ipso foret materia. Nemo sibi tantam materiæ molem aut vendicare voluit, aut potuit. Subjicit tertiò *potens non fuisset DEUS ad eam mutandam, quia æternum immutabile est ac independens.* Facile semet his laqueis adversarius extricabit. *Æternum*, inquiet, *immutabile est, non ratione modi, quô exsistit, sed respectu ortûs, quem non admittit. Probandum scil. est, æternitatem arguere immunitatem à mutationibus cunctis, non supponendum. Alia æternitas est mutabilis, qualis est materiæ, alia independens DEI.*

(i) Limborch. in Theol. Christian. L. II. Cap. 10. §. 6. *Exigit natura rei ut materiam illam primam informem ex nihilo creatam dicamus, quia, ut ante vidimus, nihil DEO coæternum (2) quia si materia fuisset coæterna, DEUS ex se jus in illam non habuisset, tanquam rem ex asse suam; sed omne DEI in illam jus fuisset tantum primi occupantis. (3) quin imo potens non*

non fuisset DEUS *ad eam mutandam; quia æternum immutabile est, ac independens.*

§. 4.

Sunt & alia argumenta, quibus Viri summi opinionem de materiæ æternitate oppugnant, (*k*) quæ, quantum à *principio sufficientis rationis* recedunt, tantundem egent supplementis. Dicunt, *ad essentiam materiæ manifesto non pertinere existentiam, nec enim in ejus conceptu quidquam deprehendi, quod eam inferat.* Novimus Philosophos, hoc loco confutandos, statuisse discrimen inter existentiam materiæ hanc, aut illam speciatim, & inter eandem generatim consideratam, primam cum *essentia* materiæ necessario non conjunctam admittentes, posteriorem autem ex *essentia* necessario pendere adfirmantes. Quomodo igitur probabimus neutram ideâ essentiæ includi? quomodo demonstrabimus, & existentiam materiæ per se, non in hoc aut illo statu tantum consideratam, ab essentia ejus abesse posse? Urgent eruditissimi Viri, *nullam adferri posse rationem, cur materia, quæ nunc existit,* (*l*) *semper existere debuerit, aut cur non existere nequeat.* Nunc verba sensim flectunt ad mentionem *principii de sufficiente ratione*, si recte institerimus, reportabimus victoriam. *Si nullam rationem præsto esse dixerimus, cur materia debeat esse æterna*; allegabant Ethnici Philosophi tritum illud: *Ex nihilo nihil fit, infinitum esse inter nihil & aliquid intervallum,* (*m*) quam responsionem non excusserimus, nisi recurrendo ad id, de quo quæritur, *nempe per infinitam Dei potentiam posse ex nihilo materiam*

riam condi quod ad coarguendos adversarios parum, licet verum sit, efficaciæ habebit. Non desunt tamen & alia ratiocinia. *Existentia*, inquiunt, *necessaria, uti summa perfectio est, ita non potest non adtributum esse entis omnium perfectissimi. At cum materia plurimis imperfectionibus laboret, quod vel ex comparatione ejus cum spiritu adparet, non potest pro ente omnium perfectissimo haberi. Ergo nec adtributo, quod enti perfectissimo soli competit, seu existentia necessaria gaudet.* At suppositia hac Ethnicorum hypothesi, prima propositio non universim vera est. Alia est existentia *entis passivi*, alia *entis activi* sive DEI. Illius existentia licet necessaria sit, summam perfectionem non indicat, indicat autem existentia hujus. Intelligitur denuo quod supra vere dictum est, *posse etiam ex sententia, qua ratione sufficienti non nititur, eoque falsa est, distinctiones peti ad omnia contraria argumenta solvenda, quotquot istam rationis sufficientis absentiam non urgent, quo fit, ut absque fine lites prorogentur.* Advertamus igitur ad hoc principium curatius, ac antehac factum est.

(*k*) Vir laude nostra major Buddæus in Theol. dogmat. p. 453. §. 2 not. *. cujus omnia hæc ratiocinia sunt, quotquot hoc paragrapho examinavimus.

(*l*) Fuerunt ex gentibus, quæ ipsam materiæ existentiam cum hodiernis Idealistis negarent. Zenonem, v. g. nominare lubet, cujus argumenta contra existentiam materiæ vid. apud Aristotel. in Physic. l. VI. Cap. 9. vid. Conimbricens. in Aristot. Physic. l. VI. Cap. 9. p. 147. 148. Quid Cartesiani *contra sensuum testimonia in probandomundo corporeo dixerint*, notum est. Vid. Melebranch. eclairciss. sur le 1. livre de la recherch.

recherch. de la Verité p. 64. Cum hoc fecit Siculus quidam Mich. Fardella in logica quam Venetiis 1696. emisit. Lege Journal des Savans du 30. Iuillet. 1696. p. 551. 552. Holl. ed. *DEUM* inquiunt *posse nobiscum communicare easdem de corporibus ideas, sive revera existant sive non, non autem facere Numen quidquam frustra, ergo sciri non posse, an corpora actu existant?* Respondit Malebranchio Arnauld in Traité des vraies & des fausses idees p. 324. Cui oppositum *Reponse au livre des vraies & fausses idees &c.* Sunt qui baculis hos refutandos contendant. Langius in der bescheidenen Entdeckung C. III. p. 87. alii vero profundâ scientiâ opus esse dicunt, ubi hos refellere in animum induxerimus. Tobias Andreæ in exercitat. *de impossibil. mundi æternitate, res, inquit, licet ardua sit,* (probare corporum existentiam) *eam tamen prout concepimus, - proponemus* p. 7. Bülffinger. Dilucid. p. 239. idem sentit. Adi, si placet *Nicolle art de penser* p. IV. C. 1. p. 387. 388. Rohault Physic. P. I. c. 27. n. 7. p. 293. Lami *Connoissane de soi meme.* Tom. II. p. 112. seqq. Quibus adstipulatur Riebovv. in der fernern Erläuterung p. 119. Puto me non inutilia ex recentiorum mente contra Idealistas supra tetigisse.

(*m*) Ethnicorum axioma *ex nihilo nihil fit*, male huc applicatur. Dedit inter alios responsionem contra Atheos eo abutentes Limborch. in Theolog. Christ. L. II. C. 19. §. 7. exaggerat tamen difficultatem, *ex nihilo nihil fieri posse*, Bælius, non mala mente, sed ut Spinozæ rationes indicet, quibus ad Pantheismum inductus fuit, Diction. p. 2640. b. *une matiere crée de rien n' est pas concevable, quelque efforts qu'l' on veuille faire pour se former une idee d' un acte de volonté, qui convertisse en une substance reelle ce qui n' etoit rien auparavant.* Sed mirum non est, creationis nos nullam habere posse distinctam ideam, non enim gaudemus facultate creandi. vid Methaph. Wolff. §. 1053. quem parapraphum Bülffinger vindicat contra iniquas explicationes Dilucid p. 540. Non facio

cum doctissimo Walchio in Lexic. Philos. p. 2220. qui cum aliis plurimis affirmat, Canonem: *Ex nihilo nihil fit*, non absolute verum: sey nicht schlechterdings wahr. *Si enim de causa efficiente accipiatur Canon, quæ potentia infinita gaudeat, falsum esse eundem.* Sed nunquam de causa efficiente dicimus, quod *ex* ea aliquid fiat, *sed* quod *ab* ea producatur. Stat igitur undiquaque *inconcussus* Canon, licet ne sic quidem gentes cum sententia *de materiæ æternitate* triumphent. Levia hæc sunt, quæ Vir summe venerandus à me annotata esse, vitio non vertet.

§. 5.

Dabimus igitur operam, ut ex mente recentiorum suppleamus, quod argumentis allegatis deesse videtur. Potest, quod desideratur, compensari per distinctam *principii de sufficiente ratione* cogitationem. Fingamus tantisper, materiam ab æterno exstitisse, animum ita suspicantis merito subibit hoc: Quicquid exsistit, determinate exsistit, tanquam individuum, universalia enim, genera v. g. & species, quà talia, non exsistunt, nobis non abstrahentibus. Ergo materia, quæ, revera exsistere ab æterno, fingitur, determinate cum his (*n*) aut talibus circumstantiis, hâc aut illâ figura, situ &c. exsistet. Atqui nunc merito quæritur, *aut determinati illi materiæ limites, situs & figuræ necessario tales nec alii, aliæ, sunt, aut non. Si prius, ne* DEUS *quidem in materia quidquam potuit transformare, nec eam ornare, disponere & exinde fingere systema, quod est contra ipsos Philosophos manifestissime, cum quibus hoc nobis intercedit pugna: aut vero determinatæ illæ materiæ figuræ situs & circumstantiæ contingentes, & mutationi fuerunt obno-

obnoxiæ, tum requiritur determinata ratio, cur determinatæ tales materiæ figuræ circumstantiæ &c. fuerint, nec potius aliæ. Ad DEUM recurrere nondum licet, loquimur enim de materia quæ jam determinate talis nec alia exstit, antequam Deus ex ea systema formaret mundi. Etiamsi regereres, *si DEUS ab æterno materiam agitasset & ad hunc potius existendi modum, quam alium quemvis formasset, tum semper determinatam rationem determinati existentiæ modi futuram fuisse*; Tamen parum proficies: Nam quicquid *determinatæ* suæ existentiæ rationem non in se habet, sed in alio, ut circa materiam nunc fingis, id nec existentiæ suæ realis rationem in se habet, quæ quippe sine determinatione locum non habet; quid? quod hâc tuâ sententia stante sequeretur, quòd saltim materiæ non dissentaneum sit, *posse* determinate existere absque determinata ratione, si vel DEUS ab agitando cessaret, vel noluisset ab æterno id agere. Quod est absurdum.

(*n*) Quid Inviduum sit omnium distinctissime Bülffinger tradit post Wolff. & Leibnitium, in Tractat. de orig. mali. Sect. II. p. 237. seqq. § 283. Adde Thumigium in der Teutschen Antwort auf Herrn Clarkens fünfften Briff an Herrn Leibnitium / welche Brieffe Herr Köhler verteutschet. §. 3. 4. 5.

§. 6.

Principii sæpe laudati vim & utilitatem non possumus non h. l. agnoscere. Addo aliud. Ex recentiorum mente elementa corporum prima seu ultima non sunt quærenda in atomis, formâ (*o*) situ &c. præditis. Nam figuræ atomorum sursum & deorsum spectant, habent ergo partes, de

quibus

quibus idem ratiocinium & sine fine recurreret. Quod est absurdum: Nam pari ratione Atheus in adscensu ad causas corporum majorum sine fine procederet, subinde magnum corpus ex grandiore fingens, quemadmodum tu in descensu ad minima per infinitum non subsistis, parva ex minoribus sine fine formaturus. (p) Jure ergo recentiores simplicia defendunt, quæ aliis, atque composita, proprietatibus vestita sunt: (q) Hæc differunt statu interno aliis aliisque virium gradibus, queis exacte mundi variationibus, i. e. complexui cæterorum, eorumque vicissitudinibus respondent. Quodsi igitur hæc simplicia, tanquam hoc interno statu nec aliô, cum universa durandi serie consideramus, non potuisset DEUS in illis tanquam in materia, ab ipso non effecta quidquam transformare, disponere, nisi prorsus alia simplicia ab his distincta supponantur, *quæ ipsissima creationis ex nihilo notio est.* Non habet enim naturam, ut atomi, internam minus determinatam, quibusvis formis externis recipiundis aptam; sed præditi sunt naturâ internâ determinate hac, per omnem durandi seriem, quæ natura si mutetur, non amplius idem individuum, sed aliud habes.

(o) Vid. Metaph. Wolffii §. 76. 77. seqq. perpende, quæ Bülffing. accurate tradit Dilucid. p. 92. §. 101. seqq. adde quæ Leibnit. docet Recueil T. II. p. 232.

(p) Mathematicorum de materiæ in infinitum dividendæ potentia, de qua & auctor artis cogitand. p. IV. ch. 1. p. 392. demonstrationem h. l. non curamus Ostendit Leibnitius Discurs. de Harmon. rat. & revelat. §. 70. & Wolffius Physic. Tom. I. §. 4. p. 11. causas quare istis labyrinthis involvamur, quia *fine sufficiente rationes, in illa demonstratione similes materiæ*

teriæ partes fingantur &c. Cæterum Liberto Frommondo, quem supra citavi de labyrintho compositionis continui commentatem, sed impari robore respondit Jacob. Capreolus Professf. Philosoph. Paris. *en reponse à deux questions du Cardinal de Richelieu de demonstratione magnitudinis in puncto*, 1636. evolve Arriagam Disput. 16, Physic. Sect. XI. num. 241. p. 433.

(q) Nisi enim hoc dicas, nunquam filum Ariadnæum ex labyrintho prodeundi inveneris. vid. Recueil T. II. p. 188. 189.

§. 7.

Quibus ita ex recentiorum sententia declaratis patet, Creationem ex nihilo inconcussis argumentis demonstrari posse. Nec solverint adversarii isthæc ratiocinia, etiamsi ex sua hypothesi priora eludere potuerunt. Si solvere quirent, ipsorum foret reddere rationem, cur determinate materia ab æterno his nec aliis figuris, circumstantiis prædita fuisset, atqui ei præstando sunt impares, ut vidimus, ergo exulat hinc semper prior suppositio, semper idem in respondendo ad hypothesin nondum probatam recursus. Quo & accedit Aristotelis sententia, qui absurdum esse judicavit (r) quod materiæ à DEO profecti motus & determinationes æternæ fuerint, ex quo intelligitur, habuisse materiam ex se determinatam exsistendi conditionem, antequam à DEO formaretur, atque adeo ejus determinationis, ex horum Philosophorum doctrina, nullam fuisse rationem, quod à veritate plurimum recedit.

(r) Sententia erat Platonis in Timæo apud Aristotelem de Cœlo L. III. cap. 2. p. 370. πρὶν γενέσθαι τὸν κόσμον ἐκινεῖτο τὰ στοιχεῖα ἀτάκτως, hanc

p. 371.

p. 371. erroris coarguit Aristoteles, verba sunt prolixiora, dabimus sensum. *Quidquid inordinate fit, præter naturam accidit, atqui motus materiæ inordinati & æterni non poterunt præter naturam accidere; est enim ea natura rerum quam plures & majori tempore habent. Ergo illi æterni inordinati motus erant secundum naturam, motus a. à DEO illatus præter naturam, atqui absurdum illos esse secundum naturam, nihil enim secundum naturam fit forte fortuna.* Ergo plane nulli tales motus oriebantur ante formationem DEI. Laudat propterea Aristoteles Anaxagoram quod ἐκ ἀκινήτων ἤρξατο κοσμο ποιεῖν i. e. quod ex immobilibus statuerit mundum effictum.

§. 8.

Cum tàm evidentibus argumentis corroborari queat creationis ex nihilo doctrina, patet, non potuisse eam, ex nasutioribus gentium Philosophis, quosdam certe fugere; (s) Docent enim clarissimi Scriptores, fuisse complures ex Ethnicorum turba, qui creationem ex nihilo habuerint cognitam atque perspectam. Quæ res non mediocre adjumentum ad confirmandam Religionem ac Scripturæ auctoritatem & offert, & cum Atheorum prostitutione cumprimis conjuncta est. Qui enim ita sentiebant, eos tanquam sacrarum litterarum expertes nemo sanæ mentis partium, aut & sectæ studio ductos ita statuisse, dixerit.

(s) Grotius profecto in not. ad libr. de veritate relig. Christ. L. I. §. 16. citat ex antiquitate qui creationem ex nihilo crediderint, idem facit Huetius in quæstion. Alnet. L. II. cap. 5. Aristoteles contra eos calamum strinxit in libro de Xenophane. Dikinson in Physica Vet. & vera cap. 12. p. 297. *Phœnicum sententiam refert qui & materiam factam esse contenderint.* Huc referendus Joh. Ovven in θεολογ. L. I.

L. I. §. 8. Crenius Fascic. II. dissertat. Adam Tribechov. *in dissertat. de veritate creationis Mundi ostensa in traditione gentium*, de his testimoniis fatetur tamen *quod paucissima ad demonstrandam materiæ creationem à gentibus creditam pertineant.* Joh. Christ. Wolff. in Manich. ante Manich. p. 18. Non dissimulo tamen aliis aliter videri, & vix eos adduci, ut credant, quidquam gentibus de creatione innotuisse. Notum est Ciceronis Testimonium. Acad. quæst. L. II. qui percenset, *ab Anaximandro infinitatem naturæ substitutam esse, ex qua omnia gignerentur* post addit sequentia, *Eius auditor Anaximenes infinitum aëra, sed ea quæ ex eo orirentur definita: gigni terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras materiam infinitam, sed ex ea particulas similes inter se minutas, eas primum confusas, postea in ordinem adductas mente divina.* Thomassinus quidem en Methode d' etudier & d' enseigner la Philosophie livr. chap. 14. p. 162. gentes excusat, quæ nullam DEI in ortu mundi explicando mentionem fecerunt. *Supposuisse eas causam primam, tanquam rem, de qua nemo suis temporibus dubitaverit, & locutas tantum de causis secundis, utpote quas nemo hactenus recte investigaverit &c.* Sed haud scio an id multis persuaderi possit? Augustinus de Civitate DEi L. VIII. C. 2. refert *quod Anaximenes omnes rerum causas infinito aeri dederit; ne Deos negaverit aut tacuerit, non tamen ab eis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos crediderit.* Cicero de natur. Deorum Libr. I. p. m. 40. ait: *Anaximenes aera Deum statuit eumque gigni.* Parem sententiam Anaximandro Præceptori Anaximenis tribuit Cicero. *Anaximandri*, inquit, *opinio est natívos esse Deos, longis intervallis orientes, occidentesque, eoque innumerabiles esse mundos.* Confer. August. de Civ. Dei *L.* VIII. c. 2. Cicer. de natura Deorum L. I. p. m. 50. ubi ait: *Diogenem aere Dei uti.* Ex his constat, quid antiquiores Philosophi de Diis senserint, ac *num creationem ex nihilo crediderint potiores inter eos, nec ne?* Pererius de communibus omnium rerum natura-

turalium principiis *negat pariter antiquos tantillum de creatione habuisse exploratum* vid. L. IV. cap. 4. 206. Quidquid sit, si vel unus tantum aut alter in hanc veritatem inciderit, non exiguo id nostræ religioni præsidio est.

§. 9.

Mundum ex nihilo creatum evicimus, argumento id est, eum non exstitisse ab æterno *postulante quadam necessitatis lege*. Addo hæc verba consulto. Numquid enim potuerit ab æterno esse, *modò contingenti & dependenti?* equidem heic non definio, etiamsi id & olim, (*t*) & hodienum magno animorum motu disputatum sit. Sufficiat hoc loco, pestilentissimam Atheorum, *de necessaria* mundi æternitate, opinionem telis ex recentiorum pharetra depromtis, penitus confixisse. Valeant igitur, aut pereant potius, qui mundi artificem liberrimo arbitrio condentem, non agnoscunt, (*u*) non venerantur. Debent nobis solutionem argumentorum pro exsistentia DEI facientium, imò æternum debebunt.

(*t*) Scholasticos complures ita sensisse, Aristotelicæ doctrinæ velificaturos, pervulgatum est. Poiret in cogit. ration. de DEO anima & Malo L. III. cap. 16. num. 9. p. 438. memoratu digna scribit. *Falsum est, mundum statui æternum, si dicatur vel semper exstitisse, vel non posse affirmari in eo esse aliquod momentum, quod ab alio non fuerit præcessum* (sic enim, an satis latine? loquitur) *quamvis enim hoc esset, nihilominus mundus temporarius esset ac dependens neque hoc quidquam DEI æternitati aut potentiæ detraheret.* Theologi protestantium distinguunt *inter æternitatem* (tempus infinitum) *cum successione, & inter æternitatem sine successione.* vid. Colleg. Anti-Socin. Schor-

Scherzer. Ed. 3. Disp. 5. p. 47. Argumenta pro possibili æternitate mundi scil. *successiva* valde difficilia sunt solutu v. g. *Si creaturæ habuerunt initium, nec eos quidquam præcessit nisi DEUS, tum duratio DEI non est instans individuum quod Boet. hic de consolat.* Philosoph. Prof. VI. p. 135. *omnium consensu tradidit, nam in æternitate mundum aliquid antecedit, aliquid simul existit, aliquid cum ejus duratione continuat. Quomodo enim* v. g. *omnia membra hominis distincta manebunt, sub uno puncto individuo, & velut mathematico, cui æternitas DEI comparatur,* Secundo, *decreta DEI nihil amplius involvunt, quam hoc: Ego DEUS volo, atqui & creatio plus non intulit, quam voluntatem DEI, ut fiat mundus, quis enim motum proprie dictum ad decreta exsequenda DEO abscribat? Ergo sicut decreta ab æterno erant, ita etiam creatio fuit.* Respondeant alii, nostrô tempore de possibili mundi æternitate acriter decertatum. *Ex una parte,* in causa DEI asserta, in placida disquisitione pag 23 seqq in der bescheidenen Entdeckung der schädlichen Wolffian. Philos. p. 20. seq. in placidis Vindiciis modestæ & placidæ disquisit. p. 18. & in scriptis eristicis à Buddæo contra Wolffium emissis: *ex altera autem parte* in Comment. luculent. Wolfii p. 56. in monito ad Commentat. p. 4. in den Anmerckungen Herrn Wolffens über das Bedencken Herrn Buddäi p. 56. 57. in der nöthigen Zugab p. 20. in dem klahren Beweiß p. 60. in Bülffing Dilucidat p. 187. in Mülleri sicherem Mittel &c. p. 14. seqq. de possibili æternitate mundi allegatos auctores vid. apud Richovv. p. 18.

(*u*) Aristoteles mundum, necessario, an contigenter? æternum statuit, quod longo tritissimum est. Accusatur propterea à Ciceron. Acad. quæst. L. IV cap. 38. à Lactantio divin. institut. L. II. c. 11. ejus classi adscribitur Pythagoras apud Varron de rust. L. II. C. 1. Aristotelem inter Christianos felicissime & infelicissime secutus Andr. Cæsalpinus vid. Sam. Parker

in disp. de Deo & providentia divin. disp. 1. p. 64. qui & Berigandum ejus erroris accusat. ex adverso hunc errorem rejecerunt Bernh. *Tilesius de rerum natur* L. I. c. 9. 10. *Nicolaus Taurellus de rerum æternitate.* Copiose æternitatem mundi *Jaquelot* refellit *in dissertatione de existentia Dei gallice edita.* imbecillius Isaac Vossius in dissertat. de ætate Mundi cap. 1. provocat enim ad id, *quod montes fluvii &c. defecissent si per æternum tractum durassent.* Dubia interim Atheorum, quæ contra historiam creationis movent, excussit Jaquelot *dans la conformité de la foi avec la raison* P. II. C. 1. p. 112.

§. 16.

Si mundus ex nihilo conditus, quod ratiocinia hactenus proposita arguunt, non potest rationi consentanea esse opinio, quâ creaturæ ex ipsa DEI essentia *emanasse* dicuntur. Mundus enim sufficientem sui rationem in se ipso non habet; atque adeo contingens est: fieri igitur nequit, ut universum pars supremi Numinis sit, quod ens est necessarium, quod rationem sui in semet ipso habet. (*x*) Partes enim quoad prædicata ea, quæ non ex compositione qua tali pendent, iisdem conditionibus gaudent ac Totum ipsum. Quum igitur DEUS necessarius sit, erit & necessaria pars, quæ ex eo decerpta conflavit mundum. (*y*)

(*x*) Ita definitur Deus ceu substantia independens à recentioribus v. g. Wolff. in Metaph. §. 930.

(*y*) Poiret si non totum mundum, tamen partem ejus, animam ex Dei essentia emanasse statuit in Oeconom p. 340. vid. Examen Theolog. Novæ Poireti institutum à Jæger 1708. ubi inter errores hæc sententia decimũ tertium locum occupat. Pordætsch in Metaph. divin. T. I. L. 1. cap. 7. p. 189. Weil GOtt in seinem blossen nacketen Wesen fruchtbahr ist / und sich vermehren

mehren kan; so muß er auch diese Eigenschafft haben/wann er sich in seiner eigenen Materie unterschiedliche Staffeln der Dickheit eingeleibet/ und kan folglich machen/daß seine coagulirte Außflüsse vor sich allein/ als Früchte die von ihrem Baum abgebrochen seynd, bestehen p. 191. Wann das geschiehet/ daß er solche abgeleitete Kräffte mit einander vermischt/ glaub ich daß es eigentlich im genauen Verstand **eine Schöpffung** genannt werde. Cùm Vir summus Joach. Langius in der bescheidenen Entdeck. *partes compositi spirituales* assereret, exprobratum ipsi est à Mûllero im sichern Mittel, quod in hanc sententiam incliner p. 2. quo jure? alii viderint.

§. 11.

Mundum esse ob DEI gloriam conditum, tam verum est, quàm id constanter ab omnibus, quibus sanum synciput, & Philosophis & Theologis asseritur. (z) Non possum autem, quin dicam iterum, quod recentiorum Philosophia, cum hac præcipua thesi, mirifice consentiat. Quæ Philosophi enim generatim pronuntiant, *fieri absque ratione nihil posse*, ea penes Theologos adplicantur ad instar corollarii, DEUM non sine ratione, & æquipollenti decreto, sed intuitu gloriæ mundum effeciſſe. Finis *enim rei*, quid aliud est, quam *ratio sufficiens rei exsequendæ?* (aa) Si ob finem igitur gloriæ stupendam Deus hanc mundi machinam fabricavit, tum & ratione sufficienti ductus præstitit idem, quô nihil magis axiomati nostro consentaneum dici potest. Contrà ubi dixeris, *in rebus condendis DEUM nullâ*, ut ita loquar, *curâ gloriæ suæ fuisse tactum, perinde ipsi fuisse, sive ea impetraretur sive non:* tum profecto etiam rerum jam conditarum similis erit con-

ditio, parum scil. DEUS curabit, sive à jam conditis operibus gloria sua illustretur, sive non illustretur, (*bb*) quod, vereor, ut blasphemiæ culpâ exsolvi possit.

(z) Num opus est ut Theologorum testimonia allegem, *Deum creasse ob gloriam?* solis ego lucem illustraturus viderer. Vid. tamen Freylinghaus. Theolog. Halensem in der Grundlegung zur Theolog. pag. 29. §. 8. velim hoc expendant, qui necessitatem Deo imponi credunt, quoties cum ratione sufficienti convenientius judicat, hoc facere, quam illud. Neminem scio, qui Deum ob gloriam sui creare negaret, quam Poiretum à Bülffinger. cit. Dilucid. p. 533. in cogitat. ration. L. III. c. 15.

(*aa*) Prolixe hæc omnia persequitur Bülffinger Dilucid. p. 532. §. 462. *Non est igitur opus, ut hæc ulterius exponendo actum agam.* Debui tamen indicare, ut usum hujus Philosophiæ in Theologia ostenderem, pro ratione instituti.

(*bb*) Optarem ut qui contrarium sentiunt, me hîc erudirent, qui intelligere non possum, cur gloria propria DEUM non induxerit, ad creandum potius, quam non creandum, i. e. cur non fuerit ratio convenientior, id agendi, quam omittendi.

§. 12.

Novi tamen, quid Viri, & judicio & eruditione florentes, heic desiderent; (*cc*) quoniam per peccata Dei gloria obscuratur, non videtur ab hoc mundo, in quo mali plurimum inest, plus gloriæ pro Deo expectandum, quam ab alio, qui malo vacaret. Hæc igitur obvertunt literati orbis Lumina: *Sic Deo necessitatem imponi ad eligendum optimum, posse plures optimos mundos esse, ut libera maneat optio, præstantissimum esse metiendum ex fine, posse quid esse præstantissimum, si ad hunc refe-*

referatur finem; cessante illo superpondio excellentiæ, ubi respiciatur ad scopum alium, non amplius fore præstantissimum. Id postremo, addunt, *periculi plenum esse, quod peccata ad mundi perfectionem facere dicantur.* Non hæc addidissem, frequenter quippe jam antehac variis responsionibus excussa, nisi superiori demum * anno Vir quidem Doctus, eximio suo, quem tum emisit, libro, quædam litis capita inseruisset, omissis, quæ pro contraria parte sunt, responsionibus. *(dd)* * (Scribo hæc 1727. d. 18 Octobr.)

(cc) v g. Weismann. Prof. Tub. qui raram cum pietate doctrinam conjungit, in Sched. de provid. Dei circa malum §. 7. in rationibus contra Systema. Leibnitian. §. 2. quæ cum aliis in unum Schediasm. volumen collecta prostant. vid. p. 263.

(dd) Walchium intelligo, Virum judicios. & litteratissimum in Lexic. Philosoph. sub tit. **Welt** p. 2873. ubi his verbis utitur. Dasjenige, was man dawider (gegen des Herrn Leibnitzen Systema) eingewendet / gehet sonderlich da hinaus / daß man die Freyheit GOttes in Hervorbringung einer Welt einschräncket / als hätte er nothwendig diese Welt erschaffen müssen; es sey wohl richtig / daß GOtt nach seiner Weißheit das beste erwähle / es käme aber hier die Sache darauff an: ob unter den vielen guten, dabey GOtt eine Wahl anstellen könte, nur ein einziges das beste sey / so er allezeit erwehlen müsse / und die andere / die man gegen dieses beste als geringere Güter vor was böses anzusehen, verwerffe. Das beste sey vielmehr nach der Absicht / die man habe, zu beurtheilen / da dann eine Sache in dieser Absicht als das beste anzusehen, dergleichen sie bey einer andern wohl nicht wäre = = die meiste Schwürigkeit äussert sich darin: ob die gegenwärtige Welt dannoch vor die beste zu halten, ob schon böses darinn ist / und zwar vor besser / als die / darinn kein böses anzutreffen wäre; = = nach dem Leibnizischen

Systemate gehört das böse mit zur Welt/ so die beste.

§. 13.

Complectar paucis, quomodo egomet recentiorum mentem intelligam, quantum ad hæc dubia adtinet, plura forsan in sequenti discursu additurus. Primum erat, *imponi Deo necessitatem creandi optimum.* Sæpe observatum, (ee) sapientiam Dei suadere, non obtrudere optimum invito. Clarissimus Lexici Auctor, cum animum ad scribendum adplicaret, sine dubio ponderatis omnibus, pro suscipiendo aut omittendo instituto, rationibus, secum tandem, quod omnino laudamus, statuit, non esse tali Lexico fraudandos eruditos, convenientius fore si emittatur, quam si prematur; sed, quia optimum faciendum & judicavit & suscepit, num propterea duro fati telo adactus ad id institutum fuit, num libertatem non conservavit incolumen, *si vel maxime unum hoc factu judicasset optimum?* an miser, an necessitatis mancipium fuit? Nec ipse hoc dixerit Vir summus. *Certum ex ratione optimi erat, hoc institutum susceptum iri ab ipso, necessarium non erat.* Fingamus jam, Angelum ipso viro doctissimo sapientiorem pariter ac honestiorem, aliquid instituto examine ex cæteris omnibus decernere optimum, idque *solum* habere pro optimo; ob majorem Angeli sapientiam adhuc *certius erit*, factum iri, quod decrevit Angelus, *necessarium tamen nondum erit*, imo majori laude dignum judicabitur, quoniam certiori optimi eventu magis confidere licuit. Nunc ad infinitam Dei sapien

pientiam assurgamus contemplando: An propterea, quoniam hæc unicum factu optimum, comparatis omnibus, statuit, optimum electu necessarium erit? an libertas DEI tolletur? Non arbitror. Sicut penes hominem probum & doctum, *certum* erat, optimum ab ipso electum iri, simulatque agnoscebat; penes Angelum *certius*, salvâ, imo nobiliori factâ libertate; ita penes Deum quidem *certissimum* est, antepositum iri optimum, necessarium minime erit. Si necessitas haberet locum, introduceretur per gradus *certitudinis*. Homo esset maxime omnium liber quoniam ab ipso instituendus optimi delectus parum certus foret. Angelus minori libertate ornatus existeret, propterea quod præstantissimi optio ab eo suscipienda esset certior. Deus tandem omnium minime haberetur liber, quia omnium certissime in optimum ferretur. Quis hoc dixerit! mallem ego invertere judicium, quam ita philosophari. Distinguatur igitur, si placet, *certum à necessario*, medicina poterit dubio adhiberi, quod tantopere viros eximios divisit.

(ee) Leibnitii Theod. §. 318. Wolff. Metaph. §. 564. p. 299. edit. prim. idem in Commentat. lucul. p. 37. §. 13. ubi pro voce *certitudinis* vocabulo *necessitatis hypotheticæ* utitur. In monito ad Commentat. p. 6. ubi diserte ait: Certitudinem aliquando necessitatem hypotheticam vocari in den Anmerckungen zu Hrn. Buddäi Bedencken p. 52. not. (z) in der nöthigen Zugab p. 112. im klahren Beweiß ad h. l. Bülfinger. in Libr. de orig. mali ubi agit de determinatione, & pag. 335. in Dilucid. ubi disputat de libertate creandi p. 530. an hi non sufficiunt?

§. 14.

Salva igitur Dei libertas manet, salvum Systema hoc nostrum. Alterum, quod monuerunt Viri docti, fuit: *plures posse mundos optimos existere, inter quos possit dari optio libera* i. e. ex eorum mente prorsus in æquilibro, sine ratione dirigente, collocata. Atqui id fieri non posse dudum Adversarii (ff) monuerunt; optassem igitur, ut prius ea argumenta silligatim eversa fuissent, quam ad hanc positionem fuisset perventum. Non possunt dari duo optima ita se mutuo æquantia, ut nec infinita Dei scientia vel tantillum discriminis in bonitate hinc & inde obvia pervidere posset. At si alterum altero vel tantillum bonitate præstat, melius eoque respectu ad id habito, optimum est. Non adeo incurioſus suarum rerum exstitit Deus, ut ipsi quædam perinde videantur, & prorsus æqualia, quemadmodum nobis evenire solet, ad rerum momenta parum curate animum advertentibus. Deinde si vel maxime plura optima perfecte æqualia, inter quæ nihil discriminis foret, darentur, numquam Deus unum alteri anteponeret. Est enim perfectissimus, quo perfectius cogitari nequit. Summa perfectio ex definitione summum virtutum quarumvis possessarum consensum arguit. Annon autem inter intellectum, voluntatemque dissensus oriretur, si forte iste rem perfecte alteri æqualem repræsentaret, hæc autem sc. voluntas alteram alteri anteponendo & eligendo, res tractaret ut inæquales?

(ff) Vid. Bülffing. in Tract. de origine mali p. 342. seqq. ubi sententiam, *dari plura optima posse*, evertit.

§. 15.

§. 15.

Tertium, quod urgent, semper fui admiratus. Dicunt, *rem jam optimam esse, jam non esse, prout aut ad hunc aut ad alium referatur finem*, quod forsan eo spectat, ut innuant, posse etiam hunc mundum optimum esse intuitu duntaxat certi, quem Deus respexerit, scopi, alio autem præfixo, fuisse futurum inferiorem. Sed de ipsis etiam finibus æque quæritur, ac de viis, quæ ad eos ducunt, *num sc. Deus possit fines non optimos eligere? num queat ad eos respicere præ aliis sine ratione?* Si negas id fieri posse, habemus, quod volumus; esse nimirum conditionem optimi tum ex finibus tum ex modis illos consequendi una computatis metiendam, nec conjuncta separanda: si fieri id posse affirmas, absoluto, quod vocant, decreto aditum paras commodissimum. Potest enim, juxta Te, Deus finem quendam absque ratione, sive bonum, sive optimum, eligere pro liberrimo arbitro, eoque v. g. homini æternas plagas, qui finis est, destinare sine ratione, tum media demum adhibere aptissima, quæ eo ducunt; sapientiam namque Dei in eo tantum collocas, ut finibus liberrime i. e. sine ratione electis subordinet adminicula, eisdemque consequendis inserviat. Me Judice & fines à Deo optimi cum summa ratione destinantur, & adminicula, quæ eo faciunt, aptissime applicantur; ita ut ex omnicus simul sumtis opus emergat, quod omni respectu, nec ad certos tantum fines relatum, sit optimum. Humanæ imbecillitatis est eligi particulares fines, quorum respectu adminicula optima

ma sunt, aliorum intuitu finium, non sunt. Alienum id à Deo est, qui habet voluntatem perfectissimam, omne bonum, quantum fieri potest, eoque omnes optimos fines decernentem, & adminicula commodissima eo dirigentem. Sic bonitas emergit, quæ omni respectu excellentissima est, Deoque digna. (gg)

(gg) Varia forte animum adhuc subeunt dubia. *DEum quidem*, inquis, *in creando consilium illustrandæ gloriæ & perfectionum manifestandarum agitavit, sed liberrimum fuit id consilium. Quid inde? concedo fuisse liberrimum, imo urgeo.* Sed num propterea sequitur, formatum fuisse absque ratione, ad creandum potius quam non creandum suadente? an libertas cum ratione sufficienti non consistit? redi in memoriam superiorum. *Omnis bonitas à DEO est, antequam ipsum movere possit; ergo sine ratione potest agere.* Memini me tale quid legere in Poireti *veris & cognitis omnium primis p. 26.* sed arbitror ita, *omnis bonitas rerum creatarum à libera dispensatione est*, ut existat revera, *concedo*, ut possibilis sit, *nego.* An DEI voluntas res possibiles facit? cur igitur possibile peccatum non præstitit impossibile? bonitas rerum creatarum, qua necessario possibilis, ab intellectu DEI repræsentata ratio fuit, quæ DEUM ad creandum induceret. *Atqui Matthias Apostolus Barsabæ antelatus fuit sine ratione* Act. *1.* v. 23. *num ego rationem allegare possum?* non possum, specialissimam sc. DEUS auditorem tuum calamitatibus exercet præ alio quovis ex æquo peccatore, num plane nullam rationem habet? num agit *indifferentissime?* liceat ita loqui. Cur ergo commendas patientiam, *ex eo quod sanctas affligendi rationes habeat? habet*, inquit, *rationes, sed speciales nescio*, idem tibi esto responsum. Cur Matthiam majori dignitate mactaverit præ alio, ratio specialis exstitit, hunc potius suadens quam Barsabam: sed meum non est eam scire,

scire. En honestam ignorantam! scio tamen rationis genus. Evolve 1. Cor. 12. v. 29, 30. *Non omnia possumus omnes.* Nullus dubito, quin Matthias in hoc officii genere, cui fuit admotus, aptior fuerit gloriæ DEI illustrandæ, quàm Barsabas, aliter omnia munera omnibus possent conferri, cum tamen alter huic, alter illi sit idoneus Norunt id, κατ' ἄνθρωπον λέγω, Senatuum ecclesiasticorum Assessores. Solicitum te tenet aliud dubium: *necessitas hæc moralis* in *geometricam degenerat, nam si DEUS secundum nos optimum negligeret, esset non sapientissimus*, i. e. *DEus non DEUS, dici vix potest quantum id contradictionem involvat.* Instantia erit soror hujus discursûs sed fratricida. Cœlites an possunt rebus ludicris puerorum plus delectari quam intuitu gloriæ divinæ? *Non possunt, aut non facient*, inquis, cur? *quia necessitate morali in bono & meliori confirmati.* Atqui hæc necessitas moralis in geometricam degenerat. Si ludicra tractarent, essent, ex tua mente, *cœlites non cœlites.* Quam id contradicit sibi ipsi! Videor mihi ex te audire responsionem hanc. *Distinguendum inter sensum compositum, & divisum: si consideretur status æternæ felicitatis, repugnare ei tam levia, sed alio respectu obstare nihil, quo minus id fiat, si ludicra pervendantur in se, nec comparentur cum gravioribus vitæ æternæ gaudiis.* Quidquid mihi respondisti tibi est responsum, si mundus quidam perfectus non contendatur cum alio perfectiori, possibile est, cum creari, loquendo *absolute*: at quatenus in judicio DEI alter altero ut perfectior cognoscitur, *sensu composito*, repugnat eum minus perfectum eligi. At num propterea libertas DEI detrimenti quid capit? num cœlitum libertas destruitur, quia ludicra nostrorum puerorum non præferunt deliciis Cœlorum incredibilibus? Minime gentium! *Potest*, instas, *concipi mundus melior, à quo malum abfuisset, ergo hic non est optimus.* Potest utique cogitari melior si homines & angeli non peccassent: sed NB. suppositô semel peccati eventû non

non fuisset melior, si DEUS peccatum impediviſſet miraculô, non fuiſſet, inquam, hoc casu melior quam alius à quo omne malum abfuiſſet; hoc niſi dixeris, in DEUM refundetur culpa, quod ineluctabili peccatis impedimento objecto meliorem ſubſtituere detrectaverit. *Exiſtimo his obſervatis totam litem conquieturam.* Nam ita intelligitur, Deum ex ſua parte præſtitiſſe, circa mundum malo interpolatum, quantum ab ipſo expectari potuit; cum enim omnium, ni fallor, conſenſu optabilius fuerit, peccatum permittere, quam abſolute ſufflamminare, & ita, meliorem mundum potentiâ extraordinaria ſurrogare peccato vacuum: ſequitur hunc eſſe, hôc ſenſu optimum, licet peccato contaminatus ſit. Quodſi autem homines ſponte ſua à peccando abſtinere voluiſſent, fuiſſet omnino melior, ſed hunc promovere hominis erat, non DEI. Eſt igitur ſemper *ex parte DEI* optimus præſens. Similes excubias agens duorum commilitonum è longinquo digladiantium duella non impediat, eſt hæc actio ex parte ipſius optima, non optima ex parte digladiantium. Cætera alii reſervabo occaſioni.

§. 16.

Tandem accuſantur recentiores, *quod crimina ad creati mundi perfectionem conferre ſtatuant.* Non eſt ita profecto. (*hh*) Peccatum eſt *in* optimo mundo, non eſt *de* optimo mundo, uti de improbis in Eccleſia Theologi loquuntur. Mundus non eſt optimus, *quia* peccato inficitur, ſed optimus eſt is, *qui* peccato inficitur. Exiſtimo autem non leve inter hæc duo deſcrimen interjacere. Capiamus, ſi placet, ſimile. Sint hæreditates oblatæ duæ, quarum altera centum millia aureorum complectitur, additâ tamen obli-

obligatione viginti creditorum aureorum millia aliis solvendi: altera vero viginti tantum aureorum millia omnino exhibeat: Dici tum poterit, hæreditatem optimam cum magno onere conjunctam, non optimam vero onere vacare; sed eô incommodô debita solvendi non obstante prima longe superat secundam, quæ nullis incommodis obnoxia est. Vere igitur dicere licet, debita esse cum hæreditate optima conjuncta, sed non conferre ad eam augendam, esse optimam hæreditatem *quæ* debitis & ære alieno teneatur, non *quia* eo teneatur. Quis talem sententiam non innoxiam pronuntiet?

(*bb*) Ne ego tantum ita videar excusare recentiores, per se longe aliter, ut videri posset, sentientes & loquentes, recenseo locum ex additamentis, aus der nöthigen Zugab zu Herrn Wolffens Anmerckung p. 186. ich sage nicht daß die Sünde die Welt vollkommener macht / sondern nur daß sie im übrigen der grössern Vollkommenheit der Welt nicht *præjudiciret* / und durch was anders der Mangel, der daher entstehet / ersetzet wird. *Uti æs alienum compensatur per hæreditatem, quæ etiam subtractis rationibus alienis, tamen alteram hæreditatem superat.*

CAPUT IV.

De Homine.

§. 1.

MEntio nunc etiam de usu injicienda est, quem in capite præsenti præstat Philosophia recentiorum. Potissima autem opportuni-

tas

tas hujus doctrinæ, discrimine inter animam & corpus probe stabilito (quæ & aliorum systematum laus est) continetur. Pessime cum Religione ageretur, si forte ejusdem anima conditionis foret, cujus est nostrum corpus, hôc enim extinctô nulla alterius vitæ spes affulgeret, quod, quam periculosum sit, dici vix potest. (a) Ostendemus igitur, quantopere recentiores ab hac doctrina abeant, & quibus eam armis adgrediantur, subjunctis posthæc paucis aphorismis de animæ *natura, facultatibus & immortalitate.*

(a) Primus inter homines tam ineptos chorum ducit Dicæarchus & Aristoxen. de quibus Cicero Tuscul. quæst. L. I. p. m. 253. *Dicæarchum vero cum Aristoxeno æquali & discipulo omittamus, quorum alter ne condoluisse quidem unquam videtur, qui animam se habere non sentit, alter ita delectatur suis cantibus ut eos etiam ad hæc transferre conetur.* Nimirum posterior animæ naturam in harmonia posuit vid. Lactant. institut. L. VII. cap. 13. Plutarchus de Plac. Philos. L. IV. cap. 2. Hæc controversia *an sc. anima in materiæ mechanismo contineatur*, recentius quoque renovata fuit. Historiam tradunt die unschuldige Nachrichten 1703. p. 653. 1704. p. 352. Pfaff. introduct. ad histor. Theol. litter. P. II. p. 269. Lokium materiæ cogitandi facultatem non abjudicasse, si DEO ita placuisset, tritum est: rationes ejus leguntur en Nouvelle de la republique des lettres, Nov. 1699. p. 506. *A nostra imbecillitate concipiendi, quomodo materiam Deus cogitantem præstare potuisset, ad impotentiam DEI non valere consequentiam.* Cui Stillingfleet semet opposuit. citat. loco, p. 500. Lockio associandus, quantum ad hoc, Hobbes. in Leviathan. cap. 4. ubi *negat quidquam substantiæ naturam induere, quod non sit corpus*, animam ergo non distinguit à corpore. Imo ipsum Deum corpus habere contendit. *Inter alia hoc*

hoc ratiocinio usus: quia in sacris Deus vocetur magnus. Magnitudinem autem corporis extensi esse proprietatem. Cowardi Angli *cogitationes posteriores de anima* turbas dederunt: *Statuit enim animam esse corporis accidens, & vim, non vero peculiarem substantiam. Igitur cum corpore interituram, & resurrecturam olim.* Cum impugnaretur passim à Broughono *in Psychologia* a Menardo *en la doctrine de l' Ecriture sainte sur la nature de l' Ame*: à Fabricio *in syllabo Scriptorum de veritate relig. Christianæ* p. 439. non sibi defuit: edidit enim *vindicationes rationis & religionis contra impostura Philosophiæ, scrutinium exactum in modernas animæ notiones.* Huc referendæ Tolandi epistolæ ad Senream Anglic. Ling. vid. Mosheim in Vita Tolandi p. 140.

§. 2.

Utinam de his sententiam expositurо non succenserent quidam bene animati pro epidemicis opinionibus lectores. Meo quidem judicio perversissimus quo anima & corpus confunduntur, *error* non parum *promotus* est *per doctrinam de physico*, quem vocant, *influxu corporis in animam, & vicissim*, habemus ejus rei exemplum recentissimum. (*b*) Cum enim hujus erroris patroni sibi nullam illius contactûs, quô animam afficere corpus dicitur, ideam formare potuerint; in eam sunt ingressi opinionem: *non posse expertem esse materiæ animam, quæ à corpore tangatur, punctum enim individuum*, quô numero animum habebant, *non posse tangi ab eo quod extensum sit.* Quo factum est, ut morbum graviori morbo compensare instituerent. (*c*) Ipsi dogmatis de influxu Promachi non inviti concesserunt, modum illius societatis, quâ anima cum corpore jungitur, *intelligi non posse*; quod cæteri eo interpretati

tati sunt, id negotii Philosopho datum, ut modum planiorem excogitaret.

(b) Ne variis tantum suspicionibus indulgere videar, ibo in rem præsentem. Clar. Rüdigerus, quod mirum plerisque visum est, in der Gegen-Meynung wider Herrn Wolffen Gedancken von der Seel, ita philosophatur: *Verum est dogma de influxu, ergo anima est extensa.* Et iterum: si anima non est extensa, influxus animæ corporisque mutuus non habet locum, sed potius systema Harmoniæ præstabilitæ. Atqui posterius est absurdum E. & prius. verba in Præfat. §. 16. sub Theorum. I ita habent: Wann das Corpus in extension bestehet / so folget / daß die anima nicht könne extensa seyn / und weil alle materia extensa ist / daß sie auch nicht materialis seyn könne / ist sie nun nicht materialis, so kan sie nicht berühret werden / weil in ihrer gantzen substantz kein punctum Physicum da. Dann das ist ein Postulatum: daß aller attactus in puncto Physico geschehen muß. Kan nun die Seele weder berühren / noch berühret werden / so kan sie auch weder in Leib agiren / noch der Leib in sie. Dann das ist gleichfals ein Postulatum, daß keine actio in aliud ohne Berührung geschehen könne. Wann dieses ist / so thun die Rührungen des Leibes / als die fünff äusserliche Sinnen nichts zu den Gedancken der Seel / nichts zu den Bewegungen des Leibes / &c. atqui das seynd grosse inconvenientien / pergit §. 17. darauß schließt er: quod anima materiæ non sit expers. Quæso nunc, ut benevol. Lector animadvertat Postulatum Experientissimi Doctoris. *Nihil posse agere in aliud sine attactu.* Anon hoc effatum ex mutua corporis in animam, & animæ in corpus actione concluditur? atqui favet, imo fundat manifestissime Materialistarum sententiam. Quam graviter fuissent objurgati Leibnitius & Wolffius si quid ejusmodi ex eorum

ore

ore fuisset auditum? Si nihil potest *agere* in aliud *sine attactu*, tum *& Deus vero attactu nos afficiet*, forsan & juxta Hobbesii sententiam à materia non erit sejunctus, quis ita sentientem ferat? videatur Cowvard *in vindicat. rationis & religionis contra impostoras Philosophiæ*, ubi diserte ait: *non posse cogitari substantiam sine extensione*: quæ ipsissima etiam Clar. Rudigeri sententia est, loc. cit. Theor. II. Wann eine geschaffene Substanz wär / inquit, die nicht extensa wär / so hätte sie nicht partes extra partes &c. so wäre sie entweder nichts / oder gehörte ad incognitum. Commercium illud epistolicum familiare, valde famosum Anno 1713. emissum [der vertraute Brieff. Welsel.] eandem cantilenam modulatur. At quam inique id ferebat orbis litterarius? ut calamum stringerent Joh. Hermann von *Elswich* in disput. *de recentioribus de anima controversiis*: Godofred. Polycarpus *Muller in duabus dissert. de mente substantia à corpore essentialiter distincta* Lips. 1714. Vid. Acta. German. Erud. Tom. I. p. 862. seq. Necessarium igitur est, ut error tantus profligetur. Respondeant inprimis influxus Promachi Rudigero ex sua hypothesi, si possunt, difficulter id factutos credo.

(e) Ut influxum scil. tuerentur, inciderunt in materialismum, ut ejus ἀκαλαλησίαν curarent, adoptarunt Materialismum, ad Aristotelis sententiam ex parte accedentes, de qua vid. Walchii exercit. de Atheismo Aristotelis p. 301. parergor. acad. in libro enim de anima II. c. 1. diserte ait *nunquam à corpore sejunctam animam. Distinctione facta inter animam & mentem tanquam inter diversas substantias, quarum illa ponitur tantum in vi motrice materiæ, hæc in vi intelligendi, quæ homini sit extrinseca.* Unde nata est intellectus patientis & agentis divisio. Quod si ex nostrorum *Materialistarum* sententia anima extensa est, non habere potest aliam quam movendi vim; Pronum igitur est ire in Aristotelis sententiam atque & intelligendi facultatem ab externa origine arcessere Vid. Plutarchus de placitis Philosoph. L. IV. c. 2.

ubi ostendit *Aristotelem animam non nisi in motrice vi quæsiviſſe.* Graviter hæc refutat *Lami de la Conoiſſance de ſoi même.*

§. 3.

Quibus argumentis Recentiores Materialiſmi errorem everterint paucis commemorabo, Lectoris judicio relicturus, num id Theologiæ adjumenti quid adtulerit nec ne? Non improbo aliorum quoque bene ſentientium argumenta, dico tantum & *his noſtris fuiſſe haſtas, & eorum tela nocuiſſe Materialiſtis.* Incipiamus à primo hujus Philoſophiæ inſtauratore, ita ille: (*a*) *vis activa argumento eſt diſtingui maxime Animam & corpus. Nam principia Mechaniſmi cujus conſectaria ſunt leges motus non poſſunt ex eo elici, quod in mera paſſione conſiſtit, quod in rebus geometricum* (tres dimenſiones habet longum, latum & profundum) *aut materiale eſt, neque etiam leges motus probari poſſunt per ſola axiomata Mathematica,* (quibus materiæ dimenſiones computantur) -- *Ad demonſtrandas Dynamices regulas oportet redire ad Metaphyſcam realem, & ad principia convenientia, quæ animæ ſequuntur.* Addit paulo inferius. *Si vel maxime vires agendi immediate* (cum Malebranchio) *à DEO deriventur, tamen neminem denegaturum animæ noſtræ actiones internas, has autem ſufficere. Neque enim eas à materia proficiſci poſſe, quæ pure ſit geometrica viribus deſtituta agendi, externas autem corporis actiones, ubi quis DEO ſolâ adſcribere velit, eum recurſurum ad miracula perpetua DEO indigna, eôdem poſſe nos fingere modô, nos eſſe ſolos in Mundo DEUMque phenomena*

in

in Mente excitare, perinde ac si aliquid extra nos existeret; cum tamen nihil existeret, Eo ni fallor spectat illustris Viri argumentum. Quicquid à materia tali, quantum est longa, lata, profunda, uno verbo, extensa profiscitur, id ex his attributis etiam potest demonstrari; atqui leges virium activarum sive motricium sive perceptivarum, ut quis Matheseos & speciatim mechanicæ est peritissimus, ita omnium minime ex materiæ dimensionibus demonstrare potest: ergo illæ vires, queis animarum natura continetur, postulant naturam à materia *distinctam*, quam omnium consensu *vocamus animam. Erit mihi magnus Apollo qui hoc argumentum solverit.* Nulla heic distinctio, nullum effugium præsidio venit. Qui respondere cupit, mathematice leges has ex materiæ dimensionibus demonstrare debet, quod (e) fieri nunquam poterit.

(d) Dabimus, majoris perspicuitatis causa, verba Leibnitii gallico idiomate quod originale est, ex Recueil des diverses pieces T. II. p. 232. Cette force active est justement ce qui montre le mieux, & d'une maniere bien sensible, la distinction de l'ame & de la masse. Par ce que les principes du Mecanisme, dont les loix du mouvement sont les suites, ne sauroient être tirez de ce, qui est purement passiv, geometrique, ou materiel, ni prouvez par les seul axiomes de mathematique -- pour justifier les regles Dynamiques il faut revenir à la Metaphysique reelle & aux principes de convenance qui affectent les ames -- Quant aux operations encore on ne sauroit refuser à nous mêmes nos actions internes, & elles nous suffiroient ici; car la matiere n'en est point capable, n'etant que passive. Mais cette supposition, qui donne toutes les actions externes à Dieu seul, recourt aux miracles, & même à des miracles deraisonnables

bles, à peu digne de la sageſſe de Dieu. Par le même droit de faire des fictions que la ſeule toute-puiſſance miraculeuſe de Dieu pourroit rendre poſſibles, il ſeroit permis de ſoutenir, que je ſuis ſeul au monde, & que Dieu produit tous les phenoménes dans mon ame, comme s'il y avoit d'autres choſes hors de moi, ſans qu'il y en eût. Occurrit igitur etiam dubiis quæ Malebranchiani formare poſſent, qui vim agendi omnem DEO ſoli tribuerunt, de quibus infra.

(e) Carteſius à priori leges motus demonſtrare aggreſſus plurimum aberravit, à priori, *inquam*, nam in probandis his legibus ſunt quædam poſitiones ab experientia, & poſteriori ſumendæ, quæ liberam, ſapientiſſimam tamen ſupremi Auctoris voluntatem arguunt, cum contra quidquid ex materia, qua tali, demonſtretur, bruta ſequatur neceſſitate. Hoc Carteſius non obſervans infelici ſucceſſu uſus eſt. Lipſtorpius eum ſecutus in ſpeciminibus Carteſianæ Philoſoph. P. II. pag. 28-68. qui & alio tempore de angelo increato commentatus eſt. Sed eventu non meliori. Hugenius alia via inceſſit, quam Leibnitius mirifice amplificavit.

§. 4.

Alterum Viri Illuſtris argumentum, quô diſtinctionem animam inter corpusque ſtabilit, hoc eſt: *Negari*, (f) inquit, *non poteſt, perceptionem & quod inde pendet per rationes mechanicas explicari non poſſe, h. e. per figuras & motus. Quod ſi fingamus, dari machinam, quæ per ſtructuram cogitet, ſentiat, percipiat; non obſtat quidquam, quo minus iisdem proportionibus retentis ſub majori molæ ſtructa concipiatur, ita ut in eam aditus nobis concedatur tanquam in molendinum. Hôc ſuppoſito nihil in eo videbimus niſi partes ſe mutuo impellentes* (g) *nec unquam aliud quidquam, per quod cogitatio explicari queat. Hæc ergo in ſubſtantia ſimplici, non in com-*

compositæ seu machinæ quærenda. Argumentum est planum, &, ut arbitror, solidum. Extensio dicit & indicat multitudinem, id ne adversarii quidem diffitentur, atqui perceptio requirit unitatem i. e. substantiam non compositam. Ergo anima à composito i. e, corpore maximopere differt. (*h*)

(*f*) Legantur hæc verba in Monadolog. Leibniti quæ recensetur ab actis Erudit. Tom. VII. supplem. sect. II. 12. p. 500. seqq. Quam refutavit Mathematicus Tubing. celeberr. Joh. Cunrad. Creuling. duabus dissertat. anno 1722. quantum ad hoc argumentum attinet, desideravit nihil.

g) Absurditas sententiæ, *quod substantia extensa, partibus constans, cogitare queat* jam à priscis Philosophis exsibilata fuit: Galenus apud Gassendum Phys. sect. III. L. VI. c. 3. oper Tom. II. p. 343. *Cum Atomus*, ait, *una dolere non possit, quod alterationis & sensus incapax sit, si dum caro acu pungitur atomus una non sentiat, non sensuras, nec tres, nec quatuor, nec plures. Perindeque fore, ut si adamantum aliarumque rerum invulnerabilium acervus fodiatur. Et, ut digiti connexi absque dolore separantur, sic iri Atomos deductum absque ullo doloris sensu, cum sese mutuo contingant.* Eandem difficultatem Plutarchus advers. Colot. p. 1111. urgebat. Impugnavit etiam hunc materialismum, quô ex mente Epicuri & recentiorum, anima continetur. Augustinus Epist. 56 p. 273. *Quanto melius*, inquiens, *ne audissem quidem nomen Democriti & c. qui tamen sententia nutavit, ut aliquando naturam quantum, de qua fluerent imagines, DEUM esse diceret, qui tamen cogitari non posset, nisi per eas imagines quas fundit & emittit;* percipiendi igitur imagines materiales absurde ab externa origine arcessi contendit. Refert Buxtorff. initio capit. 69. in *Traduct. More Nevuchim, seu Doctoris perplexorum* quod Moses Majmonides tali argumento, contra eos qui Deum corporeum credunt, usus sit: quod me judice & contra animæ materialismum.

afferri potest. *Si Deus* (anima) *est corpus tum divinitas* (cogitatio) *ejus vel perficietur in complexu substantiarum individuarum corporis illius, vel in una tantum individua substantia. Si illud dixeris, erunt plures divinitates* (animæ) *Si hoc adfirmaveris, tum nulla est utilitas reliquarum atomorum, quas ad animam constandam concurrereais.* Novi, quid excipiat Commercii Epistolici inter familiares auctor Bucherus, quem detexit Stolle in der Historie der Gelehrtheit edit. secund. p. 504. nimirum pag. 31. edit. noviss. des vertrauten Brieff-Wechsels ita disserit: Daß alles auf die fibras cerebri, nehmlich in Gedancken / ankomme / siehet man ex statu oppositio in deliriis. So lang in hitzigen Fiebern das Geblüt tumultuiret, und die fibræ ungleich und confus beweget werden / so lang ist phreniris, das Rasen da, geschiehet aber diese confuse Bewegung ohne Fieber, so wird mania daraus. Ist hingegen das Geblüth schwehr/und also von langsamer Bewegung/und können deßwegen die fibræ cerebri von dem einmal gefaßten tremore nicht gebraucht werden / so entstehen allerhand närrische Einbildungen, und Arten der Melancholie. Ja daß auch vermittelst des Geblüts gewisse Ideen dem Gehirn können beygebracht werden / die hernach so fix darinn sitzen bleiben / siehet man an der sogenannten rabie canina die vom tollen Hunds biß entstehet &c. Ex his omnibus intelligo harmoniam inter corpus & animam seu ex aliorum hypothesi actiones alterius in alterum, statum autem animæ materialem nondum intelligo. Perinde ac si arguerem: in squalido ac tristi carcere, homo se tristem exhibet, in amœno principumque persona digno conclavi, ubi nullum affligit malum, hilarem se præbet & comem, Ergo revera non datur ejusmodi homo; ergo totum phænomenon ad carceris squalorem, & conclavis amœnitatem revocandum est. *Quàm quæso inepte!*

(b) Lokii igitur sententia, qui affirmavit, posse Deum, si vellet, materiæ cogitandi facultatem tribuere, locū adinvenire nequit. Citavimus eum supra. Nescio an

in

in hanc sententiam propendeat summe Reverend. Dn. Buddæus in Philos. Theor. P. VI. c. 1. §. 3. p. 328. *Post accuratissimam*, inquiens, *inquisitionem nihil aliud dicere possumus, quam spiritum nostrum esse substantiam indivisibilem, facultate volendi h. e. appetendi, aversandi, cognoscendi fortassis etiam movendi corpus præditam. Cum autem non prorsus repugnet quo minus istæ facultates in substantia materiali sint, ratio demonstrare non potest, eum spiritum materiæ esse expertem.* Atqui ratio demonstrare potest. Cogitatio enim postulat rem simplicem, extensio compositam: Non potest igitur ea res, quæ extensa & materia vestita est, cogitandi potentia gaudere. Dixi, me nescire, quomodo Vir summus cum Lookio seu, an cum eo faciat: Nam varie de mente ejus disputatum est. Vid. Dn. Wolffii nöthige Zugab zu den Anmerckungen über Herrn Buddäi Bedencken, p. 30 & Responsionem Dn. Buddæi in dem bescheidenen Erweiß, daß das Buddäische Bedencken noch fest stehe. p. 15. Cui tamen denuo Wolffius plura gravissima opposuit, im klahren Beweiß p. 39.

§. 5.

Tertium ratiocinium alterius celeberrimi Auctoris est. (*t*) Probat enim, fieri non posse ut materia cogitet, i. e ut à materia animus non differat; hoc modo: *Si corpora cogitare possent, cogitationes nihil aliud forent quam determinati motus certarum hac aut illa figura, situ, præditarum partium. Jam ubi eadem cogitatio durante quodam temporis spatio conservata menti offerretur, aut partes illæ ad conservandam cogitationem motum sisterent, aut similes in earum locum succederent*, utrumque est absurdum, illud, quia cogitatio cessaret; dum durare deberet, hoc, quoniam non amplius foret cogitatio eadem. *Porro quia cum pluribus cogitationibus conscientia sui copulata*

lata est, & vero nemo sibi vel aliarum rerum vel sui ipsius conscius sit, nisi qui se ab aliis rebus distinguit, *ut per motus materiæ subtilis hæc excitaretur, necessarium foret, & corpus repræsentatum, & materiam in cerebro repræsentantem inter se comparari, quò & utriusque cum similitudo, tum distinctio animadverteretur*, quod natura conscientiæ poscit, *atqui hæc omnia* (*k*) *fieri non possunt*: Ergo & corpus cogitare nequit, eoque distincta ab eo substantia requitur, quæ illi operationi sit ideonea. Hanc vocamus animam. Substituo aliud, quod à priori non ex omni parte differt, & magis est, ni fallor, perspicuum. Omnis repræsentatio in re composita, qualis v. g. est statua Herculis, Horologium solis motum indicans &c. sistit res repræsentatas *in se ipsa, non tanquam extra se, aut à se distinctas*, facies statuæ Herculeæ *est in ipsa*, nec ab eadem nisi ut modus distincta, adde quod neque vultum Herculis veri & vivi *tanquam à se distinctum repræsentet*. At alia ratio est cogitationum, quæ res repræsentant tanquam à nobis distinctas, non ergo cogitatio potest cadere in rem compositam. Non memini hoc argumentum à quoquam elusum esse, si ab eo discesseris, quod factum est, postquam Metaphysica recentior jam edita fuit. Robur autem ejus non infimi ordinis credo.

(*i*) Verba sunt Wolfii in Metaph. p. 407. §. 738. Addidi vero passim nonnulla, ut majorem eis lucem affunderem, ut ex characterum literarumque discrimine patebit. Alterum argumentum non memini à quoquam recentiorum distincte traditum esse, fundamenta tamen ejus recentioribus debeo, maxime Bülffingero Dil. p. 258.

(*k*)

(*k*) Non præterit me, quid hodie nonnulli contra hoc ratiocinium adtulerint, qui malunt nullum argumentum pro veritate hac extare, quam celebris Wolffii meditata non refutare. Excellentissimus *Polycarpus Leyser in Exam. Philos. Wolff* p. 11. §. 11. hoc dubium injicit. *Posse totam argumentationem instantia infringi*, nimirum eam, quæ ad conservationem per aliquod tempus cogitationis pertinet: *Ad conservandum per aliquod tempus ignem*, inquit, *aut partes in situ suo conservantur, quo ipso tolleretur motus, vel aliæ similes simili motu substituuntur: quid*, pergit, *si ex hypothesi Wolffiana illam cogitationum perpetuitatem fieri diceremus ad modum contiguitatis, & cohæsionis materiæ in corporibus, quam à perpetuo motu pendere existimat Wolffius.* Responsio est in promtu. Ignis est aggregatum plurium particularum celerrime quaquaversum agitatarum. Quælibet ignis particula habet motum, habet suam magnitudinem, est adeoque igniculus. At vero si cogitatio ex pluribus atomis variè motis constaret, non posset quælibet atomu- (*cogitatiuncula*) esse. Illinc igitur potest ignis conservari per successionem aliarum subinde atque aliarum scintillularum, hinc cogitatio eadem non potest conservari per tales *ideunculas* (liceat pace lectoris ita loqui,) Non igitur argumentatur Wolffius à successione particularum corporis ad negandam ejus in eodem statu per aliquod tempus conservationem, sed à successione particularum, quæ plane toti constituendo sunt dissimiles & heterogenæ, ad negandam cogitationis per tempus conservationem. Pergit Vir experientissimus *non posse nos concludere ab ignorantia modi, ad negationem rei. Plurium motuum in corpore nos non esse conscios, & tamen eos fieri.* Ergo licet modum nesciamus, quomodo ex motu particularum conscientia sui oriatur, non debere tamen id nos negare. Verum enim vero quis ita concluſit? non ab ignorantia modi, sed ab impossibili argumentamur, quia materia in cerebro repræsentans, corpus extra hominem locatum non potest se ab illo, compara-

tione instituta, distinguere, quod ad cogitationem ramen requiri nemo nescit. Digna sunt verba Bælii quæ h. l. inserantur: Cette sensation, (quam in corpore seu materia fingunt) *semblable produite tout de nouveau n'est elle pas reçue dans un sujet divisible a l'infini. Elle se divisera par consequent en une infinité de parties tout comme la premiere, & par cette division chaque sujet, ou chaque morceau de la substance n'aura qu'un degré de douleur si petit, si mince, qu'on ne le sentira point. Or l'experience ne nous apprend que trop le contraire.* Clarissim. Rudigerus in der Gegen-Meynung wider Hrn. Wolffens Gedancken vom Wesen der Seele &c. p. 23. ita disputat: Wann GOtt der Materie die Krafft zu dencken beyleget / so darff ja diese Krafft nicht aus der Natur ihres subjecti, nehmlich der Materie folgen sondern die Materie wann sie diese Krafft erhalten / wird sie was edlers / als sie zuvor war / nehmlich eine denckende substanz. Wir / Ich / Clerke und Loke kehren uns daran nicht / daß es der Herr Autor mit seinem *Herce Leibnitio* eine Philosophiam ignavorum nennet §. 583. wann man sagt / daß die erste Elemente ihre Krafft von GOtt erhalten. Dann wann wir ihnen eben so unrecht thun wolten / könnten wir auf eine sehr plausible Art sagen / ihre Gegen-Hypothesis wäre *Philosophia Atheorum*. Odiosa consultò omittam. Leibnitius pigrum adpellavit neminem *nominatim*, ex adverso Clar. auctor id facit. Atheismi culpam exprobare gravius est, quàm postulare pigritiæ. Transeant hæc. Nunquam illustris Leibnitius nec Wolffius etiam cit. loc. eos ignavos vocavit, qui elementis à DEO vim inditam fuisse contendebant, imò vero hoc ipsi duumviri affirmant vid. Metaph. §. 584. quomodo igitur alios ob hanc causam ignavos vocarent? id potius ignaviæ tribuerunt, ubi elementa omnium prima, composita figuris magnitudine prædita statuantur. Verba hæc sunt: Es irren alle diejenige / welche zu den Elementen der Welt zusammengesetzte Dinge annehmen. Der Herr von Leibnitz hat es die Welt-

Weltweißheit der Faulen gennet. §. 583. Metaph. Wolff. Quam infirmum est objurgationis fundamentum? Quod autem ad rem ipsam attinet, de potentia materiæ cogitandi, respondeo: aut phrasis (die Krafft zu dencken darff ja nicht aus der Natur der Materie folgen, GOTT kan sie geben) innuit, *etiamsi cogitandi facultas materiæ repugnet, posse nihilominus eam materiæ à DEO conferri:* tum nego consequentiam. Deus enim non præstat possibile, quod impossibile est, non mutat essentias: aut significat: *Licet ex naturali materiæ impetu vis cogitandi non sequatur, posse tamen sequi miraculosâ DEI potentiâ, quâ & ex aqua præstitit vinum*; tum nego minorem. Neque enim materia ad vim cogitandi se habet, ut aqua ad vinum. Cogitandi vis postulat unitatem, seu rem simplicem, materia arguit rerum multitudinem. Contra & vinum, & aqua, guttarum, partium, multitudinem involvunt.

§. 6.

Proferimus nunc pedem ad examen definitionis, quâ recentiores notionem ejus evolverunt, non id facturi, nisi exprobratum fuisset, posse & veritatis Theologicæ hostes eam rapere in abusum. Lis satis perorata fuit. (*l*) Exponemus modo ea, quæ novissimus Scriptor iteratâ vice obvertit, (*m*) perinde ac si hactenus, quod non arbitror, responsio defecisset. *Dn. Buddæus*, inquit, *quod si animæ natura in vi repræsentandi mundum collocetur, monuit fore, ut sensionis potius & meræ passionis faciem quam actionis induat illa repræsentandi facultas; Addidit porro, si anima ex domestico fonte ideas evolvat, libertatem periculo expositum iri: Quibus Wolffius resp. in annot. ad consil. p. 84. falso se accusari, quod animam cum horologio contenderit, se libertæ-*

bertatem docuisse alibi, nec meras sensiones animo tribuere, sed & liberos adpetitus, perstiturum se in sententia, iisdem ideis animam affectum iri, licet corporeus mundus non futurus esset præsto. Contra in modest. resp. ad has annotat. p. 80. *desideratum porro est, licet adversarius in vi agendi collocet animæ naturam, non tamen propterea à necessitate exsolvi, existere corpora in mundo vi prædita agendi, sed necessario* (n) *tamen agentia; quæstionem esse hanc; utrum auctor Metaphysices libertati locum relinquat? citari paragraphos ibidem ex Metaph.* np. §. 767. 943. *ex quibus pateat, vim animæ ex auctoris mente mechanicam esse; accusari etiam quod à simplicitate entis, ad unicam ejus facultatem concludat: ad hanc exprobrationem nihil à Wolffio responsum in additamentis quibus annotationes locupletatæ fuerint. &c. &c.* Hactenus Vir laudatissimus controversiam coortam recenset. Quoniam tamen queritur, quibusdam nondum esse satisfactum, nostrum erit de eo dispicere.

(l) Quot scripta de his omnibus emissa fuerint in utramque partem supra indicatum est aliâ occasione. Pertinet huc Commentatio luculenta. Monitum ad commentat. Annotat. ad Dn. Buddæi consilium. Additamenta ad annotationes. Clara demonstratio quod nihil Dn. Buddæus regerere possit. Bülffing in Dilucidat. de anima. Riebovv in der ferneren Erläuterung. Quædam attigit strictim Schlosserus in disp ad Hoheiselium. Muller præcipue im sicheren Mittel, modo sibi ab æstu temperasset &c.

(m) Litteratissimus Dn. Walchius in Lexico Philos. sub Tit. Der Seelen Beschaffenheit. p. 2285. seq. Passivam faciunt animam Adversarii potius Wolffii, quam ipse. Intelligo Dn. Rudigerum, qui *materialem* nobis

nobis obtrudere instituit, ut mirer, Eximios Halenses Theologos non caviſſe, ne talia vulgarentur. Forsan penes ipſos non ſtetit. Neſcio an abſimilia ſint ſententiæ Lucretii ita canentis: L. III. p. 79.

Nec ſine corpore enim vitales edere motus
Sola poteſt animi per ſe natura nec autem
Caſſum anima corpus durare & ſenſibus uti.

Raphſon *in demonſtratione de Deo ſive methodo ad cognit. natural.* Rectiſſime, inquit, *Morus extenſionem inter modos entis realis reciprocos, quatenus ens reale ſubſtantiam exprimit, dinumeravit, & ſubſtantia inextenſa erit contradictio in adjecto.* Dixi hunc errorem eſſe antiquum, quod probatur teſtimonio Plutarchi L. IV. cap. 3. p. 898. & Ariſtotelis L. I. de anima, qui teſtantur veteres animam extenſam credidiſſe. Hinc non difficile fuit credere homines ex terra ortos, Diogenes Laertius L. II. num. 17. de Archelao narrat: γεννᾶσθαι δὲ φησι τὰ ζῶα ἐκ θερμῆς τῆς γῆς, καὶ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι, ὅῖον τροφήν: ἀνιέσης. Lib. II. num. 17.

(*n*) Nullus dubito quin damnanda foret Wolffii ſententia, ſi plura libertatis notione non fuiſſet complexus, quam qualemcunque vim agendi. Sed contrarium patet ex Metaph. §. 515 ſeqq. requirit (1.) *ut actio non ſit neceſſaria, eoque contrarium ejus poſſibile* §. 515. *rationes enim agendi neceſſitatem non imponere* §. 516. (2.) *ut ſit certa.* §. 517. (3.) *ut ex proprio fonte eoque domeſtico hominis manet, quæ ſpontaneitas eſt.* Clarke interim in Recueil de diverſ. pieces par Leibniz, Newton. T. I. p. 356. *Contradictionem involvere putat, dicere Agens neceſſarium. Car à parler proprement & avec la preciſion, dont on ne doit jamais s'ecarter dans des Diſputes de Philoſophie, un Agent neceſſaire, ou une action neceſſaire eſt une contradiction en termes.* Atqui hunc nemo hæreſeos propter hanc cauſam poſtulavit, licet id ſentiat, quod Wolffio affingitur.

§. 7.

§. 7.

Etiamsi anima suô ipsius impetû, nec à corpore unquam excitato agat, periculo tamen libertas non exponitur. Si à corpore illatas ideas reciperet, patiens foret, speciemque amissæ libertatis præberet. Cum autem ex domestico fonte haurit ideas, & pulcerrimo ordine evolvit, nunquam ille ordo, *qui status est rerum cum ratione sufficiente succedentium*, libertatem sufflaminat. Dixi in superioribus multa *fieri libere, sed & cum sufficienti ratione*. Nunc meditatis, nunc meditata chartis mandas, nunc mandata chartis perlustras, nunc perlustrata mandas memoriæ, nunc memoriæ impressa pro concione enuntias, *en semper alteram ideam ex altera evolutam!* Sed numquid propterea detrimenti quid capit libertas? Neutiquam. Etiam igitur atque etiam te rogo, ut his suspicionibus tandem aliquando locum deneges. *At enim in sensionibus nulla videtur idearum ordinata evolutio, nunc audio campanarum sonum, mox κέλευσμα ovantium, jam vespa inopinato pungit, jam elegantissima iridis forma suspicienti cœlum objicitur*: quæ hæc connexio? (o) R. Quæstio erat de libertatis detrimento, quod oriatur, si ex tuo ipsius fonte ideas anima evolvat, nunc aliud de idearum inordinata successione obvertitur, quod ad Rhombum nihil facit. Non deest tamen responsio data alibi & ad hoc dubium dudum. Interim notum est, quod Recentiores discrimen statuant inter vim agendi & facultatem; (p) vis agendi substantiale quid est, quod non potest non esse unicum. Igitur à *simplicitate* re-

cte

cte ad unam vim, i. e. unum ſubſtantiale principium colligitur. Quidquid ergo Vir ſummus paragrapho priore objicit, ni fallor, excuſſum eſt. *Non inculcâſſem decies jam dicta, niſi fuiſſem repetitis dubiis ad id faciendum inductus.*

(o) Reſponſionem ad hæc omnia, quâ declaratur, quomodo ſenſiones multo diverſiſſimæ continuo ſibi ſuccedere poſſint, non deficiente nexu elegantiſſimo, vid. in der vertheydigten Harm. præſtabilit. p. 81. not.

(z) quà reſpondetur ad ea quæ in Artic. *Rorarius.* Dictionarii ſui Bælius objecit.

(p) Vid. acta Erudit. An. 1694. p. 112. *Vis activa actum quendam continet & inter facultatem agendi, actionemque ipſam media eſt.* Vid. Bülffing. in Dilucid. p. 243. §. 252. Hæc vis *activa* rerum quæ opponitur partim materiæ *paſſivitati*, (fas ſiet verbo) partim ejusdem materiæ Antitypiæ, ſeu niſui reſiſtendi, hæc, inquam, quoniam à materia proficiſci non poteſt, diſtinctam arguit animam, eoque ſpiritum materiæ expertem. Hôc argumentô fortius adverſarios conſtringes quam Malebranchiano, quod in eo ponitur: *cogitationes non poſſe menſurâ æſtimari, uti ſpatium & materiam.* Regerent enim veritatis hoſtes: *Si videremus corpuſcula, quibus cogitationes formentur, nos intellecturos eſſe, quòd cogitationes metiri liceat, ad inſtar ſubtilium machinarum*, vid. hanc obſerv. apud Leibnit. in examine principiorum Malebranchii Rec. Tom. II. p. 229. ſeqq.

§ 8.

Nondum ergo dimovemur à definitione, quam recentiores animæ impoſuerunt, *quod nim. ſit ſubſtantia vi prædita mundum repræſentandi pro ſitu corporis organici cui præeſt*, quicquid enim contra eâm monuerunt (q) Viri eruditiſſimi, id in tot ſcriptis polemicis ſatis ſuperque examinatum, & ſubla-

sublatis dubiis, ni fallor, compositum est, dummodo cum adtentione, quod ultrocitroque dictum fuit, legatur, & ad stateram revocetur rectæ rationis. Quid? quod potissima dubitatio, quâ exprobratum vidimus, *& Atheos hanc adoptare posse, nec cæteras animæ facultates ex hac definitione intelligi*, dudum à Viro perspicaci (r) exemta sit. Quanquam igitur plura addi possent, nihil enim est hac Philosophiæ (s) parte, quæ de homine præcipit, dignius, nihil præclarius: tamen quoniam pleraque jam anticiparint alii; pergimus ad ea, quæ nondum distinctissime evoluta sunt.

(q) Intelligo scripta in antecedentibus aliquoties allegata. Conferant quæso lectores Ven. Dn. Langii dubia in der bescheidenen Entdeckung der schädlichen Wolffischen Philosoph cum Bû ffingeri Dilucidationibus de DEO, anima & mundo, aut fallunt me omnia, quæcumque intelligere visus sum unquam, aut illi cognoscent dubiis Hallensium, etiam in hac lite. v. g. *de anima* p. 274. 306. seqq. & aliis alibi, cumulatissime pariter ac modestissime satisfactum esse. Nolim ergo agere actum.

(r) Exempli causa subjungam verba Bülffingeri, quibus ex definitione Wolffiana omnes animæ facultates derivat. In Dilucid. p. 274. §. 288. *Dicitur anima substantia repræsentativa Universi pro situ corporis organici in Universo. Substantia repræsentativa ea est, quæ habet vim repræsentandi. Vis dicit conatum ad actionem, non vero nudam potentiam aut facultatem. Etsi igitur unica vis animæ tribuatur, non tamen tribuitur una facultas §. 252. quia enim unica illa vis diverso modo agit, potest diverso agere. Potentia illa dicitur facultas. Igitur plures in anima adesse possunt facultates. Facultatem sentiendi contineri in vi repræsentandi mundum pro situ corporis organici, nemo dubitat, confer definitionem sensationum §. 246. Facultas imaginan-*

ginadi est facultas repræsentandi statum præteritum, qui cum præsenti sensatione aliquid commune habet §. 253. Igitur & illa continetur sub vi repræsentandi universum pro statu corporis organici. Dum abstraho ab una re & ad alteram adtendo, adest, repræsentatio unius rei præ altera clarior §. 262. Igitur & hæc facultas continetur in vi repræsentandi mundum. Repræsentatur enim utraque sed altera clarius. Utraque tamen pro relatione, quam res repræsentata mecum habet. Applicatio attendendi semper fit ex occasione alicujus sensationis præsentis: itaque & meditandi & reflectendi facultas includitur in conatu repræsentandi Universum &c. Memoria agnoscit identitatem unius ideæ in diversis seriebus repræsentatæ §. 266 oritur ex sensatione, phantasia, & facultate comparandi ideas §. 267. Sequitur igitur & illa ex vi repræsentativa rerum, similiterque conscientia sui ex §. 266. Intellectus vero rerum convenientias & differentias rerum sensibus, imaginatione, & memoria repræsentatarum atque inter se collatarum animadvertit & distinguit §. 271. omnes igitur hæ facultates comprehenduntur in definitione animæ.

(s) Doctrina enim de homine ejusque anima per omnes Philosophiæ partes diffunditur habeturque merito præstantissima. *Morhoff. in Polyhist.* T. II. L. II. eos recenser qui in hac & cognatis partibus desudarunt. *Carteſii Tractatus de Homine* nobilitatus est. *Godofredi Bergeri Physiologia medica* sive de natura humana Anno 1702. in 4t. emissa cum adplausu fuit excepta. *Ludovicus de la Forge librum de mente humana* in lucem edidit, Carteſiana dogmata exponentem, *Sperlingii anthropologia in omnium manibus* versatur. Christ. Martin. *Burckardi* Med. Doct. Rostoch. *Meditationes de anima* per ens prod. 1726. placuit v. g. mihi hoc effatum p. 58. *quid enim à recta ratione magis alienum est, quam cum de essentia Spirituum immaterialium eorumque operationibus disserunt, præsupponere quod spiritus debeant instar rerum materialium,*

lium, sive per contactum agere aut pati, aut quoniam id non possint, omnem statim agendi vel percipiendi virtutem ipsis denegare. Clariss. auctor putat, se sentiam Leibnitii de harm. præst. impugnare hôc locô, sed aliam, quam sibi ipsi animo formavit, impugnat, neque enim hæc sunt verba, nec sensa Viri illustris: *quis ab impossibili animæ & corporis mutuo contactu ad negandam perceptionem & actionem utriusque concluserit?* Hic est fons litium omnium contra veritatem agitatarum, ut sibi Adversarii eam aliter concipiant, coque non cum veritate, sed cum suo Phantasmate merito pugnent. Pugnat doctissimus auctor potius contra Rudigerum, *qui attactum in omni actione postulat*, ut vidimus supra. Respondeat hic, si placuerit, Collegæ, id est, Medico Doctori.

§. 9.

Quantum libertas hominis in disciplina morali pariter ac in Theologia momentum trahat, ne litterarum quidem prorsus expertes fugit. Faciemus igitur, ni fallor, operæ pretium, si ostenderimus, absque Doctrinis recentiorum singularibus gravissimam hanc veritatem contra Spinozam, Bælium Hobbesiumque neminem feliciter tuiturum. An, si id verum est, recentiorum placita usum in Theologia non præstant longe maximum? *Præstant omnia*, inquis, *si verum est, at credat apella Judæus, quod verum esse caussaris.* Credes profecto mecum, si animum parumper advertas, etiamsi manseris Christianus. Ita v. g. contra Libertatem Bælius argutatur: (t) *sive appetitus voluntatis ab externa re nobis ingeneretur, sive nos ipsi eundem elicuerimus, verum tamen utrinque fuerit, nos aliquid velle, & conscios esse, quod id velimus: Quemadmodum vero, priore casu,*

causa

causa isthæc externa cum adpetitu quem ingenerat, tantum voluptatis immiscere potest, quantum pro suo arbitrio vult: Ita fieri etiam potest, ut nobis mirifice tum placeant voluntatis nostræ (licet non à nobis excitati) nisus. Non persentiscimus, id si contigerit, coactionem, salva quoque manebit regula, voluntas non potest cogi. Annon concipimus clarissime, Galli effigiem tempestatis nuntiam, quam venti impetus in certam plagam dirigit, persuasam fore, si sui conscientia tangeretur, motúsque impressi prioritas cum adpetitu ejus conveniret, sponte sua se ferri in desiderii sui complementum. Fingamus nescire Gallum, quod exsistant venti; quodque causa externa & mutati situs & mutati desiderii nisúsq; rationem in se contineat, annon futurum esset ut sibi ipsi actionum illarum fontem, sed falso, vendicaret. Atqui nos homines miselli, galli hujus conditionem referimus ipsissimam. Profecto nos latet, numquid causa externa præstet, ut in nobis alia desideria aliis succedant, nec ne? Quocirca pronum est per errorem homines induci ut credant, ipsos suarum actionum auctores esse, cum revera decipiantur. Cum ergo mutationum, quæ in homine contingunt, explicandarum duæ solum, nec plures hypotheses sint, quarum altera nobis vires agendi, altera meram externos instinctus recipiendi potentiam adscribit; profecto tam diu prima secundæ anteponi nequit, quam diu nihil allegare possumus pro ea, quam argumenta sensationum: Sensationes enim istæ eædem forent, si vel maxime à principio externo accederent adpetitus, quos liberos vocamus, ingeneraturo.

(t) Verba sunt Bælii latine versa. Vid. Reponse aux questions d'un Provincial chap. 140.

§. 10.

Quod nunc pro tuenda libertate consilium inibimus? Num succensebimus auctori, indignas, quæ solvantur responsione, ejus argutias pronuntiaturi? Num dicemus baculis tales erudiendos, non verbis, an in querelas depravati mundi effundemur, omissa responsione? non esset id Philosophi, sed Pædagogi. Philosophi est, advertere ad omnia, etiam ad argutias Antagonistarum. Libertatem complures defenderunt (*u*) argumentô ab experientia, & sensu ejus intimo, quo imbuimur, petitô. Forsan igitur dicere licet: *Sentire nos utique quod velimus, quod libere adpetamus, non esse propterea audiendum, qui sensui huic repugnet.* At pace tua dixerim: Experimur nos velle, sed an voluntatis adpetitus aliunde à principio externo inditus sit, nec ne? id non experimur. Id enim simile Bælii à Gallo desumtum innuit. Quando in conversione, ut loquuntur Theologi, *Deus igenerat & tò velle &* operari Philip. 2. ℣. 13. nonne sub initium, progressum & finem homo recipit instinctus aliorsum? an agit quidquam? Quis dixerit mihi, aut quo argumento jam probare licet, non esse eandem conditionem vitæ naturalis per omnia durandi momenta? Unde cognoscimus non inspirari à DEO adpetitus quosvis bonos, & à Diabolo malos, seu ut magis philosophice loquar, à principio quôvis externo? Animum subit quorundam ex Reformatis sententia, prædeterminationem statuentium. (*x*) *Est ea*, ex auctorum mente, *præmotio, quâ Deus applicat causam secundam ad agen-*

agendum in singulis occasionibus, antecedenter ad omnem operationem creaturæ, seu prius natura & ratione, quam creatura operatur. An creata res, hâc sententiâ stante, non similis est gallo Bæliano, qui etiam præmotus â vento esse dicitur? quid interest inter utrumque? Nihil profecto quam hoc, quòd ex mente horum Reformatorum homo *præmoveatur*, gallus autem Bælianus à vento tantum *moveatur*, i. e. quod illinc agendi vires quidem supponantur, sed nunquam exercendæ, nisi prius ab externo agente excitatæ: hinc autem in gallo prorsus nullæ præsto esse videantur: Atqui nihil proclivius est, quam ut Adversarius etiam istas vires neget, quæ sine sublimiori virtute præmovente inutiles & velut mortuæ sunt? Dicet enim Adversarius, *cui bono sunt vires, quæ nonnisi actæ agunt? entia non sunt multiplicanda* &c. *Sufficit Deum omnia operari, ac adpetitus quoque elicere, quos vocamus liberos.* Sed quæso quantum tum libertati periculum imminet? Quô pactô igitur & contra Bælium, & contra Reformatos istos probabimus, *distinguendam esse à lubentia libertatem*? quas res illi confundunt. Quæ enim voluntas præmovetur ad adpetendum, ea, sive vires præmotricibus subjectas habeat, sive non habeat, ad instar galli Bæliani, lubens quidem est, libera non est. Patet autem exemplo hominis navi, secundô ventô, in portum devecti non sine animi lætitia, quantum interfit inter *lubentem*, & *liberum*. Lubens quidem is in portum defertur, sed absque libertate, non potest enim, si vellet, aliò venire, quam quo navis fertur. Fingamus ventum & navi motum

inferre, & nautæ desiderium eo tendendi, quò vela aguntur; persuadebit sibi profecto nauta, se liberum esse, cum lubens tantum exsistat. Qua autem ratione intelligimus, nostram conditionem hujus non esse similem? An per experientiam? atqui Nauta decipitur, si ita arguit, forsan falleris & Tu? Num affirmabimus, *sentire quemlibet, quod possit jam agere hoc, jam agere illud*? Atqui id aleæ plenum est. Si ventus in plagam nullam navim ageret, quam in eam, quò & abeundi desiderium inspiraret Nautæ, *annon hic exsistimaret se posse agere quod vult*? nihil enim venti operâ fit, nisi quod vult. Annon caussaretur, se posse ferri huc, ferri & aliò, si vellet, i. e. si ventus adpetitum mentis, & navi motum suo afflatu inferret. Quis hanc libertatem agnoverit?

(u) Scriptores de libertate complures in utramque divisos partem recenset Pfaffius T. I. Hist. litter. p. 327. seqq Interim, utrum argumentum ab experientia nude sine supplementis recentiorum desumtum valeat? disputatum est. Nam & qui ad experientiam provocant, difficilem esse doctrinam de libertate concedunt. Vid. expositon des 39. Articles. de l'Eglise Anglicane Episcopo Salisbur. edente p. 117. 127. King. de origine mali p. 91. 127. vid. Collin. Recherch. sur la libert. T. I. Rec. p. 263. seqq. Concedit Episcopius & necessitatis Patronos ex sua parte stantem habere experientiam oper. T. I. p. 200. Hinc factum ut sceleftiores gentes criminum suorum culpas transferrent in Deos, quoniam cujusdam necessitatis experientiam finxerunt. *Plutarchus de audiendis Poëtis: Ebeu malum mortalibus divinitus venit, ut bonum videant, non utantur tamen p. 33.* Hinc nonnulli, imo plures libertatem inficiabantur. Non loquar de Priscis, quorum integræ sectæ fatum, vel & Atheismum stabilientes hanc

hanc doctrinam conculcabant: dicam de Bælio qui in commentar. Philos. T. II. c. 6. p. 383. 413. libertatem quidem defendit, *postea vero in Lexic. Histor. Crit. p. 1900. disputat adversus eam*: Refutatus à Jaquelotio in conform. fidei & rat. p. 251. in examine Theologiæ Bælii P. II. c. 7. p. 271. Collinus contra argumentum *de experientia* pronunciat ob toterudditorum divortia, quæ non forent exstitura, si experientia omnium tam clara foret p. 262. ait: *Mais comme tout cela peut-il arriver dans un fait si clair, & qu'on suppose que chácun éprouve en lui-même*, cui vero, referente Walchio in Lexic. Phil. p. 1055. Joh. Eberh. Rösler. Tub. occurrit duabus dissertationibus. (x) Vid. Turret. Theol Elencht. T. I. p. 558 de provid. ubi prædeterminationem ita describit. *Præmotio est, quâ DEUS ciet & aplicat causam secundam ad agendum, adeoque antecedenter ad omnem operationem creaturæ, seu prius natura & ratione, quam creatura operatur, eam realiter & efficaciter movet ad agendum in singulis actionibus, adeo ut sine hac præmotione causa secunda operari non possit, eâ vero positâ, impossibile sit in sensu composito causam secundam non illud idem agere, ad quod à prima causa præmovetur.* Cæterum de prædeterminatione ita pronuntiat Bayle: Dictionaire p. 1531. *Tous ceux qui ont peu de penetration, voient clairement, que sur la matiere de la liberte il n' y a que ces deux partis à prendre l' un est de dire que toutes les causes distinctes de l' ame qui concourent avec elle, lui laissent la force d' agir & de n' agir pas, l' autre est de dire qu' elles la determinent de telle sorte à agir, qu' elle ne sauroit s' en defendre. Le premier parti est celui des Molinistes, l' autre est celui des Thomistes & des Jansenistes & des protestans de la confession de Geneve.* Fugiebat vero Virum summâ eruditionis laude florentem, priorem partem in duos abire ramos; Aut enim causæ ad agendum concurrentes relinquunt indifferentem & facultatē agendi, & exercitium actionis, tum *indifferentia* oritur *perfecti æquilibrii*, quam Kingius & Scholastici complures tuebantur;

tur; aut causæ illæ exercitium determinant, non ipsam facultatem agendi. i. e. præstant, ut certissime ita sis acturus, non vero ut aliter agere non possis: tum oritur indifferentia *activitatis*, quæ Leibnitii, nec non aliorum Augustanæ Confessionis non variatæ Assectarum sententia fuit. *Hæc sententia media est inter utramque extremam.* Nec senim actiones hominum liberas casui cæco tribuit, quasi sine ratione omnimoda exortas; nec fato libertati inimico eas subjicit, quæ prædeterminantium causarum sive *physice* sive *moraliter*, efficacia est. In sententia media res creatæ *propriis viribus* se determinant, in Thomistarum *viribus DEI* physice præmoventis, & in Jansenii aliorumque, moraliter præexcitantis. Ex eorum mente, si consentanea docent, facultas agendi aliud, tollitur, sive per physicam præmotionem, sive per moralem; In horum autem, qui Augustanæ confessioni adstipulantur, non tollitur per causas, agendi aliud potentia, dirigitur modo, per certas rationes exercitium ejus. Illinc igitur necessitas, sive physica sive moralis, introducitur, hinc non item, manet quippe salva libertas.

§. 11.

Quæ tandem medicina huic morbo adhibenda est? Nonnisi ea, quæ ex Recentiorum promtuario desumitur. Nam si eviceris præsto esse in anima vim agendi, liberaveris te à dubio Bæliano, ac hominis cum vexillo similitudine, namque hoc non agit, homo autem, probata vi agendi, spontaneitatem habet. Age autem, fac periculum, num argumentis idoneis animæ speciatim, nec unà cæteris substantiis agendi vim vendicare possis? Non exstat meo judicio ratiocinium tale, quod vim agendi adjudicaret menti nostræ exclusis cæteris substantiis. Substantia omnis, opinor, res simplex est, corpora enim & res compositæ, non

sunt

sunt substantiæ, sed substantiarum plurium cumuli. *Aut hæ etiam vim agendi (y) habent, aut anima non habet. Quid ita*, inquis, dixi ad experientiam de libertate tuenda provocari non posse, nisi suppleantur ratiocinia quædam ex Philosophiæ tam exosæ penu. (z) Dicis, *animam sentire vim agendi, solve*, inquam, *prius dubium Bælii.* Instas, cum Clarkio, *non posse non animam esse liberam (aa) Agens enim necessarium phrasin esse contradictoriam, quod agat, non impelli i. e. necessitate non affici ab alio.* Proba, quod anima agat. Nullum datur, quod jamjam monui, pro animæ viribus agendi argumentum particulare, datur tamen generale pro vi agendi substantiarum omnium, quod ad tuendam libertatem sufficit. Atqui hanc veritatem recentiores explicatiorem (*bb*) reddiderunt.

(y) Advertit Leibnitius omni substantiæ, quæ non esse potest, nisi simplex, vim tribuendam agendi. vid. Acta erudit. ad ann. 1698. p. 439. *Cum id quod non agit, quod vi activa careat, quod discriminibilitate, quod denique omni subsistendi ratione ac fundamento spoliatur, substantia esse nullo modo possit* Ita quoque sentit Wolff. Metaph §. 115. p. 46. ad. prim. Cave interim credas, elementa rerum esse atomos figurâ, situ, magnitudine præditas. Forent enim materiales particulæ, cumque materia omnis recipiendis, non edendis motibus apta sit, exularet hinc vis agendi omnis. *Materiales* res phænomena sunt, sed bene *fundata*, Vid. Recueil. T. II. p. 133. *Les substances simples sont les seules veritables substances, & les choses materielles, ne sont que des phenomenes, mais bien fondez & bien liez.* Non est igitur, *si corpora, ut colores, phænomena sunt*, cur dicas: *quomodo ex eo, quod est non materia, coire potest materia?* Quid re-

sponderes ei, qui de oraculo Judic. 9. v. 37. differens quæreret: *An ex mittibus umbra fieri potest?*

(z) Anima per doctrinam influxûs vexillo Bæliano non absimilis evadit. Quemadmodum ventus suo afflatu ultro citroque vertit signum altissimis turribus impositum, ita motus corporei per organa sensuum physice animam afficiunt, jam ad has, jam alias res considerandas excitatum. Scio alteram partem actionum animæ, quæ in liberis adpetitibus ponuntur, non derivari ab influxu corporis, ut prorsus *passiva* reddatur anima; sed cum & adpetitus liberi occasione sensionum oriantur, facilis videri potest à sensationum necessitate, ad horum necessitatem transitus: perinde ac si quis caussaretur: Vexillum in quibusdam quidem occasionibus à vento huc & illuc rapi, in cæteris autem ferri hâc illac sua sponte, si fingamus, quod conscientia sui præditum sit.

(*aa*) Vid. Resp. Clarkii ad Collini recherches sur la liberté Recueil. T. I. p. 386.

(*bb*) An elementa sint vi agendi prædita, non hodie demum disquisitum fuit. Cicero de natura Deor. L. I. p. 180. *Democritus*, ait, *censet imagines divinitate præditas inesse Universitati rerum: tum principia mentesque, quæ sunt in eodem Universo Deos esse dicit.* Augustin. Epist. 56. *Democritus*, inquit, *hoc distare in naturalibus quæstionibus ab Epicuro dicitur, quod iste sentit inesse concursui atomorum vim quandam animalem & spiritalem.* Non male! licet in eo erraverit, quod atomos finxerit elementa, quæ tamen & ipsæ adhuc in partes dividi possunt. Superiori seculô de viribus elementorum disputari cœptum fuit. Boyle in dissert. quæ inscribitur: *libera in receptam naturæ notionem disquisitio* 1686. abrogatam volebat *naturæ* vocem, substitutâ mechanismi significatione. Invenit assentientem Sturmium in dissert. *de nat. Idolo* cui se opposuit Schellhammer. *de natura sibi & Medicis vindicata*, respondente Sturmio, *de natura sibi ineptum vindicata.* Quo scripto elicuit ab adversario,

natu-

naturæ vindicatæ vindicationem. Confer Bülffinger de Harm. præstab. p. 75. vim originariam agendi rebus inditam crediderunt D. Stair in Physiologia nova experimentali 1686. Du Hamel in Physic. gen. Tract. II. Diss. II. cap. 2. p. 159. Honorat. Fabri vero scient. Phys. Tract. II. L. I. Prop. X. XI. contrarium sentit, cum quo faciunt Malebranchii & Sturmii asseclæ omnem motum à DEO immeditate, (*immediatione virtutis*) derivantes. De principio hylarchico, & vi plastica nonnullorum nihil nunc dicemus.

§. 12.

Non deerunt forte, qui libertatem, absque subtilii, de viribus rerum creatarum agendi controversia probari posse autumabunt, provocaturi ad argumenta à posteriori, i, e. à *poenarum, præmiorum, consultationis &c. inutilitate desumta.* Non refragabor si cætera sint paria. At ubi nondum vim agendi propriam animæ vindicaveris, supervacuus erit labor tuus. Necessarius enim tum erit animi motus, necessaria pœna, necessaria consultatio, eadem causa externa, quæ te excitavit ad agendum, impellet quoque ad consultandum, pœnitentiam, aliaque reliqua. Non erunt superflua hæc, sed necessaria ex æquo, physicô certè, si non morali nexu consecutura. Quid ergo tandem? Distinguo in libertate certa momenta. Alia per experientiam & respectus morales probari possunt, unum eorum non potest. En quinque libertatis requisita. Primò præsto esse debet *agendi vis*, post *excludenda est necessitas Metaphysica*, cujus oppositum contradictionem involvit, qualem Spinoza (*cc*) introduxisse videtur, tum arcenda est *necessitas Physica*, cujus oppositum in miraculis

lis ponitur. Sic ignis necessario urit, sol movetur, nisi portentô divino aliud statuatur, in quam forte Thomistarum schola physicam prædeterminationem adoptantium propendebat; Certe quidem Malebranche, Sturmius, aliique, qui vim in rebus creatis omnem DEO soli tribuunt, perpetua miracula fingentes hanc necessitatem physicam ex (*dd*) corporibus tollunt. Præterea à libertate removenda est *necessitas moralis*, quâ homo per certa motiva ad hoc aut illud ita non inclinatur modo sed rapitur, ut videat meliora probetque, deteriora que sequatur. Hujus contrarium est *supernaturalis idearum* fortius afficientium in animum immissio. Sic in rebus ad comparandam vitam æternam pertinentibus homo destituitur libero arbitrio, non potest non peccare *necessitate morali*. Sed absit, ut eandem moralium conditionem statuamus in negotiis civilibus, naturalibus. Qui tamen prædeterminationem moraliter irresistibilem stabiliunt, (*ee*) huic classi adscribendi sunt. Postremo ad libertatem accedat necesse est *cognitio actionis, & judicium. Anne hæc non sufficiunt ad libertatem plene cognoscendum?* Prima necessitas contingentiam omnem excludit, & afficit rerum essentias, quæ metaphysico sensu necessariæ sunt. Alterum genus contingentiam absolutam non excludit, pertinetque ad mechanismum corporum, causasque efficientes à finalibus sejunctas, excludit tamen libertatem. Tertium genus cum eadem contingentia amice componi potest, ita tamen ut causas afficiat finales, & libertatem sufflaminet. Ubi hæc triplex necessitas pulsa sit, libertas duobus cæteris paribus adinvenire locum

Potest.

potest. Ex quo intelligitur cum libertate amico consensu copulari *determinationem actionum* (ff) *moralem*, quâ homo per certa motiva ad hoc aut illud non rapitur, sed inclinatur, *quia meliora non videt*, salva manente facultate aliter agendi. Hujus determinationis oppositum est *naturalis* ideæ fortius afficientis in animum aditus. Vides quantum hæc à necessitate morali distet, quæ cum libertate componi nequit.

(cc) Spinozam talem rebus necessitatem imposuisse, cujus contrarium involveret contradictionem, pervulgatum est. Ita enim ille. Ethic. P. I. Shol. prop. 17. p. 17. *videt eos*, qui contendunt, *fieri posse ut quæ in Dei potestate sunt, non fiant sive ab ipso non producantur, quod idem esse ait, ac si dicerent, Deum posse efficere, ut ex natura Trianguli non sequatur æquales esse duobus rectis tres ejus angulos.* Quæ ipsissima metaphysicæ necessitatis definitio est. Nam quis dubitat contradictionem emersuram, si quis tres angulos non æquales fingeret duobus rectis.

(dd) Ita Malebranchius de investigatione Veritat. ejusque illustration. seu eclaircissemens p. m. 112. *Multæ*, inquit, *sunt rationes, cur causis secundis seu naturalibus, nullam vim, potentiam aut efficaciam quidquam producendi tribuam. -- Nullam potentiam cognoscam nisi in voluntate entis infinite perfecti.* Cæterum Thomistas Augustinum secutos physicam docuisse prædeterminationem, certum est, quæ causa est, quare Basnag Histoire de la Religion des Eglises reformées T. II, p. m. 452. probat, Concilium Tridentinum præmotionem physicam rejiciendo, Augustinum damnasse. De præmotione physica egit Auctor quidam Anonymus gallico idiomate, à Malebranchio refutatus.

(ee) Jansenistæ, namque moraliter irresistibilem volunt Dei in creaturas operationem. Vid. Leydeker in vita & morte Jansenii.

§. 13.

§. 13.

His ita præmissis, dicam quæ mihi circa libertatem sententia placeat? Nimirum per experientiam non cognoscimus omnia libertatis requisita, sed nonnulla tantum. Quod attinet primo ad vim agendi seu ad spontaneitatem, non arbitror, eam nos *immeditate* experiri. Immeditate non experimur nisi animi desideriorum & adpetituum vicissitudines, utrum autem à nobis proficiscantur ipsæ, seu, an aliunde inferantur, hactenus obscurum est. Mirum id haud videri debet. Nulla autem facultas *immediate* sentitur, sed per actiones suas medias cognoscitur. Experientia omnis ad facta pertinet. Nisi aliunde igitur innotescat, quod facultas interna sit, i. e. propria hujus subjecti, non potest id ex solis factis cognosci. Hinc fuerunt Malebranchiani, qui omnem creatis vim agendi denegabant, nihil moti actionibus earum, quæ solæ in oculos sensusque incurrunt. Quoniam igitur ex Philosophia recentiori probari potest, *animam esse ornatam spontaneitate*, simile istud à vexillo desumtum, nos non pungit, quippe alienum; Illos urit, qui ex sola conscientia spontaneitatem probant. Faciant periculum respondendi dubio Bæliano, si credere nolint. Evictâ aliunde spontaneitate, cætera ad libertatem concurrentia per experientiam animadvertimus. Sentio v. g. à meis actionibus abesse necessitatem metaphysicam, quod enim h. m. necessarium est, nunquam mutatur, ut de rerum essentiis constat; atqui appetitus meus non est unicus possibilis, succedunt subinde innumeri, teste

teste experientiâ. Exulat etiam à meis actionibus necessitas physica, quæ ad solas causas efficientes spectat; quis enim sibi non conscius est? se intuitu finium agere, non per cæcum, & cognitione vacuum Mechanismi tactum & impulsum. Liberam porro voluntatem video à necessitate morali, non sumus semper mancipia affectuum, qui in transvorsum invitos rapiunt, dummodo sapimus: Frequenter suscipimus actiones, quas vel unius ideæ naturali interventu omisissemus lubentissime. Accedit denique quod omnes (*ff*) sciant, & sentiant se judicare, ratiocinari, cognoscere, quæ quarta libertatis conditio fuit.

(*ff*) Ne quis dicat, non fuisse hanc Recentiorum de libertate sententiam, nunquam tot necessitates istos auctores exclusisse, quod si facturi fuissent, immunes eos ab accusationibus fuisse futuros: respondeo, atqui hæc est genuina eorum mens. Sic. v. g. Wolffius excludit manifestissime necessitatem metaphysicam à libertate? §. 515. Wir finden daß die Handlungen/ welche wir frey nennen / nicht schlechterdings nothwendig / in dem dasjenige / was ihnen entgegen gesetzt wird/eben so wohl möglich. Secundo arcet necessitatem physicam. Qui enim omnes penitus corporum in animas actiones & impulsus tanquam à causis externis & efficientibus profectos negant, non possunt mechanismo animam subjicere. Mechanismus enim non habet locum nisi in compositis. Tertio etiam separat Wolffius necessitatem moralem, meo sensu dictam, à libertate. Metaph. §. 516. ait: Die Beweg-Gründ lassen die Beschaffenheit der Sach, und das Vermögen sie auszuführen (ecce determinationem non ipsius agendi facultatis, sed exercitii in agendo) einmahl wie das andere, und können darinn keine Aenderung machen. Dixi *necessitatem moralem esse eam, quâ motiva rapiunt, non*

non inclinant, ut eorum efficacia tolli non possit, nisi per supernaturalem Dei operationem. Talem necessitatem libertati non imponit Wolffius. Vid. Metaph. §. 524. ubi concedit, posse nova agendi motiva naturali & ordinario modo accedentia hominem alio flectere, ut non agat, quod agendum instituit. Wer durch neue Vorstellungen / inquit, seinen Willen ändert / wird nicht gezwungen. Quocirca dum vocabulo necessitatis moralis utitur in Doctrina de libertate, nihil per id intelligit quam *determinationem moralem*, paulo ante à nobis definitam, placabilem cum libertate. Talem & Theologi & Philosophi statuunt: *dum aliquid*, ajunt, *futurum est, non potest esse non futurum.* §. 575. nothwendig unter einer Bedingung ist, was in Ansehung eines andern nothwendig wird, und den Grund der Nothwendigkeit ausser sich hat. qs. diceret, quod posità certâ hypothesi non potest non fieri.

§. 14.

Sed nunc de viribus agendi dispiciendum, quæ solvæ per experientiam *immediate* cognosci non possunt. Res est altissimæ indaginis, summatim complectar quædam. Quicquid existit, id vel agit, vel patitur, seu actiones recipit, vel exhibet utrumque simul. Non poteris quidquam rerum existentium allegare, quod nec agat, nec actiones recipiat. Substantiæ sunt res simplices, (*gg*) & existunt revera; ergo illis tribuenda vel agendi vis, vel patiendi facultas. Non dissentiunt hactenus Atomistæ; suas enim atomos potentia passiva, seu recipiendi impulsus, præditas affirmant. Sed an internus atomorum status plane passivus est? (externus enim in figura & situ & magnitudine ponitur) si plane passivus est, nec virium agendi quidquam complectitur, tum prorsus

sus non exsistit. *bona*, inquis, *verba quaso, noli uno ictu prosternere Malebranchii, de rebus materialibus mere passivis, & Atomistarum opinionem.* Non prosternam, sponte ruet, audi, si placet. Si Atomi ceu minutissimæ materiæ particulæ sunt prorsus *passivæ*, tam plane non exsistunt: Passivum non est res, sed limitatio rei, non exsistit positivo actu, sed res exsistentes majori exsistendi virtute privat, Per omnia exempla rerum, quà passivæ sunt, non poteris refragari. Quies in corpore, quid aliud est quam defectus motûs? Suppone in Atomo nihil esse prorsus, nisi quietem, merus aderit defectus i. e. nihil, Dicis, *atqui præsto est materiæ molecula*; atqui si ea materiæ particula mere passiva est, redit ratiocinium idem; si non est, habebit virium agendi nonnihil, quod volumus. Regeris, *adsunt figuræ, situs, magnitudines atmorum*; quid est *figura*, *quam terminus quantitatis?* i. e. privatio; *quid est magnitudo quam multitudo partium?* nihil in rerum natura ponens, nisi quid partes ponant, jam vero partes passivas i. e. morum absorbentes, eoque privationes, & nihilum statuis. Quoquo te verteris, ostendere haud potes, atomos mere passivas, esse *aliquid*, nec vero privationes. Nam limitationes non exsistunt sine re limitata, tu vero nullam rem limitatam i. e. nullum motum, sed meram limitationem motus, i. e. quietem adesse contendis. An etiam exsistunt in Arithmetica meræ subtractiones sine ullo numero? Status atomorum externus, figura, magnitudo, in limitatione ponitur, jam & internum in *passivitate* i, e. limita-

tione mera collocas, an ex meris limitationibus aliquid conflatur? perinde ac si quis ex meris & continuis tenebris lucem, ex tarditatibus multis motum, ex nihilo pluries repetito aliquid elicere vellet. *Quid igitur*, ais, *est materia, an est prorsus nihil? atomos enim pro nihilo reputas sine viribus, ergo idem judicas de materia.* (hh) Materia est quiddam minus completum, quò repræsentatur id, quod in rebus limitatum & finitum est: nimirum *extensio & molis inertia. Extensio est positio rerum aliarum extra alias*, eoque, qua talis, indicat plurium rerum distinctionem, & limitationem; si res ipsæ extra se mutuo positæ non sint aliquid, ipsa multitudo, & diversitas nihil inferet: *nihilum millies aliud extra aliud cogitatum numquam conflabit verè aliquid:* idem sentiendum de inertia, seu reactione, quâ materiam concipimus ut motui resistentem. Vis agendi est aliquid, quod igitur his viribus derogat, id privationis loco habendum. Ergo, si atomos materiales mere tales concipimus, nihil concipimus; atqui si elementa mere passiva sunt, plane non existunt, quod erat demonstrandum: competit propterea elementis omnibus, seu substantiis vere talibus, vis agendi.

(gg) Dominus Profess. Creuling. in Exam. Principior. Philos. Leibnit. p. 5. de simplicibus adnotat: *Id forte Metaphysici adhuc desiderabunt, ut explicetur distinctius, quales intelligantur partes, quæ in monadibus Leibnitianis negantur, an omnes omnino, an certi tantum generis, qualisve sit illa compositio, cui hæc simplicitas opponitur, & quâ monades carent? An saltim physica, an vero etiam metaphysica, & omnimoda? Nam cum Leibnitius diserte ajat, se vim motricem quatenus primitiva est, & cum materia substantiam vere unam*

unam constituit, pro eo habere, quod Monadem appellet, monadem compositam fore, non amplius simplicem. Sed in vado res est, ut & eximius auctor eôdem loco speravit: Considerat enim Leibnitius Monadem jam in se, jam in conjunctione cum quôdam corpore, cui præest. Vis activa in se est simplex, prout vero constituit corpus vi agendi animatum una cum materia, monas est, sed componens, non composita, sicuti & anima corpori copulata humano simplex manet, etiamsi hominem constituat, non enim eô factô fit composita sed componens.

(*bb*) Vid. Recueil T. II. p. 7. *La matiere même n'est pas une substance, mais seulement substantiatum, un phenomene bien fondé, & qui ne trompe point, quand on y procede en raisonnant suivant les loix ideales de l'Arithmetique & de la Geometrie & de la Dynamique.*

§. 15.

Cum omnibus substantiis vis agendi competat §. 14. competet etiam animæ; quascunque igitur mutationes in anima ordinario cursu naturæ animadvertere licet, eæ omnes manant à fonte domestico i. e. arguunt spontaneitatem. Si nullam vim agendi haberet anima, foret nihil, quod est absurdum. Itaque spontaneitatem animæ *immediate* non experior, experior tamen interventu ratiociniorum præsto esse vim percipiendi. Vim ipsam cognosco ex ratiociniis, non ex sensibus, specialem autem virium animæ conditionem, quod nimirum sint *perceptivæ*, non motrices, meâ ipsius conscientiâ edoceor. Quemadmodum ex altera parte per experientiam novi, vim corporum motricem esse, quia motus video, cum tamen ipsam vim generatim nonnisi argumento philosophico detegere potuerim. Sic ratio succurrit experientiæ, sic Bæliano du-

bio satisfieri potest, sic & spontaneitas, & omnia cætera, quibus libertas absolvitur, inconcusso nituntur argumento, ut ne tantillum Athei habeant, quod possint oggannire. Intelligitur etiam, quid de Occasionalistarum sententia habendū, omnem rebus creatis efficaciam abjudicantium. Nimirum per agendi vim, sive percipiendi, sive movendi, res existunt, & substantiarum induunt naturam, accidentia autem sunt virium limitationes, plus minus tales: Quodsi igitur nullæ rebus creatis vires competunt, tum plane non existunt, Deusque est omnia solus, *reclusâ Spinozismi portâ.*

§. 16.

Adeo disciplinæ omnes connectuntur, ut vel sine doctrina de substantiis recte explicata, libertas hominis consistere nequeat. Non indignabimur igitur recentioribus qui hæc talia monent. Superest ut exponamus, quid hodierni Philosophi in demonstranda animæ immortalitate præstiterint? Non exiguum enim ea veritas Theologiæ adjumentum affert. Sequar cogitata cujusdam Viri docti (*ii*) subjunctis hinc inde meditationibus propriis. Tribus notionibus distinctis, quod antehac non factum, recentiores animæ immortalitatem complectuntur, *ut primo post mortem perseveret ex sua natura in perpetuum.* Opponitur hæc idea iis, qui animam pro subtili flatu habuerunt (*kk*) in auras post mortem abituro. Secunda notio, ne *perseverantia animæ absque conscientia sui fingatur, posse, statum idearum non obscurarum, quarum nulla tangimur conscientia, sed omnino distinctarum, quæ reflectendi potestatem post obitum relinquit.* Hâc positione

tione eorum sententia damnatur, qui animas post mortem dormientes & olim & hodie crediderint. (*ll*) Tertia immortalitatis idea complectitur nexum status præteriti cum futuro, ut homo post mortem sentiat, se eundem esse, qui antehac in vita mortali hoc aut illud boni malive perpetraverit. Oppugnat hæc thesis Aristotelem, qui immortalitatem quidem principii cujusdam externi, intelligentiam homini ingenerantis concessit, sed ita ut post obitum ψυχὴ intereat, νοῦς autem intelligendi donum retractet, nullo hujus nexu cum intermortuo posthac manente. (*mm*)

(*ii*) Sequor quoad summa rerum capita Clar. Virum Lud. Phil. Thumigium in dissert. de animæ immortalitate.

(*kk*) Horum numero venit Lucretius de rerum natura L. III. p 86. seqq. ubi haud obscure innuit, animam conflatam ex minutiis ipso fumo, nebula, humore tenuioribus. item. L. III. vers. 437. p. 155.

Et Nebula ac fumus, quoniam discedit in auras,
Crede animam quoque diffundi multoque perire
Ocyus & citius dissolvi corpora prima.
Cum semel omnibus è membris ablata recessit.

In eandem sententiam iverunt quoque Epicurei, & alii eorum similes.

(*ll*) Seculo post Christum tertio nota fuit hæresis Arabicorum qui animas post mortem mori vel & dormire dicebant, resuscitandas olim cum corporibus. Vid. programma Buddæi de *Arabicorum hæresi in Syntagm. dissertat. academic.* p. 738. quem errorem revocavit Cowardus supra allegat it. *Bucherus* der Auctor des vertauten Brieff-Wechsels. vid. Pfaff. Hist. Eccles. ubi Arabicos citat. p. 170. sub. nor. (t)

(*mm*) Magna exorta fuit controversia quid senserit Aristoteles de immortalitate animæ. Petrus Pomponatius in libro de *animæ immortalitate* negasse Aristotelem hanc veritatem scribit. Cui adstipulatur La Mo-

the le Vayer de l' immortalité de l'ame, ubi p. 139. ait: *le plus celebre de tous ses interpretes & tant autres apres lui comme deux saints Gregoires, Lescot, Caietan, & Simon Portius ont avoué, que la mortalite de l'ame etoit du tout necessaire par la doctrine de ce Philosophe pag. 139.* Vid. Auctor. observat. Halens. Tom. VIII. observ. 10. §. 16. Bayle in Diction p 2352. Adde eos, quos Voetius T. I. selectar. Disp. pag. 198. citavit. Inter quos fuerunt Augustinus Niphus aliique. Vid. Pfanner Systema Theol. Gentil. p. 402. Contrarium sentiunt, quos Walchius nominavit in Lexico philosophico pag. 2316.

§. 17.

Cum singulæ immortalitatis notiones singulis iisdemque gravissimis erroribus opponantur, laude potius quam vituperio digni sunt, qui ideam ejus per partes seorsim enucleatunt. Erant Viri docti, qui immortalitatem animæ omnium optime ex Scriptura erui putabant: (*nn*) Quoniam vero Empectæ auctoritatem sacrarum litterarum non reverentur, eo major erit argumentorum pro hac veritate efficacia, quo sublimiorem verosimilitudinis, vel & demonstrationis gradum attingunt, (*oo*) rectæ rationis ductû. Quid? quod Scripturæ oracula non morituram quidem animam, peractâ hâc vitâ significent, (*pp*) mortalem vero, i. e. ex propria natura perennaturam non indicent. Itaque non est prorsus negligenda in hoc genere Philosophiæ opera.

(*nn*) Ita v.g. Charron de la sagesse L. I. chap. VII. edit. Paris. 1604. *L'immortalité de l'ame la plus utilement creuë, aucunement assez prouvée, mais proprement & mieux etablie par le ressort de la religion, que par tout autre moyen.* Pomponatius de immortalitate animæ c. ult. p. 126. *Hæc sola via inconcussa & stabilis est cætera vero sunt fluctuantes.* Intelligit viam S. Scripturæ.

Scali-

Scaliger. adversus Cardanum Exercit. 307. cap. 33. p. 990. idem sentit, quum dicit. *Cæterum esse, alterum esse, ab hoc esse, adeo nescimus, ut quotidianis vel suspicionibus, vel persuasionibus res etiamnum sit controversa, sola fide agatur.* Vid. & Oeuvres de Patru dans la vie d' Ablancourt p. 355.

(oo) Utrum argumenta pro immortalitate animæ apodictica sint, an probabilia, disquisitum fuit. *Digbæum toto tractatu, Mornæus de veritate relig. Christianæ* Grotius de veritate Rel. Christ. conati sunt istud dogma probare ex instituto. Alii autem inter quos Walchius in Lexic. Philos. p. 2304. fluctuant, non decidentes, quantum certi gradum argumenta illa assequantur?

(pp) Hanc observationem lege apud Bulffinger. Dilucid. p. 382.

§. 18.

Argumenta pro immortalitate animæ conjuncta pondus habent, disjuncta ab adversariis elevantur. Copulabimus ea ergo majoris efficaciæ causa. *Primo animam ex sua natura immortalem probabimus, tum id evincemus ex consideratione Naturæ DEI.* Post obitum animam non corrumpi, nec ut flatum dissipari in auris, patet ex ejus natura minime composita. Nihil potest sui conscientia tangi, nisi quod est simplex, itaque, cum anima sui conscia sit, simplex eoque interitus expers esse debet. Sic notio immortalitatis prima adstruitur, destructo errore (qq) contrario. Alterum multo difficilius est, an, si post mortem anima perseveret, non dormitura, sed sui conscia futura sit? Hoc distincte nemo evolvit, nisi Recentiorum cohors. Affirmatur quæstio ob sequentia ratiocinia. (rr) Cujus nulla excogitari potest ratio, id futurum non est, atqui, ut post obitum hominis, animæ conscientia

sui cesset, nulla præsto est ratio. E. Cum enim in systemate Harmoniæ (*ss*) præstabilitæ anima non obnoxia esse queat corporum actionibus, domesticum agendi omnia fontem nacta, nihil adest, ex quo intelligitur, cur ejus actiones, speciatim vero conscientia sui, extingui debeat. Alterum ab analogia desumtum ratiocinium non urgeo, *quamvis dicant, quod generatim res Naturæ in vicissitudinibus suis extantioribus perficiantur potius quam destruantur, comprobante id generationis exemplo, quò altius sit evecta anima, non depressa profundius*: non urgeo, inquam, hæc, ne quis senum defectus, ægrotorum deliria ad mortem usque non extirpanda objiciat. Tertium huc spectat. Præsto est ratio, ut anima perseveret, status enim consequens pendet ex statu antecedenti, atqui in statu antecedenti erat distinctarum idearum & conscientiæ fons uberrimus, cur igitur protinus exaresceret? sic anima sui conscia post obitum exsistit, ut etiam eandem se agnitura sit, quæ antehac fuerit in vita mortali. Consequentes enim fluunt ex præcedentibus. Phantasiæ regula (*tt*) poscit, ut quoties idea offertur, quæ quid commune habet cum alia, olim in diversa serie observata, totius præteriti status memoria animum subeat. Cum igitur in anima separata plures oriantur notiones ex antecedentibus consecutæ, quæ non possunt non aliquid cum illis habere commune; sentiet profecto anima se eandem esse quæ fuit ante mortem. Hæc tertia fuit immortalitatis notio, nunc jam probata.

(*qq*) Plerique enim Veteres animam corpoream crediderunt una cum Diis. vid. Diog. Laërt. L. I. num. 27. Cicero de natura Deorum L. III. p. m. 625.

(*rr*)

(*rr*) Adeatur præter Thumigium Bülfing. Dilucid. pag. 387. §. 361.

(*ss*) Ita sentit. Dn Buddæus in der bescheidenen Antwort auf Herrn Wolffens Anmerckung. p. 91. ein vernünfftiger Philosophus wird das Systema Harmoniæ præstabilitæ nicht so bald verwerffen/ sondern siehet diese vorher bestimmte Harmonie, wann solche in einem unanstößigen Sinn genommen wird/ daß die Seele ihre Freyheit dabey nicht verlieret/ ebenfalls als eine Sache/ die seyn kan/ an/ und wann er dieses Systema gegen das Systema influxûs hält/ so erwählt er dasjenige vor dem andern/ bey dem er die wenigste Schwürigkeiten angetroffen zu haben vermeinet. Eine andere Beschaffenheit hat es mit dem Systemate wie es Herr Wolff vorgetragen. Adde bescheidenen Erweiß daß das Buddäische Bedencken &c. p. 193.

(*tt*) Vid. de regula Phantasiæ Wolffium, Methaph. §. 238.

§. 19.

Non diffiteor tamen huic argumento à Recentioribus adlato obverti posse dubium multo speciosissimum. Quid enim de brutorum animabus sentiendum est? num & illæ immortales sunt. Ratione præditas olim à pluribus habitas (*uu*) tritissimum est. Si nulla est in homine aut alibi ratio, quare post mortem ejus ideæ cessent, nulla etiam erit, ut post interitum brutorum sensiones penitus extinguantur. Imo quemadmodum diximus statum antecedentem parere consequentem, superstitem igitur, post mortem, & sibi consciam, fore animam, quia antehac fuerit: ita idem prorsus de animantibus brutis videtur sentiendum. Cave isthanc animam materialem dicas. Si materia eo usque evehi potest ut aliquid sentiat cum conscientia sui, idque fieri in brutis potest: Cur non ulterius

posset promoveri ad considerandas paulo distinctius ideas sensuales, i. e. ad impetrandum intellectum: Tum vero revocabitur Materialismus manifestissime, à tot eruditis nunquam non explosus. Aut igitur anima brutorum differt ab humana, ut gradus à gradu, aut ut substantia ab alia substantia; sin illud dixeris, mortalis haudquaquam erit, quâ bruta reguntur anima. Inferior cognitionis gradus ea ratione perseverare post mortem debet (*xx*) qua durare probatur gradus sublimior. Sin affirmaveris autem hoc, deficiet idoneum argumentum. Licet enim brutorum animæ nonnisi afficiantur ejusmodi ideis, quæ per sensus offeruntur; tamen id argumento non est, tantum esse hinc & illinc intervallum, aliter & infantum animæ mirifice differrent à se ipsis ætate provectis, quoniam in prima infantiæ ætate vix ea sentiunt, quæ bruta sentire possunt.

(*uu*) Plutarchus *de solertia animalium* p. 961. Καὶ τοι Στράτωνός γε τὸ φυσικῷ λόγῳ ἐστὶν ἀποδεικνύων ὡς ὐδ' αἰσθάνεσθαι τὸ παράπαν ἄνευ τοῦ νοεῖν ὑπάρχει. Vid. Virgil. Georg. L. IV. vers. 219. Clemens Alexandrinus Strom. L. V. p. 590. *Xenocrates* inquit *Cartaginensis non abjecit omnem spem, quin etiam irrationis expertibus sit Dei notitia.* Plinius Elephanto plurimum tribuit L. VIII. cap. 1. Laur. Valla brutа ratione prædita etiam contendebat, apud Vossium de orig. & progress. idolol. L. III. c. 41. p. 940.

(*xx*) Plura evolve apud *Pardies de la Connoissance des Bêtes num. 49. p. 100.* Certum est, quod Cartesianorum sententia Bruta pro machinis habentium valde faveat argumentis pro immortalitate animæ hominis adlata. Malebranch. in illustration. L. VI. p. m. 130. propterea negat Bruta habere animas, i. e. materiæ expertes. *Sed cum sententia quæ statuit bestias habere animam,*

mam, aut dolorem ubi percutiuntur sentire, præjudiciis sit conformis, quippe nullus est Pater, qui id non credat, merito judicare possumus Augustinum de his adcommodate ad sermonem Vulgi esse loquutum. &c. argumentum desumitur ab eximia Dei justitia *per quam fieri non possit, ut dolorem perpetiatur, quod crimine vacuum est, eoque bruta criminis expertia dolorem non persentiscant animabus destituta.* Vid. Nouvelles de la Republique des lettres Mars 1684. p. 26. 27. Addendum eo quod causentur, eos qui brutis animas tribuant occasionem præbere Empæctis aut denegandi animabus hominum imortalitatem, aut eam concedendi etiam brutis.

§. 20.

Animas Brutorum machinas esse non posse *(yy)* concedemus, nihiloque secius ad ea respondebimus, quæ in contrariam prolata sunt partem ejus argumenti, quo immortalitatem animæ humanæ stabilivimus. Damnamus sententiam de materiali brutorum anima ob rationem §. 19. citatam. Adoptamus alteram, quâ materiæ expers creditur. Nullo autem inde nexu concludi debet vel quod brutorum anima immortalis sit, vel quod humana mens non sit. Non interire post mortem brutorum animas largior, immortales tamen esse nego. Simplex est brutorum anima, eoque ab interitu immunis, immortalis tamen continuo non est. *Quid ita,* inquis. Quia nimirum immunitas ab interitu nondum integram immortalitatis ideam absolvit, sed incoat modo, ad quam quippe *tria concurrere animadvertimus.* Hic est fons difficultatum omnium, quod non omnia tria hactenus sint considerata distincte, hinc figmentum Scholasticorum de anima brutorum vere sentiente, materiali tamen, ne scil. à materia immunis, mortalitatem

tatem supergrediatur. Atqui non sequitur, *durat anima post mortem, ergo est immortalis.* Potuissent tuti ab hoc metu esse, hinc sententiæ portentum de brutis mere machinis à Cartesio profectum. Nam cum materiæ ad imitationem Scholasticorum vim sentiendi in brutis tribuere nollet, idque ne capax cæterorum, quæ ad intelligendum pertinent, videretur; cum discrimen animi à corpore in vi cogitandi & sentiendi poneret materiæ non communicanda: eo devenit, ut bruta meras machinas crederet: sed cur? Parum advertit, dari tertium, posse animas esse, & materiæ expertes, nec tamen continuo immortales, intelligentes, aut ab anima rationali non distinctas; plus enim ad immortalitatem & intelligentiam requiritur, quàm immunitas ab interitu, aut facultas sentiendi.

(yy) Thomas Willis de anima brutorum P. I. c. 2. p. 14. animam brutorum ex mechanismo explicaturus, his inter alia verbis utitur. *Ita quidem anima tenuissima licet, corporea, corporis quasi spectrum, sive larva umbratilis videtur &c.*

§. 21.

At enim: *si anima bruti vere sentit non solum post mortem perseverabit, sed ex eadem causa quoque, quâ mens hominis suas continuabit ideas, post mortem quoque sentiet, imaginabitur, vel & forsan ultra provehetur, quis paradisus, quæ sedes tum animantibus destinata erit? Consequentem enim statum ex priori pendere* diximus, *nullam rationem, quare filum idearum post mortem abrumpatur in homine*, concedentes, *ergo vel idem de brutis judicandum, vel ratiocinium isthoc exsibilandum erit.* Sed salva

res

res est, nondum impetras animæ brutorum immortalitatem, omittis tertium immortalitatis requisitum à recentioribus distincte evolutum, eoque neglectu in priores difficultatum abyssos relaberis, queis demersi jacebant omnes propemodum Philosophorum, ante hæc tempora, chori. Poscimus tertio ut, qui immortalis evadat, *post obitum advertat se eundem esse, qui fuit antea.* Fac igitur animas brutorum etiam post mortem quædam adhuc sentire, intellecturas tamen probare non potes; atqui immortalitatis est etiam post obitum intelligere. Quid quod dubium sit, *an se brutorum animæ post interitum corporis pro iisdem sint agnituræ, quæ fuerunt antehac?* Competit brutis facultas rationi analoga, quæ in expectatione similium (zz) casuum ponitur: nam quoties duæ sensiones in iis simul exstiterunt, redit altera, ubi prima fuerit exorta denuo. At intellectus i. e. perspicientia nexus veritatum in bruta non cadit. Habent igitur *memoriam præteritorum à sensibus coortam, non ab intellectu,* i. e. non recordantur præteritorum, nisi afficiantur sensatione, quæ olim, non logice, sed physice sociata fuit cum ea, cujus reminiscuntur: ut si canis conspectô Domini baculò in memoriam verberum redeat. Ex adverso memoria ab ipsis aliena est, quæ ab intellectu proficiscitur. Neque enim possunt exorta præsenti sensatione logicum hujus nexum cum alia præcepta detegere, & v. g. ex plagis nunc toleratis argumento legitimo inferre turpitudinem criminum olim commissorum; quia nimirum nexus hic physicus non est, nec plagarum sensio cum perpetratis olim sceleribus conjuncta fuit.

fuit. Cum igitur bruti anima hoc, quod jam regit corpus post mortem deponat, fieri non potest, ut posthac talibus sensationibus afficiatur, quæ in memoriam revocarent ante gesta, corpore enim destructo prorsus dissimiles oriuntur sensiones. At homo potest in priorum memoriam redire, qui quippe olim potis erit, eorum in hac vita reminisci quæcunque cum experientia post mortem logicô nexu cohærent: ex præsenti gaudio v. g. cogitabit virtutem vitæ prioris, per legitimam consequentiam; si vel maxime nec virtus, nec cœlestis lætitia unquam in hac vita sensione simultanea, perceptæ fuerint. Etiamsi enim sensiones hominis post mortem præsentibus sint dissimillimæ, non sunt tamen adeo diversæ, ut non logico saltem nexu cohæreant cum iis, queis nunc afficimur. Itaque dubium est an anima bruti se agnitura sit post mortem pro ea, quæ nunc exsistit, ergo & immortalis dici nequit.

(22) Vid. Metaph. p. 479. §. 870. seqq.

§. 22.

Consequentia etiam illa hiatu laborat, quum adversarii dictitabant: *Etiamsi brutorum animæ non afficiantur nisi sensationibus, non esse tamen id argumento, quod inter hominis brutique animam tantum pateat intervallum, nam & infantes primum plus non sentire quam bruta, nec tamen ab adultis, nisi gradu cognitionis differre.* Premit hæc difficultas Patronos doctrinæ de influxu animæ & corporis mutuô, non Philosophiæ recentioris sententiam. Secundum systema influxûs anima indifferens est,

ad

ad recipiendas à corpore sensationes omnes, nec stamina futurarum idearum in eadem sepulta jacent olim sua sponte evolenda; fieri igitur potest, ut brutorum anima ideo majorem cognitionis gradum non assequatur, quia corpus habet non satis accommodatum; cum contra infans valde idoneum corpus gestet sublimioribus posthac ideis imprimendis: At vero in Systemate Recentiorum determinatæ jam sunt in proprio animæ fundo futurarum sensationum evolutiones. Itaque anima etiam infantis longissime distat ab anima bruti; namque illa rationem sufficientem omnium olim formandarum notionum jam tum in tenella ætate complectitur; anima bruti nil tale complectitur. Illa plura & sublimiora in se involvit, ad instar cepæ Tuliparum, hæc autem viliora & indigniora comprehendit more cepæ communis, sit venia similitudini ultra tertium non extendendæ. Determinatio autem antecedanea non obest libertati, quoniam nihil impedit, teste experientia, quò minus unus subinde liber appetitus pariat alterum, alter tertium & sic porro, ut exemplo jam templum frequentantis, jam biblia evolventis, jam meditantis &c. constat; Quæ actio temporis elapsô quodam spatiô iterum tanquam semen in Terra occultum novos fructus protrudit, ita ut semper actio alia aliam sed liberrimo motu dirigat, determinet. Hoc igitur dubium palpabile discrimen præstat inter usum, quem doctrina influxus, & Harmoniæ præstabilitæ in probanda animæ immortalitate præbet. Illinc anima est indifferens, determinanda à corpore, non igitur exploratum est, an si anima bruti corpore humano vesti-

ta

ta foret, aliter afficiente, quam suum afficit, annon, inquam, ad instar infantis majorem cognitionis gradum attingere posset. Hinc autem in dogmate Harm. præstab. id fieri nullo modo potest, quoniam hominis anima inde ab initio semina futurarum idearum habet in se recondita, qualia bruti anima non habet.

§. 23.

Recentiorum igitur prima pro animæ immortalitate ratio inconcussa stat, non minuenda contrario brutorum exemplo. Altera ratio ad justitiam Dei (*aa*) provocat. Præstructâ animi humani post mortem in vivendo vel in exsistendo generatim perseverantia ex rationibus naturalibus, rectissime in subsidium vocantur rationes morales ad probandum, *quomodo* perseveratura sit mens hominis post mortem, *quo statu*, *qua conditione*? utar verbis viri cujusdam docti. *Anima post mortem non solum durat in eo statu, qui naturaliter ex præsenti sequitur, sed & qui ex eo sequitur moraliter. Moralia actionum consequentia sunt præmia & pœnæ: Præmia & pœnæ morales supponunt conscientiam sui & memoriam præteritorum.* (*bb*) *Igitur cum perseveret anima* (*ob indestructibilitatem*) *in æternum, perseverabit ita, ut consequens status semper respondeat antecedenti, non naturaliter solum sed & moraliter: suppositio igitur semel statu moralitatis capaci quem in hac vita experimur, numquam ille amplius cessabit. Creatura enim moralitatis capax numquam est sine lege: Nunquam igitur sine merito vel demerito, nunquam igitur sine novo argumento*

mento per divinam bonitatem aut justitiam perseverandi ob præmia aut pœnas promeritas, instatu conscientiæ sui & memoriæ præteritorum.

(*aaa*) Hoc argumento utitur Leibnitius in Epist. de principiis Pufendorffianis p. 10. Plutarchus in Tractat. de sacra Numinis vindicta, utuntur eo & alii innumeri.

(*bbb*) Verba sunt Bülffingeri Dilucidat. p. 390. confer inprimis Leibnit. Theod. §. 89.

§. 24.

Obstant huic argumento quædam dubia tollenda è medio. *Si*, inquiunt, *justitia DEI consulenda, cur non ex eadem resurrectionem corporis probamus, quæ omnium consensu ad solum revelationem pertinet, nam & corpori reddendum est secundum opera.* Annotarunt recentiores, se nolle, ut ipsa animæ perennitas ex justitia DEI probetur, sed status & conditio perennandi. (*ccc*) Adde, si placet, hoc. In omni pœna exsequenda, præmioque distribuendo maxime respicitur mens & animus, non vero corporis motus. Si quem à tergo stantem imprudens securi percusseris, occidisti hominem motû corporis, pœnas tamen non fers. Itaque corpus per se imputationis non capax, nisi quatenus per corporis membra ipsam animam affligere constitutum est. Atqui destructô corpore, nil attinet propter pœnam id vel resuscitare vel conservare, ob allegatas causas. Regerunt, *posse animam interire post mortem, & tum demum restitui, quum renovabitur corpus, salvâ manente justitiâ DEI.* Non potest id fieri, anima quippe est interitui non obnoxia, quod ex prioribus intelligitur. Instant, *ex justitia non se-*

qui animæ post mortem perseverantiam æternam, sufficere ad præmia & pœnas immittendas longum tempus. Creata res, quæ pœnarum præmiorumque in hac vita capax fuit, erit & in altera, status enim ex statu sequitur. Erit intellectu prædita & voluntate *semper*, alias res simplex periret: ergo & *semper* capax legis, eoque meriti & demeriti, præmii & pœnæ, idque *semper*. Nunquam convenit creaturæ rationali ut vivat exlex (*ddd*). *Non omnium crimina heic impunita manent, nec omnium bene facta semper vacant præmio, ergo non obstante justitia anima post mortem deleri potest, saltim anima nonnullorum.* Pleniſſima & accuratiſſima compenſatio exſiſtit nunquam. Nemo hominum exſtitit unquam, cujus non vel cogitationes pravæ quædam impunitæ maniſſent, vel conſilia & deſtinationes bonæ præmio caruiſſent. Adde, quod anima poſt mortem voluntate & intellectu prædita duret, eoque legis capax, & inde novorum meritorum aut demeritorum mater evadat.

(*ccc*) Vid. Bülfinger. Dilucid. p. 390.
(*ddd*) Vid. Pufendorff, de O. H. & C. Cap. 2. §. 1.

§. 25.

Ita tandem intelligimus quid cæterorum laudatiſſimis circa hanc doctrinam meditatis Recentiores addiderint. Tria nimirum in immortalitate probe diſtinguendo, effecerunt, ut evaderemus ternos circum ſcopulos. Cum animam tum demum immortalitatis titulo honorandam dicerent, quum non ſolum poſt mortem perſeveraret, ſed & in ſtatu diſtinctarum permaneret idea-

idearum, armârunt nos contra Scholasticorum errorem, qui immortalitatem in sola post mortem perennitate collocantes, animam brutorum, ne ipsorum sensu immortalis evaderet, materialem & post mortem interituram docebant. Quanquam sic derogabant animæ naturæ spirituali ex altera parte. Nam si brutorum mens materialis sentire potest, imaginari, &c. facilis videtur ad cætera adscensus, quo ipso Materialismus statuminatur. Eâdem operâ distinctis scil. tribus in immortalitate momentis obstiterunt Recentiores, ne opus sit bruta machinas fingere meras; ea enim res vim agendi à brutis tollit, & à Spinozismo haud procul abest, ut supra paucis indicatum fuit. Tandem nulla nobis necessitas imponitur, quod nonnulli tertio loco fecerunt, animas brutorum ratione & immortalitate ornatas dicendi, namque inter sensum & immunitatem ab interitu, ex una parte nec non inter vim intelligendi & immortalitatem ex altera, magnum χάσμα interjectum est.

CAPUT V.

Opportunitatem Philosophiæ recentioris in articulo de peccato originali sistens.

§. 1.

PEccati, quod omnibus hominibus connatum est, originem & naturam Philosophi (*a*) juxta cum ignarissimis ignorant. Cum autem ve-

ritas veritati semper consentiat, nihil impedit, quo minus in philosophia nunc generales notiones exhibeantur, quæ ad fidei capita adplicari nequeant, nunc vero etiam aliæ præstruantur, quæ exponendis sacrorum articulis peraccommodatæ sint. Illa methodus corruptam, hæc autem genuinam arguit Philosophiam. Mali naturam cum acutissimis ex omnium temporum Philosophis Recentiores privatione sola (*b*) contineri dicunt. Est illa notio ejusmodi ut complures errores caveat, (*c*) intricatissimisque quæstionibus evolvendis inserviat; non videtur itaque hoc locô prætermittenda.

(*a*) Adeo quidem ut ne mali quidem generatim considerati originem cognoverint. Cicero de nat. Deor. L. III. p. 709. *At subvenire certe potuit Deus & conservare urbes tantas & tales - - Materiæ universæ rectricem & moderatricem dicitis esse providentiam divinam, itaque aut nescit quid possit, aut negligit res humanas, aut quid sit optimum non potest judicare.* Si perspectum habuisset Tullius, generis humani depravationem originariam pariter, ac ultro contractam, auctamque plagas in signes & strages commeritam, non erupisset in hæc verba. Hinc nonnulli originem mali ad Deum retulerunt, i. e. ad Jovem, quod Plutarchus Stoicis exprobrat *adversus Stoicos* p. 1075. in morales de Plutarque d' Amiot. p. 707. alii ad casum, ut Epicurus apud Lactant. de ira Dei c. 13. p. 548. *aut Deus non vult, aut non potest, tollere mala, aut vult & potest. Si primum, est invidus, si secundum, est imbecillis, si tertium, cur mala fiunt?* Loquor autem de Philosophis gentium, namque, quin Christiani originem mali & generatim, & speciatim inter homines exsistentis ortum inquisiverint & detexerint, dubium nullum est *Illum ortum ex ratione, hunc ex revelatione.* Cætera mirum non est

gentes

gentes peccatum originale ignorasse, cum quoque nesciverint, quod nosse potuissent, i. e. ortum mali in genere. Senserunt mala infinita, criminum horrendam multitudinem, ortum vero eorum non animadverterunt. Vid. Tob. Pfanner. System. Theol. gentil. purior. c. 9. §. 7. pag 259 ubi gentium de peccatis querelas recenset. Vid. libr. symbolic. p. 639. *Praeterea quid & quantum sit hoc ingens hæreditarium malum id nulla humana ratio indagare aut agnoscere potest - id quod in Apologia his capitibus comprehenditur*; Vid. quid Augustin. L. IV. contra Julian. c. 12. T. X. oper. p. 404 de Cicerone sentiat?

(*b*) Ita Leibnitius Theod. §. 20. *Formale*, inquit, *peccati ponitur in privatione*, *in eo*, *quod causa efficiens non agit*, i. e. quod agendum prætermittit. Sententia est Philosophorum communis. vid Slevogt. in dissert. Acad. Dissert. 31. p. 785. Scherzer. System. Th. Loc. VII. § 6. p. 145. Non male Dionysius Areopagita Libr. de divin. nominibus: *Malum*, inquit, *carere tum essentia*, *tum fine*, *tum efficiente*. Augustinus L. XII. de civ. DEI c. 7. monet, *mali causam non tam efficientem quam deficientem quærendam esse*, quod Thomas L. III. contra gentes cap. 10. ita effert: *Causa per se defectûs non est aliquid positivum*, *sed alius defectus*, *qualis enim causa per se*, *talis & effectus*.

(*c*) *Si malum non est rei defectus sed res, non privatio sed aliquid, quod in rerum natura ponitur: aut erit à DEO aut non. Si prius, DEUS erit causa mali (peccati) si posterius, exsistet res à DEO non pendens.* Vid. Bülfing. de orig. mali. §. 244. p. 189. Patet ex definitione mali, non posse exsistere principium mali supremum, i. e. Deum quendam perversum &c. qualem finxerunt Manichæi. Quid enim quæso esset defectus summus? nihil in rerum natura ponens. *Quod enim est aliquid*, id malum non dicendum. An dari potest infinita privatio? i. e. infinitum nihil? quod sit, *utpote principium*, & non sit, *utpote malum & defectus*? Absurde! Inservit definitio extricandæ quæstioni, de origine mali.

§. 2.

Difficultas tamen non exigua huic definitioni obesse videtur. Peccatum originale describitur à sacris auctoribus ut efficacissimum, ut pugnans, supplantans, captivans, Rom. 7. alibi, quæ actiones ex solo privationum defectuumque fonte promanare non videntur. Quo accedit librorum symbolicorum (d) sententia, quâ diserte non in sola privatione hoc peccatum collocatur. Concupiscendi enim, ea quæ lege improbantur, vehementes nisus, totum, quantus quantus est, hominem occupantes non continentur ex Confessorum mente nuda primitivæ justitiæ absentia, sed habitu maligno, quo in omnia crimina feruntur miseri mortales. Quod nemo negavarit nisi qui cum pontificiis peccati originalis alteram, ut ita loquar, partem sc. concupiscendi vim, culpa vacuam, aut omne hoc peccatum cum hæreticis (e) figmentum esse calumnietur.

(d) Libr. Symbol. de peccato orig. hæc verba sunt: *Peccatum originis habet privationem originalis justitiæ, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ, unde non est privatio, sed quidam habitus corruptus - - Hæc consentiunt cum Scripturis, nam Paulus interdum expresse nominat defectum ut 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit &c. alibi concupiscentiam nominat efficacem in membris* &c. pag. 55.

(e) Famosissima est hæresis Pelagianorum qui peccatum negaruut originis. Vid. confessio Mopsvestini in Symbol. Pelag. apud Garnerium *in dissertat. de Libellis fideiscriptis ab auctoribus & præcipuis defensoribus hæreseos Pelagianæ Dissertat. V. extat T. XII. operum Augustini p.* 189. Mopsvestinus enim inter prodromos Pelagii numeratur. Vid. Garnerius l. c. Diss. I cap. II. p. 62. Vossii & Norisii Historiæ Pelag. notissimæ sunt.

§. 3.

§. 3.

Ut itaque Philosophiæ circa hanc definitionem cum Theologia non consensum modo, sed & usum exponamus, mentio discriminis, quo privationes discernuntur, injicienda est. Quod primo in genere rerum defectus rei est, id in genere morum (*f*) non nudam absentiam, sed veram *entis moralis* (*g*) præsentiam arguere potest. Hoc sensu non est adscribendum privationibus Peccatum originale. *In genere morum esse aliquid, significat cohesin exhibere rei, actionis, personæ cum legibus.* Nullum dubium est, quin habitus à corrupta natura nobis inditi leges DEI respiciant, ingenti reatû contractô. (*h*) At alia ratio est considerandi peccatum in genere rerum, in quo si peccatum est, *non res, sed rei defectus est.* In viribus prava concupiscendi, quas libri symb. peccato originis complectuntur, tanquam habitum, non tanquam nudam justitiæ primæ absentiam consideratas, possunt adtendi duo, *vel vires ipsæ vel earum* in denegata per legem, *directio.* Ipsæ vires sunt res, directio autem ejus rei, est limitatio. Vires concupiscendi continentur Animæ substantiâ, quæ condita fuit à Deo, sed perpetua virium concupiscendi in malum directio culpam habet, cur autem habet? non quia vis concupiscendi est, indita quippe à Deo, sed quia vis concupiscendi est aliò flexa, quam quo deberet, alio detorta, quam quo oporteret esse intentam. Atqui hoc ipsum limes, & absentia melioris directionis est, non res, non vis ipsa. Habes hic explicationem distinctionis inter peccati *formam & materiam.*

Hactenus dixi communia omnium forsan calculo adprobanda.

(f) Vid. Bülfinger Dilucid. p. 560. seqq. in nota subjunct.

(g) Entia moralia à Pufend. Op. Maj. de J. N. & G. ita definiuntur: *Sunt Modi quidam rebus aut motibus physicis superadditi ab entibus intelligentibus, ad dirigendam potissimum & temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum, & ordinem aliquem ac decorem vitæ humanæ conciliandum* L. I. cap. 1. *de varietate entium moral.* p. 3. Nervosius puto h. m. definienda. *Rerum ad leges respectus & vicissim, sunt entia moralia.* Quicquid hac prolixa definitione inculcatur, cogitur hic in actum.

(h) Errant enim Pontificii concupiscentiam à peccato eximentes refutati ab innumeris nostratibus v. g. Joh. Gerhard. de peccat. act. cap. 10. p. 166. nec errare non possunt ex hujus Philosophiæ thesibus. *Appetitus enim sensitivus oritur ex minus distincta rerum corporearum repræsentatione*, Vid. Metaph. Wolff. §. 434. ex innumeris notionibus minoribus compositâ; est igitur nihil aliud, quàm ipsa voluntas, quatenus limitata minus bonum anteponit majori, atqui id nunquam crimine vacat. Vid. Buddeum in Theol. dogmat. p. 494. sub nota * idem sentientem. Verum est sæpe vitio carere hunc adpetitum, ubi meliora non postponuntur. Sic cibi & potus desiderium crimine vacat, at quoties his ita indulgetur, ut negligitur, quod unice necessarium est? Non poterit igitur concupiscentia omnino liberari à culpa, si vel maxime verbum DEI taceret. *At enim non semper accedit consensus voluntatis:* inquiunt Pontificii. Quod majori bono derogat mentis desiderium, in vitio ponitur, sive consentiat voluntas, sive dissentiat, aliter ex mala consuetudine perpetrata sine deliberatione, excusanda forent.

§. 4.

§. 4.

Sed an ipsorum defectuum alter non est in absentia boni, alter autem in pugna mali praesentis collocatus? Annon ipsa concupiscendi res pravas vis plus arguit, quam merus justitiae primitivae defectus? Ita est sane! *Cur ergo dicis peccatum omne contineri in rerum defectu?* Quia id cum ratione conjunctum est. Generatim ita habe: ex recentiorum philosophia imperfectiones tum *privative* tum *contrarie* dictas referri ad classes defectuum in rebus, non rerum ipsarum. *Constat*, utor verbis Viri docti, *unum contrarium aequipollere duobus defectibus. Nimirum ubi contrarium perfectionis adest, ibi primo abest perfectio, habes defectum primum. Deinde ubi contrarium est: ibi reducendo contrario ad medium negationis (s) impendenda est una perfectio, habes igitur secundum.* Dicam ego clarius; imperfectio *contrarie* dicta est *duplicata privatio*, privative accepta, est una. Detegimus in peccato originali primo simplicem justitiae primitivae absentiam, tum perspicere licet concupiscendi mala vim, quae duobus defectibus aequipollet: ubi est vis mala desiderandi, ibi primo locum habet absentia desiderii in bonum tendentis, secundo etiam praesto est desiderium mali. Itaque primo caremus amore Dei, uti bruta animantia caeteraque res inanimae, hic est defectus unus, secundo accedit odium, seu directio virium in contrariam partem, hic est defectus secundus priorem supponens. Ponamus vires concupiscendi id, quod probatur DEO, esse neutras, uti sunt in brutis animantibus; emer-

ger prima absentia, quæ DEI amorem submovet. Fac porro, vires istas non solum neutras, sed & contrariæ parti addictas, iterum duplicato errore longius à primo scopo, qui ad amorem DEI pertinet, aberrasti. Quid igitur est concupiscentia prava, quam duorum defectuum concursus? Absit ut quisquam in vi quadam *positiva* eam ponat, similis ratio est oppositorum *contrarie* omnium, quæ ab oppositis *privative* adpellatis non aliter differunt, nisi tanquam numerus binarius à monade.

(*i*) Verba sunt Bülffingeri in L. de orig. Mali. p. 69. §. 117.

§. 5.

Perspicuitatis majoris ratio poscit ut privationum gradus designem, alium alio profundiorem deterioremque, ut quid de concupiscentia peccati originalis habendum sit, distinctissime pervideatur. Privationum gradus numero quinque. *Prima* defectuum classis significat absentiam perfectionis a re minus capaci; Sic solida litterarum cognitio abest à brutis, quæ tamen earum capacia non sunt. *Secunda* classis complectitur perfectionum defectus in re capaci quidem, quæ tamen iis ornari non debebat. Sic eruditionis præstantioris concinnitas à mercatore, opifice &c. abest, quâ tamen ut excellat, nullo adstringitur debito. *Tertia* classis exhibet perfectionum à rebus absentiam, quibus excellere & poterant & debebant, hoc tamen eventu, ut absentia isthæc cæteris, quæ in re jam præsto sunt, perfectionibus nihil deroget. Ignorantia sæpe vitiat hominem, qui

qui litteris præclare instructus & esse posset & deberet, eo event ut cæteris opportunitatibus nihil decedat, i. e. ut lautissimis tamen admoveatur muneribus. Has classes imperfectiones *privative* dictas includere arbitror. Sequitur nunc *quarta* in imperfectionum *contrarie* dictarum ordine primum locum occupans. Fieri enim solet, ut perfectiones à re absint, quibus ornari potuisset & debuisset, quarumque absentia plurimum detrahit ornamentis cæteris quæ rem digniorem præstitissent. Turpis ignorantia animi dotium defectus, in eo homine, qui litteratum studia profitetur, sæpe detrahit lautioris fortunæ spei; qua frui alias licuisset. Ecce duorum defectuum, vel & plurium infelices concursus! Quod si quintô his omnibus accedat tantorum defectuum sensus, i. e. dolor, ægritudo animi, corporisque vel diuturna, vel brevis, vel gravis vel tolerabilior &c. *quinta classis* defectuum constituitur, quæ omnium est funestissima.

§. 6.

Peccatum originale duabus partibus absolvitur (*k*) absentia imaginis primævæ, tum pravis, queis stimulamur, adpetitibus. Absentiam imaginis primævæ consideratam in se, si cogitando tristis concupiscenti mala effectus separaveris, refero ad classem tertiam. Vim autem adpetendi prava adscribo quartæ, pœnasque huic dictatas, imminentesque quinta classe collocandas puto. Aut si mavis, perpende peccatum originis summatim, erit tum pro defectu habendum in quarta & quinta classe. Est enim inopia imaginis primævæ, qua fulgere homo poterat & debebat; sed plurimum etiam

etiam derogat cæteris animæ facultatibus; præsta[t] enim ea absentia non solum, ut nude deficiat summum animi decus, sed ut naturales quoque mentis facultates, quæ in intelligendo & adpetendo versantur, prorsus corrumpantur, i. e. ut intellectus non solum ignorantia laboret, sed erroribus etiam pervicacissime inhæreat, ut voluntas non solum circa Dei amorem aut odium neutra sit, sed ut gravissime Deo obluctetur. Itaque concupiscendi vis quatenus mala est, nihil in rerum natura ponit, sed duorum pluriumve defectuum concursus præstat. Si quis vestibus à latrone, hybernô tempore, in eremo spoliatus, frigore pereat nudus, duplex privatio concurrit, quarum altera alteram parit: *vestium defectus & vitæ extinctio.* Similis ratio est virium prava concupiscendi, sublatâ Dei imagine introductarum. *Sapere quæ carni blandiuntur* Rom. 8. v. 8 *ipsâ morte deterius est:* iniqua autem hæc sapientia, cum retractato imaginis primævæ ornamento exorta sit, morti similis est, quam vestimenti spolium intulit. Aut ita explicari debet, quod de concupiscentia Theologi docent, aut plane nihil sani pro eo interpretando potest afferri.

(k) Vid. Johannes Gerhard. loc. Theol. de peccato origin p. 137. Cap. 5. num. 70. *Peccatum originale est privatio justitiæ originalis, num. 72, nec vero per lapsum natura humana solummodo spoliata est, sed & misere corrupta, quæ corruptio successit in locum imaginis divinæ &c.*

§. 7.

Qui mali naturam in perfectionis absentia quæsivimus, longe absumus à Theologi cujusdam Rostochiensis sententia, qui duos omnium fontes, unà

unà æternos, DEUM rerum bonarum, *Nihil* rerum malarum esse condendit. *(l)* Intelligit enim hic autor nihilum *negativum*, quod non est limitatio rerum, uti *nihilum privativum*, sed rerum potius negatio omnimoda. Quomodo hæc æterna esse potest? *Non entis sunt nullæ proprietates.* Non possum, quin has metaphysicas notiones interspergam. Erraret igitur qui nobis hanc sententiam tribueret, à qua sumus longe alieniſſimi.

(*l*) Sententia fuit Eilhardi Lubini Theologi Rostochiensis, *de prima causa & natura mali.* Docebat quippe peculiari Scripto, hypermetaphysicâ dicto: *Nihil negativum ante creationem, esse principium malum bono synchronon; peccatum vero dici tendentiam ad illud nihilum: idque necessarium fuisse, ut natura boni posset cognosci. Et quæ Philosophus de materia prima habet, nihilo isti negativo adcommodat.* Vid. Carol. Memorab. Seculi XVII. p. 110. Graverus in Centur. 1. illustrium disput. 9. quæst. 3. p. 235. usque 246. auctorem refutat his verbis: *Inveniuntur qui docere non verentur, malum esse à NIHILO negative sic dicto, &, duo fuisse ante omnia, tanquam initia contraria, nempe ens & nihil, hinc nonnemo scribit (Lubinus) si quis ex me quærat: quis malum fecit? vere respondebo, Malum NIHIL fecit. Si quis quærat, quid malum sit? recte respondebo, malum NIHIL est* &c. respondit Gravvero Lubinus *in Apologetico quo Alberti Gravveri calumniis occurritur* anno 1600. quo facto se Gravverus defendit editô Magdeburgi 1606. *Anti-Lubinô sive Elenchô paradoxorum Lubini & emblematum Calvinisticorum* &c. Cumque eo nonnisi responsio *contineretur ad Phosphorum Lubini*, addit etiam ad tuendam suam personam adpendicis loco *responsi ad elumbem Lubini Apologeticum.* Contra emisit Lubinus *Tractationem Theologicam de causa peccati, ad Theologos Augustanæ confessionis.* Vid. Bailet. au 1. Tom. des Ant. p. 397.

§. 8.

§. 8.

Originis peccatum substantiam non esse contra yrium Flacium unanimi Theologorum consensu decretum est. (*m*) Peccatum igitur hoc *pro accidenti* habendum Quid autem est accidens, nisi limitatio substantiæ finitæ, infinita enim accidentibus (*n*) caret, non igitur malum est res, sed rei privatio, nisi forte fuerit, ut Flacii sententiam revocare, & summa imis miscere velis. Si ipsam vim concupiscendi malam dixeris, non ejus directionem in sinistram partem, quæro, *quid per vim intelligas?* Num actionum fontem, quo sensu recentiores vocem accipiunt, à natura hominis distinctum? tum aut erit accidens aut substantia, si substantiam dixeris, incidisti in Flacii errorem reprobatum, si accidens adpellaveris fontem illum, *fonti fons inhærebit*, quod est absurdum. Nam anima est fons actionum sive bonarum sive malarum; constituto igitur operationum malarum peculiari fonte, discerpetur anima in principia duo. Fons, principium est primum, quod alteri non inhæret; aliter esset rivus, ut ita loquar. Sin autem concupiscendi vim quatenus mala est, inderivatione ad objecta prava collоces, facis nobiscum, succeptô ad nostra castra transitu, qui quippe in virium sinistra directione, i. e. limitatione malum omne quærimus.

(*m*) Vid. Budd. Theol. dogm. p. 785. *Illyrius Flacius cum Victor. Strigelio* de viribus liberi arbitrii disputans coram Duce Sax. Vinariensi, Vid. Micræl Syntagm. Histor. Eccles. p. 827. eo devenit, ut *peccatum diceret substantiam.* Lege Spondan. ad ann. 1560. num. 32. Acta disputationis multis sessionibus continuatæ prodierunt cum præfat. Musæi Vid. Micræl. cit. loc. p. 817. 828.

(*n*)

(n) *Deum accidentibus vestitum*, inepta Cunr. Vorstii sententia est. *in disput. decem de natura & adtributis Dei diverso tempore Steinfurt. publice hab.* nec alienus plane videtur Episcopius ob decretorum in DEO contingentiam. Nostri instituti non est hæc persequi.

§. 9.

Liberum Lectori relinquo judicium, num in explicanda peccati originalis propagatione Leibnitii sententia opportunitatem habeat (o) *de animalium præformatione*, ab Adamo usque ad hominis generationem per gradus lineæ descententis ordine delatorum? Ita enim intelligitur, quomodo in Protoplasto potuerit corrumpi, quod jam secundum prima stamina exstitit: Ita traducem non statuendo suspicionem dividuæ animæ, perinde ac si quid decerperetur, evitamus: Ita creationem animæ reprobandö, in Deum culpam peccati cum anima admissi non transferimus: Ita omnium optime explicatur, quomodo nondum nati in parentum lumbis esse, & ab uno morali Capite repræsentari queant, Hebr. 7. v. 10. Sicut v. g. mater in utero jam *formatum infantem* in foro, utpote jam certo futurum, repræsentare potest: Cum contra eorum Syndici non constituantur, quorum nativitas incerta, & *existentia* nondum prorsus ulla putatur. Si vero anima per traducem propagatur, eo demum tempore, ubi homo gignitur, cur in lumbis parentum esse dicitur? *At enim tam difficilis res scrutanda non est; cur in tenebris quærimus lucem?* bona verba quæso! Non scrutamur justo curiosius, sed conciliamus Scripturas, ne opiniones foveantur cum S. Codice implacabiles. Quid hoc criminis est? Cur

ma-

me lucifugam malles, quam tenebrarum osorem? *Scilicet quod Tumet non adprobas, nec excogitabas* id loco tenebrarum habendum est. Quæ contra sententiam de animalium præformatione proposita dubia, isthæc è medio dudum sustulit Vir eruditus. (*p*)

(*o*) Sententiam de præformatione dilucide proponit Leibnitius Theod. §. 90. 91. Exstitisse suo modo animam ante nativitatem suspicatæ sunt gentes ita, ut suspicionem extenderent nimis, & cum Pythagora transmigrationem, nec non admissa ante peccata crederent. *Invehitur in Ciceronem Lactantius divin. Instit.* L. III. c. 18. p. 197. *Quid*, inquiens, *Ciceroni faciemus? qui cum in principio consolationis suæ dixisset luendorum scelerum causa nasci homines, iteravit id ipsum postea, quasi objurgans eum, qui vitam pœnam non esse putet.*

(*p*) Vid. Bülffing. dilucid. p. 108. Adde Georg. Meyer in Pneumat. p. 538. 539. Aut semen animatum est, aut non est. *Illud* arguit præformationem, hoc aut creationem animæ, semini postea concepto indendæ, aut decerptionem ex anima parentis. Caye alleges luminis de lumine factam accensionem. Luminis enim partes dividi nemo temere dubitat. Exstat integer Tractatus Goclenii Prof. Marpurg. *de ortu* animæ ubi variorum super hac doctrina dissertationes collegit. Vulteji. Fr. Junii Joh. Jac. Coleri. Caspar. Peuceri &c. Sanior hæc est docendi methodus quam Poiretiana qui animam à DEO emanasse contendit Oec. divin. L. I. c. 10. §. 2. p. 134. *Differt* hæc de animalis præformatione sententia à Platonicorum opinione præexsistentiam animarum tuente, de qua vid. Heinric. Mor. in operibus Philos. T. II p. 365. Hæc pauca adde iis, quæ Walchius in Lexic. Philos. p. 2333 de ortu animæ historice tradidit, Augustini tractat. sub ann. 419. 420. emissus de anima ejusque origine nemini est ignotus. evolv. Burkard. Gotthelff. Struv. in biblioth. Philosoph. c. 5. p. 79. §. 10. seqq.

§. 10.

§. 10.

Num gentium à nostris sacris alienarum actiones, virtutesque splendida fuerint peccata? emper in Ecclesia disceptatum est, affirmantibus quæstionem his, negantibus illis. (q) Arbitror autem, (quanquam meum non sit arbitrari, sed modeste indicare sententiam) Puto igitur, si mali à nobis exhibita notio distincte animo obversetur, non difficile futurum judicium. (r) Peccatum positum est in absentia perfectionis, perfectio arguit in varietate consensum, dissensum igitur parit legis violatio. Nunc dispiciendum est, eam quanam norma actio culpam declinatura consentire debeat? In promtu est responsio, normam illius perfectionis seu consensûs nullam esse nisi legem. Legem eandem dico vel naturalem, vel divinam, prout vel ipso naturæ rerum ordine vel DEI adprobatione continetur. (s) Venerot porro legem revelatam, suspicio denique vim & efficaciam Spiritus S. in cordibus operantis fidelium, quæ sensu Metaph adpellatur lex, Rom. 8. ℣. 2. His præmissis dico, quid mihi videatur.

(q) Libri symbolici quæstionem affirm. p. 700. *Etsi opera quæ ad conservandam externam disciplinam faciunt, qualia etiam ab infidelibus fiunt, & requiruntur, suam coram mundo dignitatem & laudem habent, & temporalibus quibusdam præmiis in hoc mundo à Deo ornantur: attamen cùm non ex vera fide proficiscantur, revera coram DEO sunt peccata, h. e. peccatis contaminata, & à DEO pro peccatis & immunditia reputantur, propter naturæ humanæ corruptionem & quia persona cum DEO non est reconciliata.* Quæ Patrum de doctrina & vita Ethnicorum sententia fuerit?

opere amplo & erudito *Baltus* ostendit nuperus Scriptor Jesuitarum Societati adnumeratus. Opus inscribitur: *Jugementdes Saints Peres sur la Morale de la Philosophie Payenne anno 1719.* Argentor. ubi operose probare annititur, *non omnes actiones Philosophorum Gentilium esse peccata.* Wolffii de hac quæst. judicium legitur in orat de Sinarum Philosophia practic. notis illustrat. p. 95. not. 182. Leibnitius Augustini, *virtutes gentium splendida peccata vocantitis non omni ratione adprobat effatum.* Locus jam non succurrit.

(r) Pertinet huc Mart. Lutheri judicium quod virtutes gentium peccata sint à Balto L. l. C. l. p. 6. acriter exagitatum add. & ejusd. Balti alium loc. L III c 6. p. 423. ubi idem agit. Nisi cum grano salis hoc effatum accipiatur, Pontificiorum ludibrio exponimur. Dicunt, *perinde esse, sive boni quid facias, sive mali, quia omnes virtutes nondum emendati sint peccata: Regerent omnia sic peccata æqualia fore.* Novi quid respondeant nostrates, sed sine positionibus nunc jam in Textu enarrandis eorum responsio locum habet nullum: hinc ipsi libri symbol observant, *actiones gentium bonas peccata aut peccatis contaminatas esse.* Relinquunt igitur boni quiddam, licet contaminatum, nec mera paccata Ethnicorum virtutes esse credunt.

(s) Acriter super hac re disputatum est, in scriptis eristicis inter celeberr. Viros Dn. Buddeum & Wolffium ultro citroque reciprocatis, cum alter legem divinam à naturali distingueret. Sed salva res est. Cogitatione duntaxat separatur lex naturalis à divina, non reipsa. Quatenus impulsu me ipsum aliosque conservandi, rotius immò universi perfectionem criminibus non deturbandi sed virtute ornandi, honestatem sequor, lege ducor *merè naturali;* hæc enim motiva ex ordine desumuntur naturæ. Contra si propterea in bonum feror, quoniam DEUS hæc motiva adprobat, jubet, & suis perfectionibus immensum pondus addit recta agendi, legis *oritur divinæ* efficacia. Est igitur naturalis & divina distincta, sicut unius rei respectus ab altero,

eadem

eâdem honestas *ex duplici motivo* amari potest, *vel alterutro tantum. Nihil mali his inest.*

§. 12.

Docuisse, & ita vixisse quosdam ex gentibus Prudentiores, ut exsistimarent, *non sufficere externi actus cum lege convenientiam, sed requiri etiam conformitatem destinationis internæ, intentionis, judicii & adpetitus,* (t) manifestum est. Decoravit igitur eorum actiones saltim quidam cum lege consensus. Consensus cum lege bonitas est moralis, itaque non est prorsus talis abjudicanda Gentium virtutibus. Nisi forte fuerit ut meros hypocritas judices, & ne uni quidem sinceram mentis destinationem hoc aut illud honestum sequendi adscribas. Quæ dura foret sententia. In quantum præsto fuit cum lege consensus, in tantum vera virtus. *At enim, cur Deo improbantur actiones gentium etiam laudatissimæ?* Non quia cum quadam Norma inferiori (de quâ §. 10.) consentiebant, sed quoniam dissentiebant cæteris, nec accommodatæ fuerunt legi revelatæ, nec profectæ à lege i. e. impulsu spiritûs. Laudatur *ex parte* consensus, culpatur dissensus *in toto.* Honestatem amare cum gentibus, quia est honestas, præclare factum; At non ob amorem Christi Servatoris, non ob ductum div. Spiritus, hiatum arguit & horrendum dissensum. Non igitur gentium virtutes prorsus damnandæ, damnandi sunt defectus. Non damnamus incessum claudi quia incessus, sed quia impeditus est: non adpellamus meram quietem. Dices: *at gentes mortuis in bono sequendo similes; sunt sane,* si bonum metiaris ex pleno cum normis omnibus consensu, *non sunt,* sin id æstimes ex consensu cum norma inferiori. Annon

hunc consensum aliquando suis viribus præstant? *sunt mortuis similes*, si bonum judicaveris ex *consensu* actionum cum lege naturali *perpetuo*, omnibus absoluto gradibus; Non sunt vero tales, si tantus in æstimando consensu rigor non adhibeatur. Habes igitur in gentilium virtutibus dissensum, eumdemque duplicem, qui & à supremis gradibus, & à sublimiori norma recedit: Non tollitur tamen omnis consensus cum lege, in quo vera virtus moralis posita est. *Te autem Judice hæc bonitas ad forum duntaxat humanum pertinet, nunquam ad divinum.* Sed quæso, an DEus consensum judicat dissensum? Pertiet igitur etiam bonitas isthæc ad forum Dei, licet ut parum sufficiens damnetur, defectû per accuratissimum Dei judicium profundius observatô, quam per humanum quodvis. Dic igitur posthac cum Confessoribus *virtutes gentium non mera peccata, sed actiones bonas, defectibus tamen contaminatas.*

(t) Vid. Orat. Wolff. de Philos. Sin. pract. not. Illustr. p. 69. *Agnovit Confucius non sufficere externi actûs cum lege convenientiam; sed requiri quoque conformitatem actûs interni. judicii nempe appetitûs & intentionis, ut scil. judicantes actionem esse legi conformem, non fallamur, ut eandem appetamus quia legi conformis, & ut eam propter eam rationem appetamus, ob quam lege imperatur.*

CAP. VI.

De Providentia & Mali permissione.

§. 1.

ARdua est omnium consensu, de providentia Dei, quæstio (a) in qua adversus Empæctarum insultus solide decidenda aut recentiores plurimum

simum adjumenti adtulerunt, aut nemo. *Thrasonismos rides, & militem Comici gloriosum revixisse judicas.* Dignus ludibriis fuero, quamprimum Tu de permissione mali sententiam excogitaveris, & à Leibnitiana diversam, & eâdem longe accommodatiorem. Quod si in eo præstando spem fefelleris, nullus dubito quin & materia ridendi, & exprobrandi Thrasonismos occasio defecerit.

(a) Perplacuit, quod litteratissimus politissmusque Vir Stolle in Hist litt. ed sec. p. 489. ait. Die Vorsehung GOttes ist ein Meer / auf welchem die Vernunfft sehr behutsam schiffen muß. idque ex Lipsio desumtum.

§. 2.

Tot & tanta ultrocitroque de permissione & origine mali nostris temporibus disputata sunt, ut nulla unquam lis majori videatur agitata fuisse nec ardore animi, nec scriptorum copiâ. Si in hac re prolixos discursus sectarer, non absimilis forem ei, qui magno molimine aquas gestaret in Oceanum. Quo minus autem rerum dictarum apicem ostendam, aut in quam capitalem quæstionem fusissime disputata (b) tandem erumpant, commonstrem, nihil video, quod obstet. Tot undique nos malis obseptos, ut eorum nullus iniri numerus queat, tristi docemur experientia: Deum rerum omnium arbitrum esse tam verum est, quam quod verissimum, itaque non sine causa investigarunt, (c) *quî malum permittere possit Deus, qui immenso intervallo à malis sejunctus est.*

(b) Quem fugiunt sententiarum de origine & permissione mali inde ab antiquissimis temporibus exorta divortia? Forsan jam in gente Judaica culpam peccati nonnulli tran-

transtulerunt in DEUM vid. Ecclesiast. 15. v. 11, 12. Hinc Deum excusat Jacobus Epist. 1. v. 13. Id à gentibus quoque factum fuit: vid. Pfanner. syst. Theol. gent. purior. c. 9. §. 3. p. 251. Alii in materiam peccatorum originem cadere dictitabant: vid. Wolff. in Manichæism. ante Manich. sect. II. §. 28. p. 164 Quod Chaldæi senserint de peccati origine, legitur in Philosophumenis quæ sub Originis nomine circumferuntur á Joh. Chr. Wolff editis p. 39. *Lucem sc. boni, & caliginem mali causam esse pronuntiabant.* Contra Persæ, *licet duo principia boni & mali agnoscerent, tamen hoc posterius creatum agnovisse constat.* conf. Thom Hyd. Histor. Relig. Vet. Persar. c. 9. p. 161, seq. Zoroastræ sententiam examinat Bayle in Dict. Hist. Crit. sub hoc titulo, p. 3079. vid. de Persarum Dualismo Budd. Hist. Ec. V. T. T. II. ad per. II. sect. VI. §. 13. p. 1053 De Egyptiorum sententia ex instituto Plutarchus de Iside & Osiride T. II. op. p. 376. Græcorum Poetæ in *eamdem Daulismi sententiam sunt ingressi* vid. Plutarch. de Iside & Osiride p. 370. De Jonicorum Græc. Philosoph. sententia leg. theses de Atheism. & superstit. Buddæi C. l. §. 10. p. 20. Schola Eleatica *unam tantum substantiam admisit:* Pythagoræ duo principia describit Plutarchus de Isi & Osir. p. 370. Plato ejusdem opinionis duo principia tuentis Patronus fuit, vid. Plutarch. l. c. p. 370. apud Budd. in thes. de Atheismo & superstit. c. 1. §. 13. p. 31. adde Wolff. in Manich. ante Manich. sect. II. §. 32. p. 128. *De Aristotelis circa boni malive originem sententia lege eos,* quos Budd. in thes. Ath. & superst. c. 1. §. 15. p. 41. citat. Lucem dabunt ulteriorem Phil. Origenis edente Wolff. p. 140. Stoicos *duo principia statuisse Deum seu rationem, atque materiam* Seneca innuit Epist. 65. A Gentibus ad Christianos error dimanavit. De Simone Mago Epiphanius Hæres. XXI. p. 58. idem dogma narrat. Confer. Jacob Thomasii Schediasm. de definitione Philos. in not. ad § 35. sequuti sunt Menander Saturninus Carpocrates &c. ut ex Irenæo L. I. de Hær. c. 21, constat. Valen-

lentinus Hæresiarcha ejusdem erroris accusatur ab Origene L. IV. περὶ ἀρχῶν c. 7. Hieronymo in procem. Epist. ad Phil. T. II. op. p. 211. Num *autem Valentinus materiam DEO coæternam statuerit, disceptatur.* vid. dissert. Buddæi de Hæres. Valentinian. ad §. 9. p. 590. Joh. Christ. Wolff. in Man. &c. sect. II. § 47. p. 93. *Manichæi vero pernicioſum errorem ad fastigium evexerunt.* Horum primipilus erat Cubricus natione Persa, quia Magis venenum hocce hausit, Epiphanius Hæres. 66. p. 918. memoriæ prodidit, Scythianum quendam è Saracenis oriundum hanc doctrinam certis libris complexum, quos sibi Terebinthus vindicaverit, à quo Manes tandem accepe-rit. Nostris temporibus Manichæorum dubia mirifice extulit P. Bayle in Dict. Hist. Crit. sub. art. *Manich. & Pauliciani.* Expertus est adversarios, Clericum, Jaquelotium, Juriæum, Placettium &c. de scriptis ultro citroque emissis vid. apud Wolff. in Manich. ante Manich. sect. II. §. 18. Fabricium in delectu argumentorum & syllab. scriptorum qui veritatem religionis Christianæ asseruerunt p. 383. Clerici adversus Bælium prima pugna, editô libro *Defense de la Providence contre les Manichéens, dont les raisons ont eté proposées par Mr. Bayle dans son dictionn. Critique*, commissa fuit. Quem librum Tom. I. Parrhas. p. 303 inseruit. Cui respondit Bayle in secunda edit. Diction. Non sibi defuit Clericus Tom. VII. Bilioth. choisie p. 330. Ubi Origeniani auditoris causam defendit, adversus dubia Bælii. Sed Bayle *in reponſ. à un provincial T III. p. 172. 173.* acriter respondit, quô factô Clericus zelo inflammatus *Atheismi patronum Bælium declaravit*, Biblioth. Choisie T. IX. art. 3. & 13. Ex adverso emisit Bælius Reponse àMr. le Clerc. au sujet du 3. & 13. Articles du IX. Tom. de la Bibl. choisi. ne sic quidem lite sopitâ Clericus T. X. Bihlioth. choisi. Artic. VIII. p. 394. *Adjudicium Academiarum de Bælio provocavit.* Cum amarulentissimis verbis Bælius responsurus esset morte fuit extinctus. Longum foret cætera scripta enarrare, quæ

Jaquelotius aliique ediderunt. v. g. *Conformité de la foi &c.* Examen de la Theologie de Mr. Bayle &c. quibus Bælius Tom. III. reponſ. aux queſt. d'un Prov. ch. 128. item in entretiens de Maxime & Themiſte occurrit. Anno 1710. edidit Leibnitius Theodiceam Amſtel. vid. den Bücher-Saal in der 18. und 20. Oeffnung art 1. quô pactô Vir illuſtris his litibus immixtus fuerit narrat ipſe in prologo. Anno 1712. celeberr. Buddæus diſputat. edidit *de origine mali* Theod. Leibnitii oppoſitam. Secutus eſt Chr. Wolffius qui in Metaph. cap. de DEO Leibnitii ſententiam adoptabat. Peculiari tractatu eam explicuit Bülffinger, vid. Joh. Albert. Fabric. in delectu argumentor. & ſyllabo &c. p. 385. Aggreſſus eſt Bülffingerum Weismann. in ſchediaſm. Academ. anno 1725. emiſſis. Addatur judicium Pfaffii in diſſert. de morte nat. p. 18. Poſt actô in exilium Wolffio graviſſimæ lites exortæ. Quibus occaſionem *dedit primo cauſa DEI aſſerta* curante Joh. Joach. Langio. Secuta eſt Commentatio Wolffii *luculent. de differentia nexûs ſtoici & ſapientis*, quam reſp. loco excepit, *modeſta diſquiſitio &c.* auctore Langio, quæ elicuit *monitum ad commentationem*, refutatum & ipſum in *placidis vindiciis modeſtæ diſquiſ.* Pulſô Halâ Saxonum, neſcio quorum inſtinctu, Wolffio res erupit in Nervum, publici juris factâ modeſtâ detectione, ſ. beſcheidene Entdeckung der ſchädlichen Wolffiſchen Philoſophie. Dici vix poteſt quot ab illo tempore animorum motus exorti inter celeberrimos Viros Buddeum & Wolffium: quorum ſcripta criſtica omnium manibus teruntur non jam h. l. recenſenda.

(c) Inquiſivit in eam rem Bælius in Dict. p. 1896. ſeq.

§. 3.

Antequam decretorium pro uſu ſententiæ Leibnitianæ in hoc articulo Theologico argumentum afferamus, aliorum prius placita audiemus, eo potiſſimum conſilio, ut, ſi ſolida credan-

dantur, quantum à Leibnitii decisione abeant, aut non abeant, intelligi, & judicari possit. Allegamus quorundam ex Patribus Ecclesiæ judicia: *Concedimus*, inquit nonnemo, *meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nolit, concedant vicissim & ipsi, non esse malam, quæ talis facta est, ut posset non peccare, si vellet, & injuste punitam, quæ voluntate non necessitate peccavit. Cum ergo utraque bona* (Angelorum & hominum) *cur illam solam & non utramque Deus fecit? ut uberius laudaretur de utraque.* (d) Alius quidam Ecclesiæ primæ Doctor his verbis utitur: *Tu Ministros tuos non habes pro fidelibus & frugi servis, si compedibus aut vinculis conclusi id agant, quod jubes, sed si sponte & libere, quod sui muneris est, strenue faciant: Ita Deo acceptum minime, quod coactum, & violentia quadam expressum, sed quod ex vera virtute proficiscitur.* (e) Addantur hæc ab Hipponensi (f) dicta. *Quia omnipotens, posset,* (peccatum impedire) *cur non fecit, quia noluit, cur nolnit? Ipse noluit. Non debemus plus sapere quam oportet. Puto autem non parvi boni esse rationalem creaturam, quæ malorum comparatione cavet malum.*

(d) Verba sunt Augustini 11. de Gen. ad lit. c, 7.
(e) Verba sunt Athanasii Serm. de incarnat. T. 1, p. 39 edit. Commelin.
(f) Ita Augustinus 11. de Gen. ad lit. c. 10.

§. 4.

Prostant alia testimonia Patrum; Hipponensis ait, quod rationes reddi possint, cur Deus permiserit malum; *requisiviſſe id ipsum primo Dei*

omnipotentiam, cum magis pertineat ad omnipotentissimam ipsius bonitatem de malis benefacere quam mala non esse sinere. (g) Nisi me omnia fallunt, aut hæc cæteraque verba in Leibnitii sententiam inclinant significatu, aut ita dura sunt, ut admitti nequeant. Sententia Viri illustris est: *Malum ideo à in Deo in hoc systemate permissum, quia collatis cæteris systematis omnibus conventientius fuerit in hoc mundo malum permittere, quam eô absolute impeditô aliud efficere rerum systema.* (h) Jam Hipponensis ait requisivisse bonitatem Dei ut malum permitteretur: quicquid requirit bonitas Dei, id convenientius, id melius altero est. Quomodo differt hoc effatum à decisione Viri illustris? Nullo pacto, nisi forte in eo quod verba Episcopi hujus duriora placita innuant, *peccatum movisse Deum ut malum permitteret, quô nimirum illud condonando benefacere posset*, quæ à Viri illustris mente aliena sunt; non enim juxta eum peccatum Numen impulit, ut hunc eligeret mundum, sed Mundi in cæteris rebus prærogativa induxit ut hunc, licet cum crimine conjunctum, ob cætera prævalentia, quibus reliquis systematibus præstitit, bona, anteponeret omnibus. Aliô locô Hipponensis Præsul ita differit, (i) movisse DEUM *ad permittenda mala justitiam & misericordiam, cum hominis lapsu ad misericordiam in electis & justitiam in reprobis declarandam se uti posse viderit*, aut misericordiæ & justitiæ declaratio cumulate compensat mali eventum aut non compensat. Si illud, malum in hoc mundo majori bono compensatum mundum non reddit alio quovis systemate deteriorem: si non compensat, absur-

absurda est Præsulis responsio, elige utrumvis. Porro sentit idem (k) *Universi pulcritudinem, cum aliquis ornatus mundo decederet, si nulla esset anima, quæ peccando misera fieret*, Deum induxisse ut malum permitteret. Expendat Benev. Lector hanc responsionem. *Si nulla*, inquit, Præsul, *peccasset anima, vel quod idem sonat, verbis Leibnitii, si malum deesset in hoc mundo, ornatus decederet*, i. e. *tam bonus aut optimus non foret.* Dic, amabo, quomodo ab hæresi Leibnitiana Augustinum exsolvere velis? In quo differt Præsul ab ill. Viro, nisi in eo, quod Præsul minus caute ipsum peccatum putat pulcritudinem mundo addere, quo malo impedito, & ornatus deesset; ex adverso Noster ornamentum Mundi non in peccato quærit, sed in ejus systematis, quod peccato contaminatum, reliquis perfectionibus: ita ut si peccatum impediretur, systema mutaretur, quod est optimum. Non autem est optimum, *quia* est peccato inquinatum, sed *id quod* inquinatum peccatô, optimum dicitur.

(g) Augustin. de corrupt. & grat. c. 10.
(h) Vid. Leibnit. Theod p. m. 312. §. 114.
(i) Augustin. de corrupt. & grat. c. 10.
(k) Augustin. L. III. de L. Arbitr. c. 9.

§. 5.

Permissi mali alias quoque rationes adfert Vener. Præsul. *Denique*, inquit, *cum occasione transgressionis istius Christus nobis donatus, per quam plura, quam in Adamo sunt amissa, recipimus* (l) Lutherus ita sentit: Deus permisit peccatum, *quia ipsi placuit, ut periclitaretur Adamum, & exercere-*

rei

ret ipsius vires, sicut hodie cum baptizati & in regnum Christi translati sumus, Deus non vult nos otiosos, sed vult exerceri per verbum & dona sua, ideo permittit nos infirmos â Satana cribrari. (*m*) Et hæc ratio permissi mali nititur argumento majoris convenientiæ, qua mundus hic optabilior evadit cæteris. Alius quidam Theologus solidissima ornatus doctrina de mali permissione h. m. (*n*) judicat: *Ideo permisit Deus hominem tentari, non ut ex malis bonum eliciendi occasionem haberet, sed quia liberam ab homine obedientiam sibi præstari voluit, quia ex lapsu hominis bonum elicere novit.* Aut illa bonitas ex malo elicienda, cujus intuitu hoc permissum est, una cum cæteris præsentis mundi perfectionibus major fuit quam perfectiones alterius mundi peccato vacui, aut non major fuit. Sin illud agnoscas, adoptasti Leibnitii sententiam de superpondio perfectionum hujus systematis præ cæteris possibilibus cunctis; si bonitas illa ex malo elicienda una cum cæteris hujus mundi perfectionibus major non fuit quam cæterorum systematum excellentiæ, tum hæc ratio summi Theologi vana & nulla est. Aut igitur in Leibnitii sententiam resolvitur, quod Doctores respondent, aut nervo caret & fundamento.

(*l*) August. 14 de Civ. Dei. cap 27.

(*m*) Lutherus in Genes. cap. 3.

(*n*) Gerhardus in loc. Theolog. de peccato orig. Cap. 1. num. 16. sub. fin. p. 125.

§. 6.

Ut penitius cognoscatur responsiones de permissione peccati, seu mali generatim omnes, aut nihil proficere, aut resolvi in recentiorum fundamen-

damenta, citabimus etiam aliorum cogitata. Celebertimi cujusdam Viri verba hæc sunt: (o) *Ad permissionem peccati quod adtinet, si quis actionem quandam impedire non tantum possit sed & debeat, idque non faciat, & hac ratione eam permittat, is quidem pro causa istius actionis recte habetur. Deum vero, etsi actiones malas quælibet, si secundum omnipotentiam suam agere velit, impedire possit, nemo tamen dixerit hoc eum etiam facere debere. Imo non debere inde patet, quod ipsa natura libere agentium hoc postulet, ut potestas illis concedatur, secundum facultatem, naturæ illorum convenientem, agendi.* (p) Fieri non potest, ut aliter hæc verba intelligantur, quam sensu Recentiorum. *Deus*, inquit Vir celeberrimus, *non debet peccatum impedire.* Ergo ubi absolute impedit, contra debitum, i. e. contra suarum perfectionum dignitatem agit, hôc enim solo debito ad stringitur Deus. Itaque aliud Systema, impeditô per miracula peccatô, conditurus minus conveniens opus præstitisset, si cætera autem minus convenientia & *contra debitum* condita fuissent, nihil superest, quam ut hoc convenientissimum habeatur, quod nunc exstitit, id autem Recentiores contendunt.

(o) Vid. Budd. Theol. dogmat. L. III. cap. 2, §. 10. p. 769.

(p) Permissionem h. l. eo sensu accipimus, quô Bülffinger de orig. mali p. 210, §. 260, ubi eam ita definit: *Permissio est suspensio vel ne gatio alicujus efficientiæ, quâ oppositæ factum ab agente non eliceretur.* Dicitur ergo permittere & qui hactenus oppositis suis viribus aliud agens impedivit suspenso nunc impedimento & ille, qui hactenus plane agentis viribus non restitit

§. 7.

Animum quoque subit Theologi alterius judicium, (7) *qui, fundamentum,* inquit, *istius permissionis est tum libertas arbitrii, quam creaturæ rationali contulit Deus Creator, & cujus usum creaturæ isti adimi non patitur constantia datoris: tum infinita ejus potentia & sapientia quâ potest ex malo bonum elicere.* Etiam atque etiam rogo Benev. Lectorem ut perpendat, an hæc responsio vel sufficiat, vel si sufficit, à Viri illustris decisione aliena sit? *An ideo permittendum malum,* inquiet Adversarius, *quia bonum elici potest? atqui non sunt facienda aut permittenda mala, ut inde eveniant bona; turpius ejicitur quam non admittitur hospes.* Quid heic respondendum est, num in objurgationes adversariorum effundemur? *eorum non esse rimari vias Dei, earundemque rationes,* atqui non scrutantur rationes Dei speciales, sed disquirunt modo, an generatim potior fuerit ratio peccati permittendi, quam non permittendi: si potiorem concedas, convenientius fuit admittere mundum, peccatô inquinatum, quam alium quemvis. Sit Magistratus qui subditorum peccata non impediat, quia bonum elici posse existimat; num tu eum excusandum putas? atqui ita excusant Theologi Deum, aut igitur hæc excusatio irrita, aut Leibnitiano sensu explicanda est: *Deum similem esse Magistratui qui peccata permittat, non eliciendi tantum boni causâ, posset enim bonum non compensare mala; sed ne impedito malo gravius incommodum oriatur,* i. e. quia omnibus circumstantiis computatis convenientissimum seu optimum

mum est, malis non obstare. Responsio igitur Theologorum quam pro mali permissione allegant, nititur Leibnitiana. *Deus mala permisit*, cur? Theologi docent, *quia elicere bonum potuit*, an Theologi intelligunt bonum minus, quod permissum malum abundantissime non compenset? Hoc non innunt, alias Deum arguerent, quod majus malum permittat propter bonum minus: Ergo alterum volunt, bonum scil. ex malo eliciendum innumeris modis majus fuisse, eoque malo non opstante mundum hunc manere optimum, quæ ipsissima Leibnitii sententia est.

(q) Vid. Joh. Wolffg. Jæger. Compend. de providentia Dei p. 122.

§. 8.

Per mundum cum Recentioribus (r) intelligo seriem omnium rerum conditarum, inde à prima creatione exsistentium, durantiumque per omnia seculorum secula: Complector itaque sub eo vocabulo vitam æternam, fecilem, & infelicem &c. quicquid præter Deum exsistit, aut posthac exsistet. Nunc peremtorio, ni fallor, argumento Leibnitii sententiam stabilire licet. Aut hæc rerum exsistentium series, quæ suis defectibus laborat, illustrandæ Dei gloriæ præ cæteris aliis possibilibus inservire potuit, aut non potuit, aut denique aliæ possibiles rerum series perfectissime æqualem gloriæ Dei illustratæ effectum præstitissent. Quartum non datur, si prius adoptaveris, habes rationem permittendi mali Leibnitianam, ex eo pendentem quia hic mundus gloriam Dei optime promovet, atque convenientissimus Deo est: Si dixeris, *præ-*

sen-

sentem rerum seriem non tantum inservire Dei gloriæ, quam aliæ possibiles inservissent; Deus sibi ipsi defuit, penes quem stetit meliora exhibere, Deus igitur non est Deus: Si tertium placuerit, *alias rerum series possibiles nec inferiores nec meliores hâc quæ nunc existit, fuisse, sed perfecte æquales*; tribues manifestissime Deo & imperfectionem, & peccati originem. *Imperfectionem quidem*, nam series, quas Dei intellectus perfecte æquales judicat, voluntas ejus ut minus æquales tractat, alteram alteri per creationem anteponendô; *Ita oritur in Deo dissensus, dissensus autem est Imperfectio.* Tum & peccati originem seu culpam Deo affinxeris: Nam si aliæ rerum series possibiles ex æquo fecissent ad gloriam Dei illustrandam, uti facit series nunc jam existens: Cur Deus eas ex statu possibilium non transvexit in statum existentiæ, cur non elegit ex iis talem seriem, à qua malum abfuisset, cur hanc antetulit, in qua tantum est malitiæ? Num qui servos habere potest integros vitæ, scelerisque puros, quique malignos tamen cooptat, vitiorum rei familiari per eos illatorum culpam non gestat? Toties jam ad ravim usque clamasti, *stante de hoc mundo tanquam optimo sententiâ, Deum necessario optimum malô infectum condidisse, eôque malorum fieri auctorem.* Fingam, quod falsissimum est, *necessitatem summam eligendi optimi Deo impositam*; tum ea necessitas potius excusat, quam accusat; ea enim, ut juris naturalis Doctores inculcant, non imputantur, quæ, quo minus fiant, penes auctorem non stat: quæ quis necessario agit. At ubi alii mundi

etiam

etiam finguntur optimi perfecteque æquales, ubi liberum locum habet arbitrium, quod malo contaminata opera præfert vitio vacuis, tum culpam contrahit qui vitiosum opus cæteris anteponit. Responde nunc, si placet, ad ratiocinium, videbimus, quantum æra distent lupinis.

(r) Nescio qui factum, ut viri longe doctissimi ita potuerint arguere, *si Deus necessario optimum condidisset, futurum mali, quod eo continetur, auctorem.* Plane non cogitasse videntur, vel prima moralis disciplinæ axiomata reclamare. Vid. Pufendorff. de O. H. & C. cap. I. §. 17. *Quælibet actio, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, potest ei imputari.*

§. 9.

Addatur huic argumento aliud: aut convenientius fuit peccatum permittere, quàm miraculo impedire, aut non fuit. Si prius, vera est recentiorum sententia, convenientiorem fuisse mundum in quo malum non absolute sufflaminatum fuerit, si non fuit convenientius, tum DEUS permittendo peccatum, parum congrue fecit, quod est blasphemum. Vis aliter inflexum? accipe: Aut dignior fuit rerum series (mundus), in qua peccatum declinandi motiva pro intelligentibus creatis fortiora erant, aut series illa præstantior fuit, in qua erant (ut in præsenti fiebat) non fortiora. Sin illud, Deus posterioris generis seriem condendo indigne fecit, quod est impium: si posterius, habent recentiores quod volunt. Loquor autem de fortioribus peccatum committendi rationibus, non de dignioribus. Fortiores in Adamo peccandi rationes fuisse concedo, digniores nego. Aut ita, si lubet: mundus, in quo stultissimæ peccandi ra-

tiones fortius primum violatorem afficiebant, aut præstantior fuit cæteris omnibus, in quibus non afficiebant fortiter, aut non fuit: sin illud dixeris, mundus ille erit optimus, licet peccato contaminatus; sin hoc, Deus minorem præstantiam antepoſuit majori, quod est improbum dictu.

§. 10.

Exsistimo has rationes esse omni dubio majores. Puto eas Phari loco habendas, ad quas in tanto fluctuantium animorum mari respiciendum sit semper. Si vel mille effugia adhibuerint, querelas effuderint, distinctiones adplicaverint, ut perplexum temet & ancipitem præstent: cogita quæso has rationes, examina, an perspicue & distincte nonnihil dixerint, quod ad eas solvendas fecerit: Nihil ejusmodi fieri posse egomet præstabo. Redi in memoriam eorum, quæ in articulo descriptur. §. 14. 15. diximus: Intelliges observationem ibi insertam gravissimo hoc exemplo confirmari. Facile est ad sententiam recentiorum ex hypothesi vaga & sine ratione sufficienti adoptata distinctiones petere, elusis certissimis ratiociniis: Quærentes recentiorum Antagonistas audies, problema facillimum intricantes, varia miscentes: Jam dicent *fatum inferre rationem optimi*, *jam plura fieri sine ratione* contendent, manifestissimo veritatum gravissimarum periculo, imo spe Epicuræi Triumphi de fortuito atomorum concursu, *jam libertatem à sapientia distinguent non solum sed & dividunt*, ut sine sapientia & ratione à DEO quid fieri posse doceant: jam alias minus recte intellectas objici doctrinas animadvertes: His omnibus occurritur ratio-

rationibus §. anteced. allegatis; Posce tantum, ut contrariæ sententiæ patroni directe respondeant; aut tecum sentient, aut facient manifesto cum Poireto, ut Numen plane absque ulla ratione, imò nec intuitu gloriæ mundum creasse sint inculcaturi, quod quam à vero alienum sit, nemo est quin videat.

§. 11.

Qui manifestissimis rationibus his §, 10. indicatis non moventur, eos vehementer rogo, ut aliter thesin suam de permissione peccati probent, ac Leibnitius fecit: sumant dubia Bælii examinanda ex suis meditatis, cooptent responsionem Theologorum, *malum ideo permissum, quia boni quid potuerit elici*, caveant ne hæc dicta Leibnitii immisceant: Quod si tum vel sibi ipsis, vel aliis satisfecerint, victas egomet manus dedero. Facilius est aliorum positiones impugnare, vago vocabulorum significatu, quam propriam stabilire thesin argumentis determinatè probantibus. Nondum ego quemquam legi vel audivi ante Leibnitium, qui doctrinam *de permissione mali ex instituto persecutus fuisset.* Si facile negotium est, cur id non suscipimus ex instituto? cur sententiæ Leibnitianæ Patronos non melius instituimus? spondeo fore, ut primus in eam sententiam sim iturus. Nihil enim desidero, quàm ut missis, quæ contra recentiores adferunt dubiis, thesin probent suam *de permissione peccati. Argumenta pro thesi animum figunt, dubia autem aliis obversa, præsertim ratione munitis, mirifice conturbant animos debiliores.* Quisquis autem thesin serio demonstrandam susceperit, cognoscet,

scet, aliter eam probari non (s) posse, quàm more Leibnitiano.

(s) Dispiciamus v.g. quo casu Doctores malum permitti debere statuant, sin illi casus non exhibeant canonem qui ad Deum translatus Leibnitii sententiam referat, cedam arena ultro: Ill. Thomasius in fund. I. Nat. & Gent. p. 267. edit. 4. permittendorum à Magistratu lupanarium nullam causam adfert, quam curam evitandi mali majoris. Atqui hæc ipsissima est Leibnitii decisio. *Summatim*, inquit Vir illustris, *Lupanaria non sunt toleranda, nisi ad evitandum majus malum in regionibus calidioribus. Qui metus majoris mali cum regulariter non adsit in regionibus septentrionalibus, vix est ut prudenter faciat Magistratus lupanaria tolerans. Nec est quod dicas electionem minoris mali saltem procedere in naturalibus, non in moralibus: Neque enim facienda esse mala ut inde eveniat bonum: Uti enim alterius loci est disquirere de falsa hujus loci & explicatione & applicatione in se verissimi: ita tamen ex iis, quæ supra de differente natura honesti, justi & decori diximus, patet, mala injusta non admittere electionem, at vero indecori & inhonesti non eandem esse rationem, præprimis intuitu non ejus, qui perpetrat indecora aut inhonesta, sed ejus, qui cum non possit impedire utrumque, tolerat saltim minus, quæ omnia communiter miscentur in communi applicatione regulæ: Non esse facienda mala. ut &c.* Canon celeberrimi Viri hic est: *Permittendum est malum, quoties majus ex ipsius impedimento oriretur.* Atqui hæc est ratio Leibnitii, quare à DEO malum permissum; quia minus conveniens fuisset, seu majus incommodum ortum esset, si absolute obstitisset: eoque hic mundus in quo permittitur malum convenientior est, non ob mala, sed ob incommodorum cum aliis comparatorum in diversis systematibus, paucitatem. *Monstrent saltim adversarii casum quo malum permittere licet, intelligent eo contineri regulam Leibnitii.* Si nolint ita Leibnitium refutare, aut hanc examinare causam, si

non

non inquisiverint in rationes, quibus permittere malum licet, indicio id erit infirmæ causæ. Plura non addo, quod integri in hanc materiam scripti libri me arbitrô sufficere possent. Non autem hæc superflua erant, quoniam cum Theologorum disertis verbis, & sententiis de præsenti causa nemo hactenus Leibnitii cogitata contendit.

DE APPLICATIONE PHILOSOPHIÆ

Secundum accessiones &c. In capite de CHRISTO *& quidem speciatim de* Omnipræsentia *Humanæ ejus naturæ.*

CAPUT VII.

§. 1.

AD considerandum hoc Mysterium summâ veneratione, precibus ardentissimis præmissis, accedamus oportet, ut nobis naturâ caligantibus cœlestem affundat lucem supremum in cœlis Numen (*a*): Quod scriptis in utramque partem editis de Omnipræsentia Christi ut hominis decertatum fuerit, nemo nisi litterarum plane expers, ignorat. Nostrum est indicare, an usum in ea lite præstet recentiorum doctrina Philos. nec ne? Præstruenda vero quædam ante sunt, quàm ad ipsum institutum pergamus.

(*a*) Controversiæ hujus historiam omnium plenissime tradit Exc. Dn. Pfaffius Cancell. Tub. in Hist. litter. T. II. L. III. p. 420. seqq. ubi &, *quid Chemnitius de Omnipræsentia carnis Christi senserit*, indicatur, addi potest David. Paræi methodus ubiquitariæ controversiæ

siæ contra Albertum Gravverum. Confer. Adrian. Baillet *des satires personales &c.* T. I. p. 361.

§. 2.

Quæstio est gravissima, *an corpus Christi queat esse Omnipræsens?* Celeberrimi Reformatorum Doctores pariter ac formulæ concordiæ Promachi, in eo consentiunt *tantum humanæ Christi naturæ ἀλόγῳ tributam esse, quantum sine contradictione fieri potuit*, & res creata ad summum capax fuit: Tum vero in diversa abeunt, quum quæstio est: num contradictionem involvat, *unum corpus esse præsens multis aut omnibus locis*, affirmantibus quæstionem Dn. Reformatis, negantibus formulæ concord. doctissimis patronis. (*b*) Quodsi igitur paulo distinctius per doctrinam recentiorum ostenderis, nullam habere locum contradictionem, si vel maxime corpus quoddam multis præsens locis statuatur: intelliges, hujus Philosophiæ non plane nullum esse usum.

(*b*) Ratio enim Dn. Reformatorum, cur negent *posse corpus esse omnipræsens*, non est, quia DEUS noluerit Christum hominem ulterius evehere, sed quia id contradictiorium putant, *ut finitum corpus ubique præsto sit.* Edidit Turretin contra Pfaffiũ dissertat. quâ ostendit, *contradictoria non debere credi*, eo interpretans Cancellarii hujus dicta, ac si per ἀκαταληπτὰ contradictoria intelligeret. Respondit vero Vir Celeb. in dissertat. *Num contradictoria proprie loquendo possint credi?* Accessit *Dan. Maichelii examen succinctum dissert. ab Alph. Turretino scriptæ contra Pfaffium &c.* Sum interim in ea sententia, ut credam, solutionem hujus quæstionis ad Philosophiam pertinere. Sermo enim, *num quid involvat contradictionem?* rationis est num

numquid vero ut existens revera credi debeat, pertinet ad Theologiam. Illa quæstio prælimin aris, hæc Theologica & capitalis. Vid. Menzerus in brevi consid. Theol. Photinianæ p. 345. Non igitur principia rationis immiscentur revelationi, ubi docetur ex Philosophia, hoc aut illud non esse absolute impossibile; sed consensus tantum ostenditur Philosophiæ cum Theologia. Quod si ita arguerem: *Corpus esse omnipræsens sine contradictione potest, ergo revera est Omnipræsens*, tum μεταβασιν εις ἀλλο γενος admitterem. Cum ex omnium mente *Theologia non sit contra rationem sed supra eandem*, quoties in applicatione hujus theseos generalis, ad specialis casus quæstio incidit; *num hoc dogma rationi adversetur, i.e. contradictionem involvat*? necessarium est ut ostendam ex ratione: quantus ejusdem cum Theologia, seu an consensus locum habeat? Si ex Theologia decisionem petas, semper caussabuntur Antagonistæ, *ipsas oraculorum citatorum interpretationes esse contradictorias, te petere principiü &c. posse eodem jure credi, Deum esse proprie Leonem, cum ita in sacris appelletur &c.* Nunquam proficies quidquam, nisi te contuleris ad examen rationis, *quid contradictorium sit, aut non sit*; nisi docueris, contradictionem non pertinere *ad idem, secundum idem, aut eodem modo &c.*

§. 3.

Qui, *num corpori πολυτοπία competere queat?* disputaturi sunt, eos lex methodi jubet, ut inquirant (*c*) quid præsentia sit? quid denique corpus? tum explicato utrimque subjecto & prædicato, judicari poterit, an istæ ideæ prorsus inimicis cornibus pugnent, nec ne? Cogitari sine *existentia præsentia* nequit; est enim *præsentia* nihil aliud, quam existentis ad aliud existens proximus respectus: de præsentia igitur sermonem fa-

cturis definienda eſt *exſiſtentia*. Ea autem ita à Recentioribus deſcribitur. (d) *Exſiſtentia eſt ſtatus eſſentiæ quo apta eſt ad agendum, vel patiendum.* Quicquid exſiſtit hoc charactere continetur, & viciſſim, quidquid hunc characterem habet, illud revera exſiſtit. Definitio itaque eſt genuina, cum definitionis nominalis ſit, exhibere characterem, uni, ſoli rei, & ſemper competentem. (e) Id quod neminem logicæ præceptis vel obiter initiatum fugit.

(c) Vid. Leibnitii Diſcurſ. de Harm. ration. revelat. §. 10. ubi monet, accurate prius decidendum eſſe, in quonam corporis natura ponatur, ſi de poſſibili ejus πολυτεχίᾳ quid ſtatuere in animum induxerimus.

(d) Vid. Bülffing. Dilucid. p. 257. §. 270. ne quis autem huic definitioni Scheiblerianam anteponat, quâ id exſiſtere docet, *quod ſit poſitum extra cauſas* Libr. I. cap. 15. §. 2. *Exſiſtentia eſt actus ſecundum quem res ponitur extra cauſas.* §. 184. velim obſervetur, non ſatis late patere hanc definitionem: Deus enim exſiſtit, nec tamen extra ullas ponitur cauſas. Itaque noſtra definitio præferenda eſt, maxime, quod nihil allegari poſſit, quod exſiſteret, nec tamen vel pati quid poſſet, vel agere. Tuto igitur huic ſuperſtruere licet.

(e) Mathematicæ methodo aſſueti diſtinguunt inter definitionem nominalem, & realem, alio ſenſu, ac auctor artis cogitandi, & Clericus in log. operibus Philoſ. præmiſſa P. II cap. 12. p. 111. ubi aut: *definitionem rei exponere, quæ rei natura ſit*, nominalem vero, *quam ſignificationem nomini cuipiam tribuamus*: Contra Leibnitius & Wolffius Mathematicos ſecuti, v. g. in log. Cap. 1. §. 138. p. m. 28. nominalem dicunt definitionem quæ characteres exhibeat, *quibus res definita ab aliis ſemper & in omni ſtatu diſtingui poſſit*: realem

realem vero definitionem adpellant eam, *quæ rei geneſin & ortum exprimat, quâ aliquid poſſibile ſit.* Nullus igitur dubito quin definitio exſiſtentiæ genuina ſit.

§. 4.

Cum in definitione exſiſtentiæ actionis & paſſionis ſit facta mentio, non alienum eſt, ad notionem explicatiorem præſtandam, indicare: *quid ſit agere? quid pati?* agere dicitur A. in ſe ipſo, quando ratio alicujus B, in A, obſervandi, neque ad hujus eſſentiam pertinentis, eſt in ipſo A. Si v, g. ratio deſiderii, quod in anima exſiſtit, eſt in ipſa anima, tum dicitur hæc agere, *actione immanente.* Contra agere dicitur A. in aliud C. ſi ratio alicujus, quod B. vocabimus, & ad eſſentiam C. non pertinet, continetur in A. Sic DEUS in creatas res agit, quia mutatio in illis orta rationem habet in DEO. Pati contra dicitur C. cum ratio alicujus B. in ipſo C. obſervandi, nec ad ejus eſſentiam referendi, continetur in A. Non eſt cur regeras, has definitiones parum ſufficientes eſſe, *quia in cauſa finali ſit ratio cur effectus prodeat, nec tamen cauſam finalem in effectum agere, niſi forte fuerit, ut cauſam efficientem confundere cum finali velimus:* nam *cauſa finalis non agit* adcurate loquendo, *ſed repræſentatio ejus*, eoque hoc dubium ad Rhombum facit nihil. (*f*)

(*f*) Vid. Wolff. Metaph. §. 104. p. 42. Eine Veränderung/ davon der Grund in der Sach anzutreffen/ die verändert wird, heisset man das Thun/ hingegen eine Veränderung/ davon der Grund in einer andern Sache/ als die verändert wird, anzutreffen, heisset man eine Leidenschafft.

Nota tamen hanc definitionem solum pertinere ad res creatas, nostram in Textu, ad omnes.

§. 5.

Expendimus, *quid sit exsistentia*? Præmonuimus quoque, præsentiam nihil aliud esse, quam proximum respectum exsistentis ad exsistens; Non ergo poterit, mea tenui sententia aliter præsentia definiri, quàm hôc modô: *Præsentia rei ad rem est status, cujus gratiâ res in rem aut agit aut agere potest, res à re patitur, aut pari potest, vel immediate, sine interventu ullius rei alterius, vel sine intercursu saltim plurium.* Demonstratio ita habet. Exsistentia est status agendi vel patiendi, præsentia vero est respectus exsistentis ad exsistens. ergo ipsa quoque est status, quô res in rem vel agere, vel ab ea sine interventu plurium pati potest. Sub operationis vocabulo complector illum quoque respectum, quô quædam res alias repræsentant. Ubi enim est status aliud repræsentandi, seu in id operandi immediate, vel operationes ab eo recipiendi, ibi est duarum rerum mutua præsentia. Qui aliter definiunt (*g*) infinitis implicantur difficultatibus. (*h*)

(*g*) Alii præsentiam definiunt barbara voce, *per adessentiam in loco s. spatio, sive per modum, secundum quem res dicitur in spatio.* Vid. Sauretz. disput. 51. Sect 1. num. 14. Non possum enim, quin tam exosos etiam Scholasticos in controversia maxime metaphysica citem. Sed quid est spatium? *an est receptaculum immensa ratione extensum, in quo res omnes collocentur?* Profecto talis conceptus, si quisquam alius, rationi summopere repugnat, quod primus animadvertit Leibnitius in Epistol. V. ad Clark. T. I. Recueil.

Recueil. p. 119. §. 62. seqq. Si enim in duas v. g. partes perfecte æquales mente dividam tale receptaculum, altera pars alteri erit perfecte similis, nec ullo momento discernenda, erunt igitur ambæ res una, iterato conceptu repræsentata. De ista una parte simile valet ratiocinium, & sine fine quidem, ut tandem spatium illud, seu receptaculum ad punctum mathematicum individuum revocetur, eoque nonnisi figmentum reperiatur mentis. Spatium igitur, aliter cum Leibnitio definiendum, *est ordo rerum quatenus existunt simul*, ubi nihil exsistit, ibi nullus ordo, nullum spatium. Vid. Recueil T. II. p. 139. Dum igitur Veteres *præsentiam* adpellant, *modum*, *secundum quem res est in spatio*, falluntur, receptaculum extensum ab omni re abstractum innuentes, sensus ergo definitionis eorum, si quis sit, hic nec alius esse potest: *præsentia est modus secundum quem res est in spatio. i. e. ordine rerum simul exsistentium.* Et quoniam res propterea exsistunt, quia possunt operari, aut pati, præsentia erit peculiaris modus secundum quem res exsistit, i. e. pati aut agere potest, in ordine rerum simul existentium, i. e. quæ pariter operari & pati possunt. Sic resolvitur Veterum definitio in nostram, quæ Wolffii est Physic. de finibus §. 27. p. 44.

(*b* Qui præsentiam concipiunt per ἀδιαςασίαν in spatio, illi rem præsentem ut spatio coextensam non possunt non concipere, erit enim res præsens vel spatii extensi punctum mathematicum i. e. *nihil nisi conceptus mentis*, vel physicum, i. e. *extensum minimum*. Inde fontes omnium difficultatum in compositione continui, & hâc quoque materia obviarum, oriuntur, quod spatii ideam formamus, tanquam extensi receptaculi partibus mere similibus constantis, quod est absurdum. Novi Theologos ἀδιαςασίαν ab operatione discretam præsentiæ conceptui tribuere v. g. *Gerhard.* loc. Theol. de nat. DEI p. 70 num. 115. ex reformatis *Turret. Theol. Elenchtic.* Loc. III. quæst. 9. § 8. p. m. 218. ex Scholasticis Fonsec. L. V. Metaph. c. 15.

c. 15. quæſt. 9. §. 4. Suarez. diſput. 30. ſect. 7. n. 14. diſp. 51. Sect. 4. 11. Scaliger. Exercit. 359. &c. Sed novi etiam, ubi ad caput rei perventum eſt, Theologos præſentiam Dei expanſivam negare, adeoque arcere conceptum ſpatii, quo evitato nulla ἀδιαςασία, quam quæ in operatione ponitur, ſupereſt; Novi Scholaſticorum argumenta aliter ſentientium nullo nixa eſſe fundamento. Scaliger. v. g. exercit. 359. fruſtra objicit: *non poſſe præſentiam conſiſtere in operatione, namque rem eſſe poſſe etſi non operetur;* petit enim principium: Accedit, quod ſi res non operetur, aliquid obſtet, quo minus id fiat, eoque facto ſaltim patiatur, quem alterum exſiſtentiæ characterem in creatis rebus dixi. Non poteſt igitur fieri neutrum, ubi revera quid exſiſtit. Pergit Vir ſubtiliſſimus: *Si angelus eſſet in ſuo ubi per operationem, non poſſet in eodem ubi aliam exercere operationem, ſed variata operatione, variaretur ubi. At hoc eſt abſurdum, quia Angelus ſine mutatione loci varia agere poteſt,* E. Facilis eſt reſponſio: Aliâ in angelo operatione *immanente* exôrta præſentia ejus ad res externas non variatur; Neque enim præſentiam ſtatu operandi *immanenti ratione* contineri diximus: ſed ubi alia operatio ab angelo in rem aliam ſuſcipitur, nec in unam rem operationes continuantur; fieri non poteſt, quin præſentiam muter ſuam. Quocirca Deus nullibi abſens eſſe poteſt, quia nusquam non in res creatas operatur. Frivolum eſt quod Vir acutus ſubjicit. *Deum eſſe in ſpatiis infinitis extra cœlum, nec tamen ibidem operari, præſentiam ergo operandi ſtatu ſaltim ſi Deum ſpectes, non abſolvi.* Spatium extra cœlum effictum eſt *nihil*, Deus vero non eſt in nihilo. Actuoſiſſimus eſt in ſe, ſi vel maxime nulla res adeſſet, itaque vere absque mundo exſiſtit, non tamen eſt vere præſens ſine mundo.

§. 6.

Quâ definitione obſervatâ duo extrema evitari poſſunt, alterum eorum, qui præſentiæ conceptu

ceptu præter repræsentationem, agendique & patiendi in & ab aliis rebus statum, nescio quam ἀδιαφασίαν distinctam complectuntur, cum ἀδιαφασία per illas rationes demum accurate & distincte cogitetur: Alterum Viri cujusdam eruditi Berolinensis, (*i*) qui *præsentiam rei actualem ejus ex propriis notis agnitionem esse docuit*, multa enim corpora sunt unâ, quorum neutrum distinguit alterum, multominus ab altero agnoscitur. Generatim observandum, quod potissima Metaphysices Scholasticæ incommoda in eo ponantur, ut ex copia divisionum laboret, fecundarum autem definitionum inopiâ maxime prematur. Sunt enim pleræque synonymis formatæ verbis, aut obscuris nihilque sonantibus. Prioris nævi exemplum est *præsentiæ definitio*. Dicunt Auctores *eam esse adessentiam rei in loco*. Sed adessentia est barbarum vocis puræ (præsentiæ) Synonymum. Cur igitur fumos vendunt Scholastici? Cur Synonyma obtrudunt, res difficillimas definituri? *adessentia* derivatur ab *adesse*, quæ autem quæso Synonyma sunt, si adesse & præsentem esse non Synonyma sunt? Similis ratio est vocis ἀδιαφασίας, quod idem sonat, ac *non distare*, *prope alterum stare*. Nova video vocabula rem ipsam charactere certo declaratam non video. Est hæc opportunitas Philosophiæ recentioris, ut res ipsas rimetur, cortici vocabulorum non inhæreat. Non id agimus, ut in philosophando copiam impetremus vocabulorum, sed ut rerum, vocibus designatarum, characteres distinguamus. Qui igitur affirmat præsentiam esse ἀδιαφασίαν ille vocabulo aliud synonymum substituit, rem ipsam non indicat aut exponit. Quocirca

circa ſi quis urget, ut in præſentiæ conceptu præter ſtatum in aliud vel operandi, vel ab eo operationem recipiendi, ἀδιαφοίαν complectar, is perinde agit, ac ſi poſtularet, ut præter citatos characteres in definienda præſentia etiam ceu diſtinctam conſiderarem ipſam præſentiam, non enim præſentia differt ab ἀδιαφοίᾳ niſi ſonô. Accedit quod ἀδιαφοίας vocabulum tacite notionem extenſi receptaculi, in quo res una ſtant, animo offerat, quâ ideâ ad conturbandos in hac doctrina animos nihil eſt accommodatius, peſtilentiusque nihil.

(i) Intelligo Chriſtian. Gabriel. Viſcherum Prof. Phy. extraord. in diſſert. *an ſpiritus ſint in loco?* p. 3. §. 8. ſatis obintempeſtive propalata Leibnitii dogmata infelicem. Maximum eruditi orbis decus Buddæus in Theol. dogmat. p. 1054. exiſtimat, *humanam naturam Chriſto non per ſolam operationem, & ſcientiam, h. e. prout omnia cognoſcit, & omnia ubique operatur, eſſe præſentem, improprie enim præſentem eſſe, qui ita ſaltim præſens ſit, nec cum communicatione naturarum hoc conciliari poſſe; quin potius Chriſti humanam naturam in ſe, & qua ipſam ſubſtantiam ſpectatam, omnibus rebus creatis actu præſentem eſſe.* Sed ſi calculos recte ſubduco, in ſubſtantia corporis cujuslibet, eoque etiam corporis Chriſti nonniſi duo, aut tria attendi poſſunt: *vis agendi*, de qua in anteced. *extenſio*, & ἀντιτυπία ſeu vis inertiæ. Extenſionem ſi ſpectaveris non eſſe poteſt ſecundum eam Corpus Chriſti omnipræſens, fatente id integro Theologorum choro, qui expanſivam præſentiam negant, & pernegant: ἀντιτυπίας eſt ratio ſimilis, neque enim ubique reſiſtit corporibus cæteris gloria cœleſti veſtitum Chriſti corpus. Ergo in ſubſtantia corporis Chriſti nihil remanet, quam vis agendi: quæ cum divina τῦ λογȣ perſona-

sonaliter unita ubique est, quia omnia in omnibus operatur. Qui ergo *quoad immediatam operationem* praesens undique est, is & *quoad substantiam* vere praesens est, una alteram involvit.

§. 7

Existentia est status essentiæ quô quid agere aut pati potest. Praesentia autem est duorum pluriumve existentium status, quorum alterum in alterum sine intercursu aliorum saltim plurium agere potest, vel & pati; Ergo ab operatione ad praesentiam non praebetur transitus longus. (*k*) Errant propterea, *qui actionem dari putant in loca distantia*; (*l*) Eorum sententia distincte evoluta tam rationi dissentanea est, ac si quis contenderet: posse eandem rem uno eodemque respectu & tempore agere & non agere: agere quidem ob hypothesin, quam fingunt, operationis in distantiam, non agere vero, ob hypothesin absentiæ, seu negatæ praesentiæ i. e. illius status, quo quid in alterum sine aliorum interventu operari solet. Quodsi haec idea semet ipsam non destruat, non intelligo, quid tandem contradictionem involvat. Cognoscitur ex definitione porro, quomodo alterum altero propius, aut, ut ita loquar, praesentius sit? Quo pauciora aut plura intercurrunt ut unum possit in aliud agere, eo propius aut remotius alterum est ab altero. Si unum agat immediate in alterum, alterum in tertium, tertium in quartum: tum quartum non tam praesens est primo, aut vicissim, ac primo quidem solet esse secundum. Ne dicas, *posse vinctum catenis in carcere non agere in Carnificem licet praesentem:*

tem: tenue eſſet hoc dubium: Qui enim agere in Carnificem non poteſt, pati tamen poteſt: ut omittam, radios à corpore vincti reflexos Carnificis oculos afficere, effluvia è corpore Captivi exeuntia protrudere aerem, hunc autem in Carnificis corpus actum id contingere &c.

(*k*) Quæ Leibnitii obſervatio eſt in Diſcurſ. de Harm. rat. revelat. §. 19.

(*l*) Ita ſentit Newton. Vid. Recueil T. I. pag. 79. 144. §. 118. p. 196. Animum forte ſubit, *ſi inter duo corpora unum duntaxat paſſum diſtantia, omnia alia tollerentur, per quæ alterum in alterum agere poſſet, præſentiam quidem utriusque mutuam remanſuram, ſine tamen mutua actione aut reactione:* Sed abſurdam hypotheſin, quæ nexum creaturarum interrumpit, inepram concluſionem patere, mirum non eſt. Quid? quod eo caſu vis certe agendi, aut patiendi facultas ſine interventu plurium, locum habitura eſſet, licet exercitium ejus majore vi ſufflaminaretur, id vero ad ſtabiliendam præſentiam ſufficit.

§. 8.

Cum præſentia ſit ſtatus rerum, quô in ſe mutuo agere poſſunt, aut pati ſine aliarum interventu: facile intelligitur, quomodo reliquæ ſpecies aut claſſes præſentiæ definiri poſſint. *Omnipræſentia eſt ſtatus quô ens ſupremum omnes omnino repræſentat, easdemque potentiſſimo concurſu animat, dirigit, moderatur, gubernat.* Quæ actio Dei in res omnes longe conſummatiſſima eſt, nulla reactione creaturarum limitata, nulla paſſione interpolata, quem exiſtendi modum Scholaſtici vocant *actum puriſſimum*. Succedit alia *præſentiæ claſſis, quæ ſpiritibus competit*; illi enim præſen-

sentes dicuntur; ubi operantur, operatio autem eis nulla alia competit, quam intelligendi, & adpetendi; sunt igitur præsentes, (si nulla corpora regunt) illis rebus, quas distincte repræsentant intelligunt, & circa quas aversando & volendo versantur. Noli ideam ἀδιαστασίας immiscere, ne idem per idem explices, quasi diceres: *Spiritus præsentes sunt, ubi ἀδιάστατοι, i. e. ubi præsentes.* Ita Paulus, *quanquam*, inquit, *corpore non sim præsens, animo tamen vestris rebus interfum, non sine lætitia considerans & ordinem sacrorum, & fidem in* Christum Coloss. 2, ℣. 5. Non est, cur hanc præsentiam improprie adpellatam accuses: quod si enim Angelos animasque post mortem ab omnibus plane corporibus separatos statuas, nulla in eos præsentia cadere potest, quam talis. At alia ratio est, ubi & angeli subtilissimis corporibus regundis (*m*) præsunt.

(*m*) Ita certe sentit Leibnitius Recueil. T. I. p. 119. §. 61. & alibi.

§. 9.

Naturali præsentiâ porro ibi præsto esse dicimur, ubi res præpræsentant sensus nostri, *auditus, visio, tactus, gustus & olfactus*, atque etiam ubi à rebus adficiuntur, unô verbô: *ubi sensus operantur & patiuntur.* Intelligitur ergo quomodo quis corpore possit esse his rebus præsens, animo autem absens, uti de se Paulus loquitur 1. Cor. 5. ℣. 3. Illis nimirum rebus corpore interfumus, quas sensus repræsentant, quibusque afficiuntur, illis autem animô, de quibus cogitamus, non

clare tantum, ſed & diſtincte, ſeu, ſi mavis, quas intelligimus & meditamur per partes. Præſentia beatorum poſt reſurrectionem poſita erit in ſenſuum gloriâ cœleſti veſtitorum repræſentatione, ex quo decidere litem poſſumus: *num vita æterna locum certum arguat an tantummodo ſtatum?* (n) quod ulterius explanarem, ſi inſtituti ratio poſceret.

(n) Quid inter nonnullos Scholaſticos & Theologos quoque de hac re diſputatum ſit, neminem temere præterit. Becanus Pontif. *Cœlum empyreum vitæ æternæ locum eſſe docet*: de purgat. Calvin. in append. c. 1 n. 3. p. 44. Lampad. cenſ. ubiquit. pag. 76. idem ſentit Magiſter ſentent. L. II. diſtinct. 2. Urſinus in compend. doctr. Chriſt. p. 325. Sohn. diſp. de creat. T. 1. op. p. 114. vel unica loci diſtincta notio lites omnes ſuſtuliſſet. Sed manum de Tabula.

§. 10

Divina præſentia ſuis gradibus diſtinguitur. *Primus* gradus eſt præſentiæ generalis, per quam DEUS omnia regit, moderatur in cœlo & terra Hebr. 1. ℣. 3. *Secundus* gradus eſt præſentiæ gratioſæ, per quam DEUS in cordibus credentium habitat i. e. novos motus accendit Joh. 14. ℣. 23. *Tertius* gradus eſt præſentiæ glorioſæ, ob quam Angelis & electis ſuam DEUS gloriam conſpiciendam præbet Joh. 17. ℣. 24. *Quartus* denique gradus præſentiæ hypoſtaticæ, per quam totum divinitatis πλήρωμα in Chriſto homine habitat, i. e. ineffabili modô cum carne Soſpitatoris unitum per & in ea omnia in rebus creatis agit, conſervat, dirigit & arbitratur. *Quæ ſunt* (o) *divinarum operatio-*

rationum species, tot gradus præsentiæ DEI constitui possunt.

(o) Verba sunt Joh. Gerhardi *loc. Theol. de nat. DEI* num. 119. p. 71.

§. 11.

Cùm ea sit præsentiæ natura, ut operandi & patiendi statu contineatur; perspicuum est, quam necessarium sit, ut hinc spatii cujusdam extensi præsentibus rebus substrati notio longissime arceatur, nec distantiæ cujusdam fiat (p) mentio, in qua res rei vel adpropinquatur, vel ab eadem removetur; namque is conceptus ad res divinas translatus receptaculi, in quo res præsens sit, expansi ideam animo offert, quæ innumeros cogitandi labyrinthos recludit. Hac inducti ratione saniores Theologi omnes inde à Christo nato ab his conceptibus abstinere jusserunt. Nescio tamen, qui fiat, ut hoc imaginationis phantasma, furcâ licet expulsum in gravissimis tamen controversiis, vel nihil tale opinantibus obrepat? Digna sunt verba Augustini quæ h. l. recenseantur: (q) *In eo quo DEUS dicitur ubique diffusus, naturali resistendum est cogitationi, & mens à corporeis sensibus avocanda, ut quasi NB. spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur, omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quàm in toto, sed ita potius, sicut est magna sapientia etiam in homine, cujus corpus est parvum, & duo si sint sapientes, quorum alter sit corpore grandior, non est illa in majore major, in minore minor, aut minor in*

uno quàm in duobus &c. tandem claudit: *absit ut quod potest in se qualitas creati corporis, non possit in se substantia Creatoris.*

(p) Distantia & ἀδιαστασία sine spatio extenso cogitari nequeunt, animo enim offerunt longitudinem, quæ certis pedibus designata distantiam metitur. Longitudo autem omnium consensu extensionis modus aut species est. Hinc tam solicite curavit Leibnitius, ut, exsiccatis his difficultatum fontibus, aliam distinctiorem spatii notionem exhiberet. Vellem ut lectores haud gravate Epistolas ejus ad Clarkium cum summa adtentione legerent: Quæ enim ibi de spatio probavit heic supponuntur. Sæpe miratus fui, cur his notionibus in describenda DEI præsentia uterentur eruditi, nec tamen alia occasione in rectam viam non redeuntes ideam præsentiæ divinæ expansivam cavendam, rectissime & peropportune dicerent. Audiamus Braunium in doctrina fœderum p. 160. §. 12. ita differentem. *Non possumus concipere Omnipræsentiam DEI, nisi per ejus operationes, cum omnia creet, & conservet, & quidem per essentiam, quandoquidem essentia DEI est maxime actuosa, immò actus purissimus. Certissimum est Deum in omnibus creaturis, sive sint spiritus, sive corpora, potenter operari. Cum autem operetur per voluntatem DEI: & voluntas sit ipsa essentia, sequitur eum operari per essentiam, eoque rebus omnibus per essentiam esse præsentem.* Multis etiam verbis antecedentibus disputat contra ideam extensionis i. e distantiæ. Occupatur his verbis quoddam dubium: Erunt forsan, qui dicent: *stante hâc sententiâ præsentem Deum futurum, non secundum substantiam, sed solum juxta potentiam & operationem, quod saniori doctrinæ repugnet.* Dixi autem in antecedentibus § 7. hujus cap. inter operationem rei ejusdemque substantiam nullum ambigere intervallum: respondet hic etiam Braunius: substantiam DEI nihil aliud esse quam ens actuosissimum. Quodsi igitur per operationem præsens est, præsto quoque est per substantiam, *ipsa enim ejus substantia est infinita vis agendi.* Examina

quæso

quæso, quid in substantia distincte cogites, si à vi agendi immensa cogitando discesseris: profecto nihil aliud quàm *un je ne scai quoy*. Cur vocibus nihili delectamur dudum à Clerico in arte critica explosis? Redi in memoriam definitionis, quâ exsistentiam explicui, non poteris non fateri, per & propter operationem substantiam alicubi esse, est enim secundum recentiores *substantia nihil aliud quam vis agendi*, radix vitæ & actionum, fons operandi, ex quo actiones derivantur.

(q) Verba sunt Augustini de præsentia DEI ad Dardan. c. 4. notionem igitur spatii in doctrina divinæ præsentiæ summo improbat opere Ven. Præsul.

§. 12.

Disceptatum fuit inter summos Theologos Saxones & Tubingenses: *an præsentia Dei ab operatione ejus sejungi queat?* (r) *potueritne humana Christi natura ante statum gloriæ præsens locis omnibus esse, abdicata omni in res creatas operatione, earumque regimine tantisper prorogatô?* Affirmantibus quæstionem Saxonibus, negantibus qui Tubingensium Parnasso præsunt. Si eâ, quâ par est modestia, quid sentiam, exponere liceat, dicerem, operationem à præsentia tam non posse divelli, quam definitio à suo definito separari nequit; alterum altero explicatur. Præsentia à vi operandi in hoc aut illud, differt ut *obscure cognitum à cognito distincte*, ut character à re charactere donata, ut definitio à re definita. *In quodcumque aliquid operatur, ei etiam est præsens.* Si præsentiam distinguendam contendas à vi operandi, etiamsi non *materialiter, formaliter* certe, charactere peculiari opus est, qui in præsentiam cadat, non cadat in vim operandi. Sic v. g. alius character est, quô discerno Dei omniscientiam, alius, quo cogito æternitatem, alius, quô voluntatem

tem &c. Atqui nullam te allegaturum præstabo. Num provocabis ad ἀδιαφασίαν? Synonymum pro charactere obtrudes, verba dabis pro conceptibus. Quomodo concipies ipsum, *quod non distat*, an ut punctum in spatio, an ut magnitudinem extensam? credo te eo non deventurum. Num forsan τὸ ἀδιάφορον ut quoddam existens cogitabis: quæro ex te *quid sit existere*? eo enim explicato facilis conjectura erit, quid sit præsto existere, i. e. esse præsentem. Non poteris sine gravissimo incommodo aliam definitionem existentiæ adoptare nisi nostram, quâ agnitâ, nobiscum præsentiam per vim operandi in hoc aut illud definies. Quod nullum peculiarem characterem præ altero habet, id ab eo distingui non debet, nec *formaliter* quidem. Cum igitur præsentia ita comparata sit, ut vim operandi in hoc aut illud, mente sejungentibus nullum ulteriorem characterem offerat: oppido intelligitur, (s) differre vim operandi à præsentia tanquam distincte cognitum ab eôdem cognitô obscure.

(r) Notissima est controversia ante hos centum, & quod excurrit, annos agitata. Prostant Thummii in hoc negotio scripta, v g *assertio sanæ & orthodoxæ doctrinæ* 1611. Kurtzer Bericht etlicher streitiger Fragen, über der Gegenwart des Menschen Christi 1625. Amica admonitio super decisione Saxonicorum. *Ex altera parte Apologia Saxonum* Lipsi. 1625. & quæ primo loco fuisset nominanda, *decisio ita nominata* 1624.

(s) Ex male formata præsentiæ divinæ idea, cum distingueret præsentiam ἀδιαφασίαν à vi in omnibus operandi, eo delapsa est Heshusii, ut negaret Omnipræsentiam carnis Christi ex Scriptura probari posse. Vid Melchior Adam in Vitis Theol. p. 622. Micrælius in syntagm. Hist Eccles. p. 867. Quenstedt de Patriis Viror.

Vitor. Illustr. p. 622. de Heshusio sequentia memoriæ prodidit. *Ante librum Concordiæ defendit Omnipræsentiam carnis Christi, postmodum vero non tam ipsum in libro concordiæ de Majestate Christi hominis doctrinam, quàm præconceptum cerebri sui idolum impugnavit, talem sc. Omnipræsentiam, quæ substantia carnis Christi, sit localiter, extensive, diffusive & objective in omnibus creaturis, cum qua portentosa ubiquitate nostris Ecclesiis nihil quicquam fuit commercii.* Vid. Micræl. syntagm. Hist. Eccles. p. 758. de Melchiore Adamo, qui Heshusii vitam dedit vid. Acta Erudit. Lips. mense Junio 1684. p. 288. Pronô alveo illa consequentia, *quod Omnipræsentia Christi sit localis*, fluit ex distinctione inter ἀδιαφορίαν, & vim operandi. Nam prior, ubi à posteriori discesseris, nullo charactere discerni potest, nisi *universali diffusione*, quæ à re nulla distat. Si hunc characterem non admiseris, nullum habes, eoque de re affirmas & negas aliquid, quam non nôsti. Perinde ac si calculum subducere institueres ex numeris nondum perspectis. Cur negas præsentiam in operatione quærendam, cum præsentiæ quà talis peculiarem, diversumque à vi operandi characterem allegare non possis, synonyma tantum obtrudendô?

§. 13.

His præstructis propius ad ipsum institutum accedimus. Exposuimus quid præsentia sit, monuimus dari varios præsentiæ modus aut gradus §. 10. Intelligitur ergo alium præsentiæ modum non everti ab alio. DEUS generali præsentia præsto est ubique; conservat enim res creatas omnes ad earum actiones universas & singulas concurrit &c. eoque sensu *metaphysico*, non *physico* terram cœlumque replet. Jerem. 23. ℣. 24. Contra hâc præsentia non obstante DEUS *determinate* hîc potest

reſt eſſe, nec eo modo alibi, i. e. ſingulari operatione, ut DEUS hanc rem creatam afficiat, nec aliam, nihil omnino impedit. Falleretur oppido, qui ita argueret: *Qui alicubi eſt, nec alibi, is non poteſt eſſe ubique; altera enim idea deſtruit alteram. Altera arguit finitam præſentiam, altera infinitam, non poſſunt itaque in idem ſubjectum cadere ambæ præſentiæ:* Erraret, inquam, qui ita ratiocinaretur: diverſitas enim modi diſſipat nebulas, & metum contradictionis atrum. Novimus DEUM *ita in vento fuiſſe certa ratione, ut eadem non fuerit alibi* 1. Reg. 19. ℣. 11. Nemo tamen dixerit, DEUM eo caſu deſiiſſe eſſe omnipræſentem. Fuit igitur abſens & præſens idem DEUS eôdem tempore, ſed intuitu diverſo, quo omnis ideârum pugna amiciſſime componitur.

§. 14.

Expendimus, ni fallor, diſtinctius judicandæ propoſitionis: *num corpus Chriſti poſſit eſſe omnipræſens*, prædicatum: Nunc in eo eſt, ut & ſubjecti notiones præſtemus explicatiores. Tria in quolibet corpore diſcernimus, *materiam* (*t*) ſive multitudinem quæ componitur: *eſſentiam* compoſiti, ſive modum materiæ diſponendæ, & varie formandæ, denique *naturam*, ſive fontem mutationum, ſ. operationum, i. e. vires motrices. Huc accedit quarto *determinatus modus cæteris rebus coexiſtendi, qui locus* (*u*) *adpellatur.* Unum horum perfectionem arguit, tria reliqua perfectionis limitationem. Multitudo compoſitorum, ſeu materia, rerum finitarum indicium eſt; non enim cadit in ſubſtantiam immenſam,

quæ

quæ prorsus unica, uti supra docuimus. Si quid perfectionis multitudo, qua talis, innueret, à Deo aliena non foret, quippe qui omnes omnino Perfectiones complectitur. Similis ratio est *essentiæ* corporis, quæ in *modo compositionis partium* collocatur. Ubi partes ibi res finitæ, ubi partes hôc aut illo modo dispositæ, hoc aut illo modo vim suam in se mutuo, movendô, cohærendô exercentes, ibi oritur *determinatus reliquis rebus coexsistendi modus* i. e. *locus*, eoque & hic limitum in rebus filius est. Alia ratio est virium corporis motricium, quæ perfectionem involvunt, & per multitudinem seu distinctionem, quâ partes exhibent, limitantur. Ponunt illæ vires aliquid in rerum natura, non limitant, ut limitat multitudo partium i. e. materia, ut compositio partium, i. e. corporis essentia, ut determinatus exsistendi modus, i. e. locus. *Omnis* autem *perfectio in consensu variorum ponitur*; Ergo hac parte nihil obstat, quo minus vires Dei immensæ cum his conjungantur, corpusque, omnia per id operandô in omnibus, sistant omnipræsens.

(*t*) Vid. Wolff in Metaph. cap. 4. §. 626. Bülffing. de Harmon. præstab. p. 30. sub nota (*s*)

(*u*) Ita locus à Recentioribus definitur. v. g. Thumigio p. 52. §. 50.

§. 15.

Admodum subtili discursu hactenus utendum erat: Sed prima cognitionis humanæ stamina, & lineamenta non referunt unquam crassos conceptus, ad instar funium navalium, vel à Rusticis palpandos. (*x*) *Unitas oritur, si A. in locum B. sub-*

ſtatuto ne tantillum quidem diſcriminis adparet. (y) Unio hinc adpellatur actus, ſeu ſtatus, quò alterum cum altero in tertio quodam unitatem refert, aut unum evadit. (z) Sic corpus & anima humana uniuntur, quia conflant unum quoddam, ſc. hominem; ſic duo aſſeres conglutinati in tertio quodam unitatem exhibent, conſtituendô unam menſam; ſic eruditio cum literato conjuncta ideo eſt, quia fiſtit tertiam unitatem ſc. Doctum, Si tenuia hæc videntur accipe exemplum grave. Sic λόγῳ cum carne unitur, quoniam in tertio quodam i. e. in perſona λόγε caro & divina natura ſunt unum.

(x) Vid. Præfationem Wolffii ad germanicam epiſtolarum Leibniti & Clarkii verſionem à Kœhlero editam, ubi obſervat, fundementa cognitionis ima tandem in ſubtiliores conceptus reſolvi pag. 2.

(y) Hæc eſt unitatis definitio à Wolffio in Metaph. tradita §. 17. p. 8.

(z) λόγῳ & caro & uniuntur, quia in tertio quodam unum ſunt, tertium autem illud non demum per compoſitionem conflatur, ut ex anima & corpore fit quoddam tertium, homo. Sed revera idem eſt cum ipſo λόγῳ, *neque enim Chriſtus tertium quiddam eſt è duabus ſuis naturis*, nec perſonalitas ejus demum, ut per corpus & animam, oritur, ſed jam ante compoſitionem ſupponitur. Dico hæc propter Liberium de Sanct. Amore in Epiſtol. p. 4. ubi ita diſſerit. *Cum perſonalitas ſit mera denominatio externa, ſi verbum in ſe conſideretur, utique perſona eſt, quia ad nullius rei compoſitionem concurrit: ſed ſi ſpectes quatenus unitum eſt cum humanitate, perſona non eſt, quia ad perſonæ θεανθρώπε conſtitutionem cum humanitate concurrit: erit ergo, inquies, ens incompletum, fateor eo reſpectu, nec id ullam divinitati imperfectionem adſpergit &c.* Putat igitur perſonam θεανθρώπε eſſe

esse tertium quid, resultans demum ex compositione, quod cum Theologis recte improbatur.

§. 16.

Nunc gravissima quæstio examinanda erit: *An corpus Christi queat esse omnipræsens?* Corpus omne, quod paulo ante cognovimus, viribus agendi præditum est, sed limitatis per multitudinem, quæ phænomenon materiæ, & per variam determinationem, quæ phænomenon compositionis exhibet. *Omnipræsentia est status operandi omnia in omnibus creatis, si corpus esset omnipræsens, non haberet amplius vires operandi limitatas, quod est contradictorium. Quod enim in omnibus operatur, non operatur in hoc aut illo genere tantum.* Ita tibi videtur Dn. Reformatorum sententiam secuto, mihi non ita, quoniam ex antecedentibus contrarium eluceſcit. Annon probavi, DEUM omnia operari in omnibus, eoque non obstante operari etiam singulari ratione tantum in quibusdam, exclusis cæteris, eoque *omnipræsentem esse, & uni tantum loco præsentem*, diverso respectu? An id impossibile foret, an contradictionem involveret? Atqui similis est ratio corporis Christi: potest esse præsto uni loco, limitatâ præsentiâ, quam habet ex humanæ naturæ vi, & tamen iterum omnibus (*aa*) locis præsens præsentia λόγου, quam per unionem habet, eoque diversus intuitus ideas in speciem adversas amicissime conciliat. Quidquid huic dogmati objeceris, objectum etiam esto priori, quod ne Tu quidem vocare in dubium audes.

(*aa*)

(*aa*) Sententia de possibili omnipræsentia corporis Christi non Lutheri demum tempore aut ab ejus basiatoribus fuit excogitata. Leo de incarnat. necess. serm. 8 *Utrique naturæ*, inquit, *in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quidquid est ibi DEI, non sit ab humanitate disjunctum, quidquid autem est hominis, non sit à Deitate divisum*, Hugo de S. Victore L. II. de Sacram. Part. VIII. cap 11. *Quomodo corpus Christi unum eodem tempore in diversis locis esse potest? hic est, ibi est, & totum ubique est, & in multis locis similiter. Noli mirari qui locum fecit, corpus fecit & locum in corpore, & corpus in loco. Qui, ut unum corpus in uno loco esset, fecit sicut voluit, & si voluisset aliter facere potuisset.* Ipse Forerus acerrimus omnipræsentiæ hostis in bello ubiquit. p. 173. citat locum ex Episcopo Roffensi: *neque enim sequitur: potest per operationem DEI corpus aliquod ubique esse: Igitur ita est de facto: neque enim Deus ad effectum producit, quidquid potest:* At neque Theologi ita colligunt. Ipsum factum ex sacris litteris probare instituunt, τὸ δυνατὸν autem testimoniis aliorum & rationibus probant. Adde quæ apud Bellarminum L. III. de Christo c. 1. paragrapho qui his incipit verbis (*auctor hujus &c.*) Stapulensis in eandem sententiam disputat, citata etiamà Coccio T. I. Thesaur. L. II. artic 2. Pertinet huc suo modo sententia Poinetti Episcopi Angli qui in Diallactic. fol. 81. his verbis utitur: *Vident substantiam à nobis præsentem affirmari, & communionem nostram cum Christo naturaliter, & ut ita dicam, substantialiter prædicari, sed has voces ut Theologi loquuntur, intelligi oportere.* Ostendit etiam Johannes Cosinus Episcopus Dunelmensis Histor. transubstant. Papal. cap. II. num. 4. p. 9. seqq. ducuisse *Poinettum, Evchariſtiam non solam figuram esse corporis Domini, sed etiam ipsam veritatem, naturam ac substantiam in se comprehendere.*

§. 16.

§. 16.

Naturali præsentiâ homo illis rebus interest, quas sensus sive ordinarii, sive gloria vestiti divina repræsentant, & in quas agere solent; atqui hæc præsentia non tollitur, etiamsi corpus per aliam vim personæ, quâ sustentatur, immensam omnia repræsentet, & omnia operetur. Dicis: *omnia operari & repræsentare, & quædam operari ac repræsentare sunt ἀσύμβατα.* An est quæso ἀσύμβατον ut DEUS in rebus creatis omnibus operetur & tamen in solis etiam renatorum animis? *Non est*, inquis. Cur autem quæso? *diverso respectu diversa DEO potest competere operatio eoque præsentia.* Tibi hoc quæso responsum putato. Corpus igitur & Christi per naturam suam potest operari in quibusdam, sensibusque suis repræsentare tantum aliqua, i. e. *actu naturæ* esse uni Cœlorum loco præsens: at etiam aliô respectû idem corpus per immensam λόγου cum quo conjunctum est, vim operari omnia, i. e. ex mea definitione esse omnipræsens. Ubi est illa contradictio, quam tantopere urgebas, ob quam adeo adversarios reprehendebas? Nondum probasti ullam.

§. 17.

Nunquid in corpore est, cui omnipræsentia repugnet? tria allegavi, quodnam illorum omnipræsentiæ repugnat? an vires agendi? atqui eæ perfectionis numero habentur. Tu vero nosti, nihil obstare, nisi forte limitationem, quominus perfectio perfectioni exacte consentiat. *Hoc ipsum est,*

est, inquis, *quod volo. Obstat igitur limitatio virtutum agendi in corpore, quo minus omnia in omnibus agere, eoque omnipræsens evadere queat.* Triumphas ante victoriam; si limites corporis tollerentur, & ipsæ vires ejus agendi eveherentur in immensum, *diversa numero exortâ corporis præsentiâ*; tum haberes, quod exprobrares: duæ enim exsisterent omnipræsentiæ, corpus desineret esse finitum *qua est corpus*, non sine absurditate summa. (*bb*) At nôsti eo non spectare sententiam, quam impugnas. Corpus Sospitatoris omnipræsens est, non qua corpus, sed quà cum λόγῳ persona conjunctum, *eâdem numero omnipræsentiâ. At enim sic non corpus tibi, sed* λόγος *cum corpore omnipræsens videtur: ita in* λογομαχίαν *tandem litem tantam evanescere non sine risu exclamas.* Sed intempestivo sane risu! Jubeo te redire in memoriam *unitatis & unionis*, quam consulto in antecedentibus definivi præsagiens hæcce effugia. An humana Christi natura persona est seorsum considerata? *Non est* ais. habetne igitur alienam? *sustentatur omnino*, hoc enim verbo uteris (*cc*) *à persona τῦ* λόγῳ. Ergo caro unita est, quia cum persona λόγῳ unum exhibet σύνθετον, quid autem est λόγος, cum quò caro una est persona composita, quam immensa vis operandi? Non potest igitur hæc non in & per carnem semet exerere. *Qui autem*, inquis, *vis loco alligata finito consisteret non absorpta cum immensa vi agendi?* quæro & ex Te, ratione simili: quî fieri potest, ut operatio DEI in omnibus rebus non absorbeat determinatam actionem in cordibus fidelium? i. e. Cur non gratiosam DEI præsentiam everteret tam late per omnes res creatas patens

patens præsentia? *forte immensa illa præsentia est sejuncta à definita DEI in credentibus operatione, forte non DEUS, sed alia vis in corde credentis semet exercet saltim cum DEO?* sequor ratiocinando dubium tuum. Quis autem illud adprobaverit? Annon idem DEUS, qui in omnibus operatur, operatur & in quibusdam fidelibus, *illinc ex natura*, hinc ex *singulari gratia?* Cur vero non etiam idem corpus in omnibus posset operari, nec tamen non etiam in aliquibus solis, *illinc ex gratia unionis, hinc ex natura corporis?* Ecce instantiam discursûs tui sororem, sed fratricidam!

(*bb*) Plane incommoda est eorum sententia, qui diversâ numerô omnipræsentia corpus Christi ubique esse contendunt. Altera enim non posset non esse *expansiva*. Vid. Budd. Theol. dogm. L. IV. cap. 2. p. 1055. ubi Vir summus hanc sententiam improbat.

(*cc*) Turretini verba in Theol. Elencht. Loc. XIII. quæst. 8. §. 24. p. 356. hæc sunt: *Assumtio naturæ potest consistere absque communicatione hypostaseos, sufficit sustentatio hypostatica, ut natura humana, quæ in se est ἀνυπόστατος fiat ἐνυπόστατος λόγῳ & ab eo sustentetur* Negant igitur communicationem hypostaseos, sustentationem duntaxat admittentes.

§. 18.

Non esse impedimentum, quod obstet, quò minus corpus queat esse præsens omnibus locis, intelligitur per modo explanata; non præterundem tamen est & hoc: omnipræsentia est potentissima in omnibus rebus operatio, earundemque repræsentatio distinctissima. Operari dicitur A. (ut supra adnotatum §. 4. hujus capitis) in B. si ratio cujusdam C. in B. observandi, nec

nec ad hujus essentiam pertinentis, reperiatur in A. *causa finalis igitur non agit, sed ejus repræsentatio.* Quodsi Christi humana natura non est omnipræsens, non operatur nisi in Cœlo in certa objecta, quousque vis agendi extenditur. Cum ergo sanguine humanæ Christi naturæ in regno gratiæ redimi, emendari, mundari dicuntur homines; ratio istius rei non est in operatione sanguinis, & humanæ Sospitatoris naturæ, sed in divina sanguinis repræsentatione quærenda. Clarius: *non ipsa actio sanguinis Christi nos mundat*; aliter enim, per definitionem, nobis foret præsens: sed DEUS nos mundat, servat, restituit, *intuitu sanguinis & præsentis humanæ naturæ Christi.* Quo pacto sanguinis & Christi hominis præsentia non *realis*, sed *moralis* solùm est, minime diversa à V. T. modo præsentiæ, ubi Spiritus intuitu futuri sanguinis corda fidelium perpurgabat. (*dd*)

(*dd*) Ne quis objiciat, ex recentiorum mente futurum, ut anima non sit præsens corpori, in quod physico influxu haud agit: Rogo ut Benev. Lector actionis & passionis definitionem § 4. hujus capitis traditam expendat, intelliget hoc sensu & animam in corpus agere & vicissim, quod ad præsentiam constituendā & definiendam sufficit. Vid. Monadol. §. 52. Adde quod hic de operatione DEI loquamur, quæ & corpus & animam omnium consensu potest afficere. *Alterius in alterum actio idealis nititur naturâ, actio autem moralis ejusdam absentis in rem, per aliud præsens, nititur consensu.* Ænigmata loquor, pro iis, queis curæ est hæc objectio.

§. 19.

Unio moralis est, *cum plures fiunt unum consensu ultroneo.* Ex ea fluit præsentia moralis, cum

cùm non ipsum A. agit in B. sed quum C. agit in B. intuitû τῦ A. Sic Rex *morali præsentiâ* præsto est subditis cunctis per amplissimas terras diffusis propter magistratus subordinatos, qui intuitû ejus agunt omnes. Quem fugit Clerici sententia, *(ee)* qui unionem λόγε & carnis in Christo moralem fecit? ita ille: *DEus non potest aliter uniri cum spiritu creato, quam consensu unicum totum componendi cum eo, adeo ut utriusque proprietates & actiones & creaturæ passiones toti composito tribui possint.* Credit igitur Vir Doctissimus, carnem Christi non operari in rebus creatis omnibus, sed λόγον intuitu carnis, cum qua pactum iniit, ut quidquid ageret λόγος, imputaretur carni. Necessarium igitur est, ut acutissimi Dn. Reformati suam ab hac separent, quæ nonnihil suspecta est: Si dixerint, carnem & sanguinem Christi Joh. 6. ℣. 54. seqq, non operari ipsa in gratiæ regno hujus terræ, sed λόγον intuitû eorum, stabilient *unionem* cum Clerico *moralem*, ex definitione modo data, moralem, *inquam*, præsentiam, & unionem, exceptô solô istô, cui Christus in cœlis interest, angulô, *ubi unio realis* cum *præsentia maneret reali.* Si dubitas, cogita definitionem *unionis moralis.* Qualis est unio λόγε *his in terris* cum carne? an personalis? atqui caro non est in terris, unio autem sine alterutro extremo concipi non debet. Ergo unio est ejusmodi, ut λόγος in Terris intuitu carnis absentis, cœlo autem præsentis agat, & ob voluntatem & meritum absentis. Ea autem unio ex definitione moralis est, saltim in hac Terra. Idem sentien-

dum de præſentia. Si dixerint vero non λόγου intuitu carnis, ſed carnem ipſam in illius perſona ubique operari, concedunt omnipræſentiam carnis, ſenſu adcuratiſſimo nominatam.

(ee) Vid. Liberii de S. Amor. Epiſt. Theol. p. 12. illuſtrat unionem moralem hôc ſimili. *Si contingeret alicujus è contrahentibus longe majorem eſſe auctoritatem quam aliorum, ut ſi Rex potentiſſimus cum longe minori principe fœdus feriret iis legibus, quas diximus: Siquid nomine ſocietatis Princeps faceret, eâdem auctoritate ageret ac Rex ipſe, & ſi quid in eum committeretur non in eum tantum, ſed in totam ſocietatem, ac proin in Regem ipſum admiſſum cenſeretur, & æque atrox judicaretur, ac ſi in ipſam Regis perſonam perpetratum eſſet. Similiter intercedente illo conſenſu, de quo diximus, naturæ humanæ Chriſti perpeſſiones θεανθρώπῳ juſte tribuuntur, ac proinde infiniti ponderis eſſe poſſunt.* Semper quæſtio redit, qualis ſit unio carnis & λόγυ, ubi caro abſens eſt? Non poteſt eſſe perſonalis unio, illa enim, quam vocant, perſonalis ſuſtentatio nullibi contingit niſi in certo loco, cui caro præſens eſt. Ergo in cæteris non poteſt habere locum niſi unio moralis, ut quæ λόγος agit, quia agit intuitu meriti & conſenſûs carnis, carni imputentur, & viciſſim, quæ in λόγον admittuntur peccata his in terris perpetrata, putentur contra carnem in cœlis: ob quam cauſam *indigni Cœnæ hoſpites iniqui in corpus Servatoris adpellantur æſtimio tantum morali.* Non differt hæc ſententia ab opinione Clerici, niſi quod illa, in unico loco, quô Caro perſonaliter ſuſtentatur, *realem unionem* relinquat, in cæteris innumeris admittere debeat *moralem*, Clericus autem hanc poſteriorem univerſalem ſtatuat.

§. 20.

Quando igitur non λόγος tantum intuitu carnis, ſed ipſa caro in perſona λόγυ augmentum gratiæ

gratiæ operatur in sacri epuli hospitibus dignis, *corpus Christi præsens est secundum substantiam*; quid enim est, quæso, substantia generatim omnis, quàm, ut sæpe dixi, operandi vis, radix & fons? Cum autem iterum non λόγος intuitu carnis tanquam absentis, sed ipsa caro in λόγῳ persona judicii divini incrementum 1. Cor. 11. ℣. 29. operatur in convivis impiis, profecto ex eadem ratione corpus Christi & secundum *substantiam improbis præsto est*. De modo præsentiæ seu operationis (*ff*) non multum disputabimus. Quidquid hactenus dictum est, id omne refertur ad Recentiorum definitionem de præsentia. Quod si cum cæteris ἀδιαστάτως, tanquam à vi operandi distinctæ mentionem injecissem, spatii extensi notio irrepsisset, confusionem minata gravissimam, ut ex paragrapho decimo cognoscitur.

(*ff*) De modo præsentiæ disceptatum fuit inter illustres duumviros Pfaffium & Leibnitium. Dixerat hic in discurs. de Harm. ration & revelat. §. 18. *Protestantes Lutherum secutos non admittere Corporis Christi inclusionem in pane, imò ne unionem quidem Corporis cum pane eosdem concedere, quanquam concomitantiam poscant, ut duæ substantiæ simul accipiantur ore corporis.* Cui occurrit celeberr. Pfaffius Tub. in dissertat. de consecrat. Veter. Eucharistica §. 16. p. 449. pronuntians per *solam concomitantiam realem præsentiam Corporis Christi everti* p. 466. *Corpus Christi esse omnipræsens ex mente illorum auctorum, comitari res quasvis, eôque in quovis cibo Corpus Christi capiendum, nisi quædam unio ulterior doceatur*: Respondit Leibnitius, se quandam conjunctionem admittere, in actis Erudit. Lipsi. anno 1715. p. 376. Sed monuit tamen præterea quædam Dn. Pfaff. in primitiis Tub. part. post p. 259. Mea sententia *sacramentalis* Corporis Christi præsen-

tia differt à præsentia ejusdē, quâ omnib9 creatis præsto est, atque arguit singularē conjunctionem cum pane & vino, quæ in eo ponitur, ut per panem & vinum, in convivis sacri Epuli, vel augmentum gratiæ, vel iræ divinæ operetur caro Christi; quod cum in aliis rebus creatis non operetur humana Christi natura, licet generali potentissima actione eas afficiat, regat, &c. *sacramentaliter* his nec eô modo aliis, præsens esse dicitur *in, cum & sub* pane & vino Hæc sacramentalis præsentia est singularis operatio à promissione Christi pendens, sicuti ex adverso Corporis Christi in rebus omnibus generalis operatio, i. e. omnipræsentia pendet ab unione personali: Ita Gerhard. loc. Theol. IV. de persona & offic. Christ. p. 514. num. 264. *Præsentia sacramentalis unice dependet ex institutione & ordinatione Christi, voluntatem Christi ex verbis institutionis unice probamus, facultatem ex communicata Christo per unionem & sessionem ad dextram infinita majestate ac potestate.*

CAPUT VIII.

Opportunitatem Philosophiæ recentiorum sistens in Artic. de satisfactione Christi.

§. 1.

NOn absque Metaphysicæ subtilioribus ideis doctrinam paulo antecedentem potuimus persequi. Nunc vero dogma longe gravissimum, & ad salutem æternam omnino comparatum contendi debet cum notionibus Recentiorum, quas in Philosophia morali exhibent. Satisfactio Christi cogitari non potest sine justitia DEI, justitia autem DEI generalem (*a*) justitiæ notionem suppo-

nit,

nit. Nostrum non est hanc sublimem doctrinam uberius exponere, quod (*b*) Theologis merito relinquitur: sed id nobis negotii datum esse existimamus, ut, quam amice recentiorum Philosophemata cum his fidei capitibus conspirent, indicemus, dicturi tum de *necessitate* tum de *perfectione* satisfactionis.

(*a*) Non est cur cum Viro præstantiss. Webero in resp. ad Leibnitii Epist. p. 10. not. 18. dicamus: *naturalem hominem de justitia divina certi quid statuere non posse, quum etiam sanctissimis & divina luce irradiatis viris hæ meditationes subinde crucem fixerint.* Utut enim hoc verum sit, illud tamen non consequitur. De Carneade interim constat quod omnem justitiam explo-serit. Jam ante Grotium in Præfat. ad Op. de jure Belli & pacis Lactantius Libr. V. cap. 14. p. 336. 337 memoriæ prodidit, Carneadem *uno die justitiam laudasse, altero contraria* disputatione eamdem evertisse. Idem auctor p. 342. loc. cit. argumentum Carneadis non esse solutum à Cicerone observat: Habebat vero ita: *Si datur justitia, aut fundatur lege positiva, aut naturali, non positiva, quæ pro diversitate civitatum variat, sæpe altera alteri contraria est. Nec vero etiam justitia nititur lege naturali, nam hoc jus nihil aliud est quam instinctus naturæ omni animanti ingeneratus, quo fertur in id quod est utile, neque vero justitia ad hunc instinctum adcommodari potest sine mille fraudibus.* Quis autem sanus concedat propositionem posteriorem. Confundit Sophista privatam singulorum utilitatem à cæterorum commodo sejunctam, cum publica generis humani omnis utilitate. Hâc justitia nititur, non illâ. Sed hæc facilia. Vid. Cicero L. I. de legibus fol. 330. Augustin. de Civitate DEI L. II. cap. 21.

(*b*) Complures enim eximii Theologi in probanda contra Socinianos satisfactione desudârunt. Gerhard. in erroribus Socin. Jen. 1609. Stegmann. in succincta refutat. errorū Photinianorū. Dürrius, Spener, Calovius,

Scherzer, Schomerus &c. nostris temporibus Joh. Francisc Turretin peculiari Tract de satisfact. Addo, quod in priori nota sum oblitus: Carneadem aut minus consentanea docuisse, aut sententiam emendasse aut non recte fuisse intellectum Ita enim de eo Cicer. de finibus L. II. fol. 223. *Si scieris*, inquit Carneades, *aspidem occulte latere aspiam, & velle imprudentem aliquem super eam assidere, cujus mors tibi emolumento futura sit, improbe feceris, nisi monueris, ne assidat*; Justitiæ singularem notionem, quam jam sumus adoptaturi, Leibnitius dedit in præfat. ad Codicem Diplomat

§. 2.

Justitia, quæ dogmati satisfactionis præstruitur, ex sententia recepta (c) *est constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi.* Cum qua definitione mox nostram comparabimus. Justitiam cum Hugone Grotio dividunt in *expletricem* sive *particularem*, & *attributricem* sive universalem. Justitia expletrix est, *quæ præstat officia, quæ alter jure perfecto exigere poterat.* Attributrix autem *officia exercet, ad quæ jus imperfectum alteri competit.* Justitia expletrix in rectoriam & æquatoriam subdividitur. Illa inter inæquales, hæc vero inter æquales habet locum.

(c) Vid. Buddei philos. Practic. L. II. cap. 2. §. 45. 46.

§. 3.

Ex mente recentiorum autem justitia definitur *per bonitatem, quæ administratur sapientiâ.* (d) *Eâdem*, inquis, *ratione ordinem invertendo dicere liceret, justitia est sapientia cum bonitate administrata.* Arguis ex verborum sono, nec quid vocabula significent, revocas ad animum. Bonitas est virtus DEI, *quâ soles impertiri perfectiones, sapien-*

sapientia vero est virtus, quæ observat convenientiam: Num observationi congruitatum exercendæ inservit largitio bonorum? vel an potius vicissim largitioni bonorum administrandæ inservit observatio convenientiæ? Arbitror priora esse dictu parum apta, posterius vero adprobandum.

(d) Vid. Wolffii Metaph. p. 573. §. 1084. Die Gütigkeit, welche nach den Regeln der Weisheit sich richtet / ist dasjenige, was wir Gerechtigkeit nennen.

§. 4.

Contendamus ordinariam definitionem cum nostra. Justitia est studium tribuendi suum cuique. Qui bonus est, tribuit cuique, (e) si bonitate sapienter utitur, non tribuit aliena, i. e. suum. In quo differt hæc nostra definitio à communi, quam in eo, ut ostendat evoluto conceptu, quid sit *suum* cuique tribuendum? Nimirum id, quod suadet sapientia ex rerum convenientia observatum. Convenientia autem attingit rerum harmoniam, ut consequentia suaviter concinant cum antecedentibus, ut antegressas v. g. actiones bonas sequatur remuneratio, malas excipiat pœna, aut per se sustinenda, aut per substitutum vadem, qui pro peccatis satisfacit, de quo mox plura.

(e) Vid. de his plenè differentem Bülffing. in Dilucid. §. 449. p. 507.

§. 5.

Qui ita bonus est, ut sapientiâ inducatur ad tribuendum, quod leges tribui volunt, ornatur justitia *expletrice*, qui bonus est ut sapientiâ mo-

veatur ad tribuendum quæ humanitas poſcit, floret juſtitia *attributrice*. In expletrice rectoria debentur vel præmia, vel pœnæ. Bonitas ergo, quæ ſapientia temperatur, reſpicit quoque ad hæc. Duplex hic occurrit dubium, tam ad præmia quam ad pœnas pertinens.

§. 6.

Pœna quomodo poteſt eſſe fructus bonitatis ſapientia temperatæ? pœna eſt malum paſſionis inflictum ob malum actionis. (*f*) *An malum oritur à benignitate?* Dubium reſpondit Vir doctus. (*g*) Sapientia benignitatis ſuperpondium aufert, ut bonum capacitati reſpondeat *ſubjecti*, ne diſſenſus oriatur inter collatum bonum, & illum, cui bonum debebat conferri. Quin pœna damni in ſufflaminato per ſapientiam benignitatis ulterioris exercitio ponatur, dubium eſt nullum. De pœna ſenſus videtur quæſtio difficilior, quam tamen ſolide examinavit idem Auctor. (*h*) Nimirum ex Recentiorum mente dolor omnis, in quo pœna ſenſus vertitur, vel in corpore ſpectatur vel in animo. *Illinc eſt diviſio continui, hinc repræſentatio illius imperfectionis.* (*i*) Itaque pœna nihil eſt, quam perfectionis abſentia, ſeu fructus ſuſpenſæ, ſapientiâ ſuadente, benignitatis.

(*f*) Vid. Tractat. Hochſtetter. de jure pœnar. p. 2. §. 2.
(*g*) Bülffinger Dilucid. p. 502. §. 447.
(*h*) De origine mali. p. 198. §. 252.
(*i*) Wolff. Metaph. §. 427. p. 235.

§. 7.

Sapientia tantum ſuadet benignitati ut in alios boni quid conferat, ſed juſtitia expletrix obligat hominem

minem ut id faciat, reſpondente poſtulandi in altero jure: Non poteſt igitur juſtitia generatim eſſe benignitas quam ſapientia moderatur. Eſt hoc alterum dubium pridem quoque, ut prius illud, ſublatum. (*k*) Jus poſtulandi præmium, juſtitiæ explerici reſpondens, arguit imperfectionem, eſt enim à perfectiſſima DEI juſtitia alienum. Atqui definitiones ita formandæ ſunt, ut ſub ſe complectantur definita omnia, ſpeciales definitorum conditiones in progreſſu demum Demonſtrationis eruuntur.

(*k*) Bülffinger. Dilucid. p. 501 §. 446. Ubi in puniendo poſitivus hominum actus intercurrit, pœna proprie continetur conſectario ejus, non ipſo actû. Qui ſupplicium extremum & adjudicat, & infligit, agit aliquid, ipſa autem pœna eſt actionis fructus, continenturque privatione vitæ. Pœna igitur ſemper eſt privatio.

§. 8.

Frequenter fui miratus quô pactô dici Amor ipſe DEUS queat, qui tamen exquiſitiſſimis torminibus damnatos ſubjicere, flammis nunquam extinguendis cruciare, dolore ineffabili in extremam deſperationem reprobos conjicere ſoleat. An æque DEUS *ira* dicendus, ac amor? Num tanta atrocitas (hæc enim ſunt obſtreperæ carnis nefanda verba) in amorem cadere poteſt? O inſanos motus, qui rerum ſupremo judici dicam ſcribere non erubeſcunt! DEUS puniendô, rem creatam actione infeſta non exagitat, ſed benignitatis actionem nunc jam ſuſpendit. Num deſinit eſſe Sol amœna lux, quum ſtulti apricum ſubterfugientes, in cellas gelu rigidas recipiendô

ſemet, extinguuntur frigore? Non deſiit lucere Sol, ſed ineptos non potuit ſuomet fulgore attingere. Non enecavit ſol improbum poſitivâ actione, ſed limitatô per denſos cavernæ muros ſplendore reliquit ſtupidum ſuæ caligini. Similis ratio eſt pœnarum DEI. Qui non in benignitate DEI manent Rom. 11. ỳ. 22. exciduntur, non culpâ benignitatis, ſed culpa neglectûs, quo illa poſthabita eſt. Manet benignitas DEI, quæ & quanta eſt, ſed non manent ſcelerati in benignitate. Manet DEUS amor, ſed illi non manent in amore. Indignitas igitur peccatoris *per ſapientiam* detecta, facit ut *ulteriori benignitatis affluxu* non fruatur. Hujus ſuſpenſionis autem repræſentatio diſtincta, ſive, quod idem ſonat, intelligentia dolores parit incredibiles. Quodſi DEUS *poſitivô actû* excruciaret malignos, deſineret eſſe amor, degeneraturus in iram: ſed non affligit agendo: verum non continuando bonitatem, cujus vel præſentia vel abſentiâ voluptas vel triſtitia omnis comperehenditur. (*l*)

(*l*) Hinc Theologi pœnarum æternarum atrocitatem in remotione a facie DEI collocant. ex 2. Theſſ. 1, v. 9. aliisque oraculis.

§. 9.

Cum benignitas perfectiones, quoad fieri poteſt, tribuere cupiat omnibus, ſapientia vero nonnullorum repræſentet indignitatem: intelligitur, non penes DEI voluntatem licet benigniſſimam ſtare, ex quavis re præſtare quamvis, ſed certas rerum convenientias, ſcheſes, nexus i. e. veritates & eſſentias jam ante voluntatis divinæ decretum ſuppo-

supponi: alias posset DEUS ex indigno peccatore pro arbitrio dignum reddere, & pœnarum infligendarum necessitatem pro lubitu auferre. Detestanda igitur est Poireti aliorumque de essentiis arbitrariis à DEI voluntate pendentibus (*m*) opinio, quâ satisfactio Christi prorsus evertitur. Iustitia est, quæ *suum* unicuique tribuit. Si rerum convenientiæ omnes arbitrio DEI subjiciuntur, non tribuit DEUS *suum* cuique, sed unicuique tribuit quod *vult:* Nulla heic convenientia voluntati divinæ substrata indicat, quod cujusque *suum* sit, ipsa potius DEI voluntas distribuit cuique *suum* pro lubitu, sine ratione ex objectorum nexu desumta. Puniendus igitur erit malignus, non quia est individuus inter peccatum pœnamque destinatam nexus, sed quia DEUS pro arbitrio hunc nexum esse voluit: Præmio afficiendus pietati studens, non ob nexum remunerationis cum probitate, sed quia DEUS sine ratione ex objecto petita vult: *stat pro ratione in subjecto voluntas.* Posset igitur etiam innocentissimum (*n*) æternis torquere plagis, non enim DEUS nexum meritorum & pœnarum invenit, sed ex voluntatis beneplacito demum facit. Qua sententiâ nihil potest esse pestilentius.

(*m*) Opinionem de essentiis arbitrariis tuetur Poiret Oeconom. L. I. c. 5. §. 7 p. 51. seqq. in cogitat. Rat. L. III. c. 10. §. 5. p. 395. In veris & cognitis omnium primis p. 11. 272. Cartesius vol. 1. epist. 112. Bülffinger Dilucid. p. 13. §. 21. Dabo locum quem Dn. Bülff. omisit. Statuit Poiret possibile *anteideale* quod nihil est nisi efficacia voluntatis divinæ, ex parte creaturæ absolutum NIHIL, *Postideale*, quod habet à DEO ideam, quæ

quæ poſthac exſiſtentia donari poteſt Objecerat Pungelerus, objicit Büffinger cit. loc *Stante hac ſententia Deo poſſibile anteideale incognitum futurum fuiſſe, ſaltim determinate, licet vage ſcivisſet efficaciamvoluntatis*, ut ſi pictor novit, quam elapſo anno artem ſit exerciturus generatim, ſpeciatim autem ignoraret, quodnam opus ſit excogitaturus? reſpondet Poiretin *cognitis veris & primis* p. 102. *Si aliter, inquit Pungeler, potuit Deus; quomodo hoc ipſi DEO potuit eſſe incognitum? Reſpondeo cognitum ipſi fuit ſe liberum eſſe vel in ſe ſolo manere ſine egreſſu, vel extra ſe ludere, ſi lubeat. Ideæ autem hactenus non cognitæ, h.e. nonſtatutæ erant.* Ita concedit auctor determinatam poſſibilis Anteidealis cognitionem non cecidiſſe in DEUM, quam ſententiam nemo temere ſecutus fuerit, maxime ideo, cùm auctor & alibi de omni præſentia doceat, quæ perfectiſſimo ente indigna ſunt. Peropportune fit, ut opinio arbitrariarum eſſentiarum defendi nequeat, ſine adoptata ſententia periculi pleniſſima. vid. colleg. Pufendorff. Hochſtetteri. p. 33.

(*n*) Hæc eſt ſententia Angli Tvviſſi *in Amore DEI erga mortales.* Qui & alias contra Arminium varia edidit præſertim vindicias gratiæ, poteſtatis & providentiæ divinæ, quibus in eandem opin. videtur paſſim propendere.

§. 10.

Benignitas, quam ſapientia dirigit, juſtitiæ adcuratiſſimo ſenſu dictæ titulo digna eſt. Dixi id aliquoties ſubmotis diſſentientium dubiis. Sapientia rerum convenientiam, pulchritudinem & nexum obſervat, media aptiſſima finibus præſtantiſſimis ſubordinando, quo nexu nihil poteſt eſſe præclarius, nihil ſapientia dignius. Finita ſapientia mediocris ſæpe ab hoc ſcopo deflectit, non pervidens omnia, turbat aliquando ordinem, labefactat convenientiam. Major ſapientia ab hoc errore tutior

Inſi-

Infinita, quæ DEI solius est, sapientia rebus præsidens cunctis non potest non rerum congruitates omnes omnino possibiles præteritas & futuras animadvertere, nec ab illis recedere vel latum quidem, ut ita loquar, unguem. Itaque convenientias vel observat pro se perpetuo, vel ab aliis neglectas curate restituit. Quod ni faceret, delectata aut connivens si non suis, aliorum certe *inconvenientiis*, suprema non foret, eoque nec divina. Summum dissensum in rebus parit, convenientiæque potissimum obstat violatio legis, quæ ad evertendam rerum harmoniam cummaxime nata est. Fieri ergo nequit, quin DEUS in restituendum hunc dissensum, eâ quâ floret sapientiâ, incumbat totus. Compensatio dissensus lege violata introducti expiatorius est & internus pœnarum finis, ergo DEUS non potest non peccata curare expianda. Ergo satisfactio, quæ peccatis expiandis continetur, summo necessaria est opere.(o)

(o) Habes hic invictum necessariæ satisfactionis, præsciui dixerim, argumentum. Fundatur quippe rerum convenientiâ. vid. Leibnit. Theod. § 73. Sapientia obstat operis dissolutioni, ne *eadem consequantur ex diversis*, nullo ordine, nexu nullo, i. e. ne bonas actiones mala sequantur aut vicissim. Hæc ratio convenientiæ prima est secundum rem ipsam enata. Accedit alia ratio à spiritibus intelligentibus quibusvis petita, quorum nemo non ordine vel continuatô, vel restituto mirifice delectatur, more, quô affici musicâ aut concinnâ structura solemus. Has duas rationes Hobbesius, Sociniani aliique satisfactionis hostes ante oculos non habuerunt, quum satisfactionis inficiabantur necessitatem, ea autem observata dubia Socinianorum cuncta facillime solvuntur. Dabimus breve specimen. Nescio interim an Socinianis hac parte

Loockius

Lookius adſcribendus? quia *librum de Religionis Chriſtianæ, prout in ſacris litteris traditur, rationalitate edidit.* Quem Joh. Eduardi Socinianiſmi coarguit. *In meditationibus de cauſis & occaſione Atheiſmi hodierni præſertim ſeculi.* Quibus Lookius *vindicias libri de Religionis Chriſtianæ rationalitate oppoſuit:* defendente accuſationem Eduardi *in diſſertatione qua vanitas nuperi ſcriptoris rationalitatis religionis Chriſtianæ de unico fidei articulo oſtenditur*, Londini An. 1696 ubi Lookio vitio vertit, quod *uno fidei articulo conſtituto ſatisfactionis fecerit mentionem nullam.* Quid de Grotio ſummo Viro dicendum? qui anno 1618. emiſit *defenſionem fidei Catholicæ de ſatisfactione Chriſti adverſus Fauſt. Socinum Senenſem;* cui Joh. Crellius Francus *reſponſionem ad Grotii librum de ſatisfactione* obvertit. Exſtat in Bibliotheca Fratrum Polonorum. Quid Martinus Ruarus de hoc certamine judicet, lege in Epiſt. VIII. centuriæ primæ p. 59. diſſentit tamen à ſodali Sociniano Michaël Gittichius in Epiſtol. ad Ruarum Centur. prim. 63. p. 278. conqueſtus de Grotio, quòd *ſententiam de ſatisfactione tueatur in annot. ad Epheſ. 1.* Grotium autem, quem malâ fide ſatisfactionem defendiſſe putat, Ruarus defendit Epiſt. 64. p. 282. at & hanc defenſionem Grotii impugnavit Gittichius *in fine partis primæ p. 465.* maximo Grotii commodo: Diſputatum etiam eſt de Grotii ſententia ab aliis. *Hermannus Ravenſpergerus quædam in Grotii diſcurſu de ſatisfact. reprehendit*, Joh. autem Voſſius *edidit Reſponſionem ad judicium Ravenſpergeri Tom I. operum ejus p. 883.* Grotius ipſe gratias egit Crellio pro refutatione ſui libri epiſtola ſing. quæ exarata d. 10. May. 1631. Confer. Paul. Colomeſ. dans la Bibliotheque choiſie.

§. 11.

Quam neceſſarium eſt, ut ſit DEUS ſapientiſſimus, tam quoque fieri non poteſt, ut nullam convenientiæ rerum gerat curam, ut exorto per peccatum diſſenſu compenſationem omittat. Non igitur

igitur reſpicit puniendô duntaxat ad futura, ne quis poſthac violatis legibus Univerſi perfectionem & conſenſum diſturbet, ſed intuetur etiam præteritorum peccatorum convenientiæ antehac derogantium abominationes, partim quod funeſtarum conſequentiarum peccati ſeries per totum ſyſtema exporrigitur: partim verò, quod præcipuum, ne ullus hiatus, ſeu lacuna ulla non expleta maneat, licet admiſſa jam antehac; Id enim ſapientiæ divinæ, quæ compenſare diſſenſum poſſet, foret exprobrandum, atque etiam intelligentes ſpiritus memoriâ præteritorum affectos, admodum haberet male. Qui inconvenientiæ vel præteritæ, vel præſenti, vel futuræ indulget, ſapientiſſimus non eſt. Cœcus itaque ſit, qui ex principiis Recentiorum non minus ac ex Theologorum, ſatisfactionis neceſſitatem non perviderat.

§. 12.

Sed occurritur nobis dubiô ſpecioſiſſimô, quod & Theologorum de neceſſitate ſatisfactionis, & noſtram cauſam premit: Contendunt Theologi, *juſtitiam vindicativam eſſe DEO eſſentialem, non poſſe igitur peccata dimittere impunia, plectere ob eam cauſam Numen ſupremum neceſſariô.* Atqui eadem ratio eſt benignitatis, quæ non minus pertinet ad eſſentiam DEI, ac juſtitia quidem, nec tamen DEUM neceſſario in alios boni quid conferre quisquam dixerit. Aut igitur de benignitate ſentiendum idem, aut de juſtitia ſentiendum aliter. Attingit illa difficultas & cauſam noſtram. *Juſtitiam diximus bonitatem ſapientia admi-*

adminiſtratam, ut igitur ob ſapientiam benignitatis effluvia divinæ aliquando puniendi cauſâ neceſſario limitantur, ſic & eâdem ſuadente ſapientiâ, ubi major eſt benignitatis fructuum in creatis capacitas, extendentur & augebuntur neceſſario. Sic DEUS non poteſt non afficere præmiis. (*p*)

(*p*) Eſt hoc Socinianorum præcipuum dubium, in *Antitheſi doctrinæ Chriſti, & Anti-Chriſti de uno vero DEO*, in aliis etiam libris maxime exaggeratum, ut mirum non ſit, hujusmodi errores cum negata Trinitate & Chriſti divinitate conjunctos Turciſmo proximos declaratos eſſe. Vid. Hornbek in apparat. ad Controver. Socinian. p. 98. idque factum à Theologis Lugdunenſibus Batav: Non alienum quoque à juſtitia fuit, cujus ſatisfactionis intererat, homines Chriſti ſatisfactionem inficiantes expellere oris Chriſtianorum, quod Adolpho Venatori Miniſtro Alcmaër. contigit. confer. Voët. Polit. Eccleſ. T. II. L. IV. p. 533. de horrendo libro, quem ſub prelo habebant 1647 inſcripto: *Tormentum Trinitatem Throno deturbans* vid. Reſponſ. Cocceji ad Apolog. Equit. Pol. fol. XXXV. 2. verſ.

§. 13.

Diverſa eſt benignitatis & juſtitiæ DEI ratio. Nemo Creatori quidquam tribuit, ut eſſet, quod ſua benignitate compenſaret Rom. II. Nullum hîc bona poſtulandi jus, nullum meritum, ne ſpecies quidem. At ut juſtitiam DEUS exſequatur frequentiſſime peccatis læſorum cummaxime refert, quo ipſo jus quodam ſuo ſenſu ipſis enaſcitur, juſtitiæ exercitium poſtulandi. Concurrunt igitur hîc duæ rationes ut juſte agatur, *convenientia divini operis* quam tuendam ſapientia

ſuades

suadet, *& aliquod jus eorum*, qui extra DEUM peccatorum indignitate violati sunt. Arctius hæc ratio justitiam DEI urget, & quandam imponit necessitatis speciem; Contra ad benignitatem ipso opere significandum nil tale DEUM inducit, nisi rerum convenientia, cujus vis omnis in repræsentatione suæ ipsius sapientiæ posita est. Hinc misericordia *æquè certa*, sed non æque necessaria *ac justitia* esse solet. Addendum eodem, quod notatu dignissimum, benignitatis notionem esse simpliciorem, justitiæ vero compositam. Qui benignitatem cogitat, pronitatem DEI ad bona tribuenda cuivis animo sistit suo, contra qui justitiam concipit, præter benignitatem intuetur etiam ejus temperamentum à sapientia additum pro conditione objecti. Mirum igitur non est, cùm in benignitate cgitanda à dispensandi congruitate per sapientiam observata tantisper discedamus, tantæ ibi necessitatis ideam non intervenire, sed libertatis summæ obversari notionem. Sapientia enim bonitatis exercitium limitat; & quoddam velut morale vinculum injicit. Quanquam non diffitear, quod summæ benignitatis exercitium semper à sapientia dirigatur eoque justitiæ remuneratricis classem referat, quâ DEUS benefaciet certissime vid. Ebr. 6 ℣. 10.

§. 14.

Hâc igitur justitiæ definitione substrata evanescunt Socinianorum dubia; faciemus in aliquibus ex definitione respondendi periculum. *Quod ad essentiam DEI pertinet, nunquam non potest esse*, inquiunt; *Atqui, si mundus peccato mansisset vacuus,*

cuus, non habuisset locum justitia. Ergo nec bonitas DEI necessaria est, ex eodem argumento, justitia enim est bonitas sapienter administrata, nec extensa nimium. Distinguamus igitur oportet exercitium justitiæ à justitia ipsa, illud peccatores supponit, hæc semper eadem manet, sive exsistant improbi sive non. *Justitia vero benignitati repugnat mala inferens, cum illatura foret boxa misericordiæ virtus, non potest igitur illa ad essentiam DEI jure referri.* Justitia est, ut sæpe monui, ipsa benignitas per sapientiam quoad exercitium ob indignitatem personæ suspensa, quod ob rationes gravissimas beneficia non continuat, non potest contrarium esse sibi ipsi. Quodsi DEUS positiva actione mala inferret, contrarius benignitati fons in ipso scaturiret: sed falsum id esse probavimus §. 9. An Sol sibi contrarius est, si quis ob radiorum ejus impedimenta frigore consumitur? *At vero justitia & misericordia admittunt gradus, plectit DEus quartam generationem, benefacit millesimæ.* Responsionem solidam jam alii dederunt, (q) dabimus & ex nostris aliquam. Gradus admittit exercitium justitiæ, non justitia ipsa. Non est, ne conceptu quidem, justitia distincta *à benignitate sapienter administrata.* Si restringatur benignitatis effluxus, plectitur homo, si per aliquod id fiat intervallum temporis, pœna transire ad nepotes potest, si extendatur benignitatis effectus, succedit pœnæ præmium. Non igitur justitia gradus admittit, sed bonitatis exercitium gradus admittens constituit justitiam.

(q) Vid. Hochstetter de jure pœnarum p. 76. §. 1. *Quod si liberi puniuntur, tum vel castigationem vel pœnam*

pœnam, suo quam delicto meruere, sustinent. Sed & lex ista de puniendis improborum Liberis, ultra abnepotes i. e. tertiam seu quartam generationem non extenditur, quia ad eorum conspectum pertingere potest humana ætas, & parentes adhuc puniri eo spectaculo possunt, quod gravius illis, quàm quod ipsi ferunt. Adde quod istæ generationes perversis plerumque Antecessorum exemplis fuerunt corruptæ; Saulis posteritas gens fuerit sanguinaria 2. Sam. 21. v. 1. &c. Non punit DEUS peccata parentum in Liberis partem culpæ patriæ nullam capientibus, fieri tamen potest ut parentum peccata occasionem dent animadvertendi in Liberos ob propria.

§. 15.

Cedere jus suum DEus potest, nisi eum inferiorem quovis Domino debitum condonante, aut vilissimo homine offensas prætermittente dixeris. Qui jus cedit, sapienter cedat oportet, ne stulte faciendo gravius peccet. Atqui justitia est bonitas cum sapientia copulata, non potest igitur à justitia DEUS deflectere sine stoliditatis maculâ, quod vel cogitatu blasphemum. Debita qui rem ittit pecuniaria, rationem paupertatis, aut alterius ærumnæ habet; agit igitur *intuitu convenientiæ prudenter*; atqui Tu fingis DEUM à justitia vindicativa, i. e. à studio peccatorum inconvenientias compensandi recedentem, nec eas impedientem, *contra sapientiam*. Sæpe Dominus æs alienum debitori remittit, si per longam verò futurorum eventuum seriem prospicere posset, incommoda inde pro posteris nata ad contrarium impellerent, ex ratione convenientiæ: At penes Numen, perspicientia congruitatum futurarum omnium immensa est, non potest vel tantillum à tuenda conformitate

mitate rerum abire, cui quippe inconvenientiæ culpa multo ante cognita magis exprobrari poſſet, quam imprudenti patrifamiliâs. *Princeps etiam publicas in univerſitatem populorum admiſſas condonare poteſt injurias*, poteſt ſi convenientia commodi publici ſuadeat, nunquam autem ſuadet publicum commodum veniam peccatorum omnium, licet à pœnitentibus petatur. Imbecillitatis humanæ eſt, ut quædam crimina declinandi majoris mali ergo in Republica ſortiantur veniam, ne potentia delinquentium, peccatorum multitudo, vel ſcelerum inolita conſuetudo majores civitatis turbas excitet: Non autem eſt, cur hæc talia DEUS metuat, ſapientia ergo pœnarum convenientiam ſuadet, ſi vel maxime reſipiſcerent omnes, cum nec in Republica pœnitentes ſemper conſequantur gratiam. *DEUS eſt nullo jure adſtrictus Arbiter pœnarum præmiorumque, non deterioris conditionis quam Reges*, dimittunt utique Reges aliquando peccata impunia ob neceſſitatem & convenientiam Reipublicæ; dic autem quæſo caſum, ubi rerum convenientia DEO peccatorum impunitatem ſuaſerit?

§. 16.

Eo conſilio dubia quædam ex definitione noſtra ſolvi, ut intelligat lector, neceſſitatis, qua ſatisfactio exigitur, potiſſimum argumentum contineri Juſtitiæ ideâ, quam Recentiores urgent. (r) Pergimus nunc *ad ſatisfactionis* declarandam *perfectionem*. Fuiſſe qui ſatisfactionis Chriſti valorem in dubium vocarent, dum eum juſti-

juſtitiæ divinæ exacte ſatisfeciſſe abnuentes, aliquid ſaltem pretii dediſſe contenderent, (s) neminem ſacris vel obiter imbutum temere præterit. Diſpiciemus nunc quantum roboris habeat recentiorum philoſophia in eo errore detegendo pariter ac arguendo.

(r) Chriſtian Democritus ſive Dippel librum ſcripſit cui titulus: Apoſtoliſcher Weegweiſer zur wahren Gerechtigkeit / in quo ſatisfactionem non ſine turpitudinis nota rejicit. Parum dextre de eadem graviſſima doctrina ſenſit famoſus Poiret, quos ambos refutavit ſolide Vir laudatiſſimus Joach. Lang. Halenſ. in der richtigen Mittelſtraß. tertia Parte ubi ex inſtituto agit de ſatisfactione. Quod Arminiani ſatisfactionem ita neceſſariam fuiſſe negent, ex eorum ſcriptis patet. Stephanus Curcellæus inſtitut. Chriſt. Relig. L. V. cap. 18. §. 10. Simon Epiſcop. inſtitut. Theol L. V. ſect. V. cap. 3. Limborch. in Theol. Chriſt. L. II. cap. 12. §. 27. & L. III. cap. 18. §. 4. *Satisfactionem ſoſpitatoris non ita inevitabilem docent, ut ſi DEO aliter fuiſſet viſum, peccata nequiviſſet impunita dimittere.*

(s) Grotius in libro ſupra citato: qui inſcribitur: *defenſio fidei catholicæ &c. negat ſatisfactionem fuiſſe perfectam, aut pretium legis rigori noſtroque debito exſtitiſſe æquale*, vid. Huber. in Exerc. VII. §. 8. p. 105. Faciunt cum eo plerique Remonſtrantes Limborch. Theol. Chriſt. L. II. cap. 21. §. 6. Epiſcop. inſtitut. Theol. L. V. ſect. V. cap. 3.

§. 17.

Vadimonium Chriſti, quod ad ſatisfaciendum pro nobis ſuſcepit, maxime pertinebat ad ſubeundas locô hominum promeritas pœnas. Pœna omnis in abſentia boni, & ſenſu ejus abſentiæ vi-

vido recte collocatur. Quæstio nunc est: *An Christus satisfecerit plenissime, omnium nostrorum peccatorum acerbissimas immo infinitas plagas gustando?* Recte Theologi quæstionem affirmant. (*t*) Negant vero eam *Remonstrantes.* Eorum v. g. Celebris Scriptor his verbis (*u*) utitur. *Satisfactio Christi dicitur, quâ pro nobis pœnas omnes luit, peccatis debitas, easque exhauriendo divinæ justitiæ satisfecit. Verum illa sententia nullum habet in Scriptura fundamentum. -- Christus non est passus mortem æternam, nec intensione, non enim sub iræ divinæ pondere desperavit; nec extensione, ad tres enim horas in cruce pependit, & tertio die ex mortuis resuscitatus est in vitam æternam, ut id alibi ostendimus. Si Christus omnes peccatis nostris debitas pœnas plene sustinuit & exhausit, nihil DEUS nobis ex gratia condonare posset. Si enim Christus omnia ad minimum quadrantem usque persolvit, nihil restat quod Pater ex gratia nobis condonare posset, atqui docet Scriptura Deum ex misericordia concedere remissionem peccatorum in Christo.*

(*t*) λύτρα vocis græcæ significationem, quæ in doctrina satisfactionis non nullius momenti est, valde ambiguam & suspectam reddit Clericus in Arte Critic. P. II. Sect. cap V. §. 5. Sed quamprimum satisfactionis necessitas ostensa est, quod factum à nobis supra, Criticorum circa voces maxima dubia deciduntur, & sublata, de qua queruntur, ambiguitate, intelligitur λύτρα significationem pretium innuere propriissime dictum. Peccatum enim experiundo, satisfactionis necessitatē ratiocinandô cognoscimus, λύτρον igitur non potest non de pretio satisfactionis proprio accipi.

(*u*) Lege hæc verba apud Limborch. Th. Christ. L. III. c. 21. § 6.

§. 18.

§. 18.

Vidimus Remonstrantium dubia, inquiremus vero etiam, numquid ad refutandum errorem hunc adjumenti afferat recentium Philosophorum doctrina. Humanæ Christi naturæ omnipræsentiam recte explicatam competere *posse* diximus. (Philosophi enim est loqui de τῷ δυναλῷ, factum pertinet ad sacras litteras) omnipræsentia præter vim operandi immensam, charactere repræsentationis rerum omnium cognoscitur. Quô præmissô de pœna satisfacturo perferenda dicendum. Observavi pœnam in sensu absentis boni vividissimo sive dolore vel animi vel corporis collocari: nunc ipsas definitiones allegabo. *Dolor in animo est repræsentatio alicujus imperfectionis.* (x) Quo distinctior est repræsentatio per omnes imperfectionis partes, eo gravior oritur animi ægritudo. Gnaviter insensatos oportet, qui malis, queis onerantur, obstupescunt ad instar ἀπηλγηκόλων; Neque enim distincte, vel & ullo modo sua sibi mala repræsentant. Simul autem atque serio de suis malis occipiunt cogitare, conscientia cum incredibili dolore evigilat. *Peccatum est ἀνομία, dissensus à lege, eoque imperfectio*, quo longius, quo sæpius à lege recedit, eo gravius imperfectio augmentum capit.

(x) Dolor est repræsentatio imperfectionis ad repræsentantem spectantis, nam & DEUS nostras cognoscit imbecillitates, nec tamen dolet. Nisi forte fuerit ut cum Poireto omnem Numini peccatorum ideam abjudicare velles. Vid. Hoffm. Theol. Tub. dissert. *de scientia DEI* p. 20, ubi sententia Poireti refutata est.

§. 19.

Christus pro nobis saltim quasdam pertulit pœnas, non id abnuunt Arminiani, (y) qui nec inficiari audent, *quod Servator DEUS sit*, Christum ut hominem omnipræsentem esse negant, in quo suis doctrinis valde consentanea docent. Quodsi enim infiniti valoris satisfactionem crederent, haud scio utrum negatâ Christi hominis omnipræsentiâ dogma illud tam facile tueri possent: *Quam inexpectatum*, inquis, *Commentum? vellem ut intelligerem, quî cum omnipræsentia carnis Christi copulata sit perfectio satisfactionis?* Intelliges, saltim ex mea sententia, ubi haud gravate adverteris animum. Quodsi caro Christi locis præsens est omnibus, tum ex *definitione præsentiæ* in persona λόγυ caro res creatas omnes distinctissime repræsentat. (*Vid. caput antecedens.*) Cum igitur servator peccatorum, seu imperfectionum nostrarum pœnas i. e. dolores pertulerit, non potuerunt non hi esse infiniti, quoniam & repræsentatio tantarum, queis totus orbis contaminatus erat, imperfectionum longe distinctissima immo immensa plane fuit. Paulo enim ante observatum eo graviorem oriri dolorem, quo sit repræsentatio attentior, & per omnes distinctior partes. Qui autem non est omnipræsens, limitatâ per sensus repræsentatione, nonnisi id animadvertit, quod sensus offerunt. Non intelligit omnia distincte, non excutit rerum momenta omnia, non complectitur evoluto conceptu vel unius peccati circumstantias singulas, nedum peccata totius generis humani, omnium minime singulorum singulas circumstantias. Igitur deficiente omni-

omnipræsentiâ, deficit immensa repræsentatio, deficiente hâc, deficit dolor immensus, desiderato dolore immenso, desideratur pretii pro peccatis persoluti valor ἰσόῤῥοπος æquans infinitorum peccatorum ineffabilem reatum. Patitur humana Christi natura, itaque & ipsa, non λόγος tantum, in eo esse debet, ut divinâ & distinctissima repræsentatione peccata totius mundi omnia sibi objiciat, quò dolor æqualis i. e. immensus respondeat, pretii infiniti fundamentum. (z) Non sufficit λόγῳ omnia repræsentare, ignorare interim infinita carnem, (qui enim non omnia scit, infinita nescit) ignorantia carnis dolorem minuit, & ad valorem pretii restringit finitum. Novimus quippe dolorem ad Carnem pertinere tanquam *ad subjectum ut quô*; Itaque si plura ignoravit, tanto etiam opere dolere non potuit.

(y) Ita v. g. Limborch. Theol. Christ. L. III. c. 22. §. 1. *Tulit igitur pro nobis & nostro locô gravissimam afflictionem atque ita pœnam à nobis commeritam avertit -. Quæres quodnam sit illud malum quod Christus loco nostro sustinuit? an sit pœna quam nos peccatis nostris meriti eramus? resp. pœnam eandem, quam nos peccatis nostris meriti eramus Dominum nostrum non tulisse, jam ante ostendimus sc. quia desperationem damnatorum non pertulit.* Consentanea igitur suæ doctrinæ de negata omnipræsentia carnis docent.

(z) Nullius igitur momenti est dubium Arminii asseclarum: *Satisfactionem ideo imperfectam esse; quod non conturbatus fuerit Christus inferorum desperatione.* Fuit enim dolor immensus, etiamsi desperatio Christum non occuparet. Desperatio per se ad summum dolorem non pertinet, est enim consectarium amissæ liberationis spei, quod cum pœna non semper conjunctum est. Sufficit carnem distinctissima omnium

mundi imperfectionum repræsentatione pro singulis, earundemque singulis circumstantiis dolere potuisse quod exactæ satisfactioni præstandæ inservit. Non possunt id nè damnati quidem apud inferos, non possunt satis, vel unius peccati gravitatem dolendò, facere DEO, qui nec unum peccatum perfectissime cum omni momento & effectu repræsentant, *hinc eorum pœna, accedentibus subinde novis peccatis, non potest non esse æterna, immo evadere desperationis tristissima mater.*

§. 20.

Ita explicatius declaratur, quod Viri summi de idiomatum Carni servatoris communicandorum necessitate inculcant, addito argumento, quod sine ea dolor Christi non potuerit esse immensus, nec pretii infiniti. Intelligitur quoque ex his, quomodo in tertio communicationis genere, *quælibet natura agat quod suum est, cum communicatione alterius.* In immenso dolore perpetiendo concurrit infinita λόγε repræsentatio, quæ carni tributa ut infinita esse quiret doloris vis, contra sensus ex repræsentatione tantarum imperfectionum oriundus carnis fuit, quem tamen & *suum* esse *voluit* λόγος, *sed in carne.* Ita mutua contingit communicatio salvo naturatum discrimine, duobus utrinque evitatis scopulis. Cum non solum peccatorum nostrorum horrendus dissensus systemati huic illatus suadente DEO justo i. e. sapienter benigno & consensûs tenaci compensandus fuerit, sed & facta compensatione, nova convenientia stabilienda inter vitæ æternæ præmium, & hominis perfecte pii dignitatem, quæ tamen inter tot mortalis vitæ imbecillitates nunquam impetratur: necessarium fuit (*aa*) obsequium Christi in agendo, colen-

colendaque pietate perfectiſſima collocatum, nobis deinde imputandum, quod breviter attigiſſe ſufficiat.

(*aa*) Piſcatoris ſententia de obſequio activo pro nobis non præſtito nova non fuit, ſed habuit præeuntem Georgium Kargium ſeu Parſimonium. Vid. Chriſt. Matth. Pfaff. in Schediaſmate Theologico de formula conſenſus Helvetica c. 1. ad §. 7. p. 18. Hiſt. litter. ampl. not. illuſtr. ad §. 8. p. 212.

CAP. IX.

Opportunitatem Philoſophiæ recentiorum ſiſtens in Artic. de Prædeſtinatione.

§. 1.

QUæ fuerit Leibnitii circa prædeſtinationem ſententia nuper demum inter eruditiſſimos Viros (*a*) diſceptatum fuit. Equidem eam diſquiſitionem, qua, quid his aut illis visum fuerit, examinatur, non lubens ingredior; cum tamen veritatis ex altera parte ſtantis interſit, ne alienô veſtimento adparens aliarum quoque partium patrona videatur: non inepte facit, qui nudam contemplando judicat, quænam litigantium pars in ſuis eam caſtris habeat militantem. Inveſtiganda ob eam cauſam Leibnitii ſententia, ut quodnam prædeſtinationis ſyſtema fructum inde, vel certe conſenſum ſibi polliceri queat, perſpicue intelligatur. (*b*)

(*a*) Inter celeberrimum Mosheimium in conſultat. quam Johannis Haleſii Epiſtolis præmiſit, & Vitum in Apologia contra Moshem. p. 368. ſeqq.

(*b*)

(*b*) Varia gratiæ & prædeſtinationis Syſtemata tradit Pfaffius in diſſert. de gratia & prædeſtinatione, per totum, vid. Hottinger. Hiſt. de grat. & prædeſt.

§. 2.

Primum fuiſſe Leibnitium qui axiomatis de ſufficienti ratione ampliſſimum uſum vel agnoverit, vel præ cæteris urſerit toto litterato orbe pervulgatum eſt. Teſtes habemus Epiſtolas ejus ad Clarkium. (*c*) *Ratio autem eſt id, ex quo intelligitur cur aliquid ſit potius quam non ſit, ſit potius hôc, quam alio modo.* (*d*) Amplitudo axiomatis latiſſime patentis ſine nullo contrario exemplo facillime probatur ex definitione vocum, quibus conſtat, (*e*) quid *ratio ſit?* indicavi, dicam & quid ſit *ſufficiens?* ratio quâ *ſufficiens, eſt, quâ poſita nihil amplius requiritur ad hoc, ut intelligatur, quare res ſit, quâque remotâ aliquid amplius requiritur, aut potius fingitur præſto eſſe aliquid, cujus præſentiæ nullum eſt in ipſo aut extra ipſum fundamentum.* Sed contradictionem in vocibus implicat, ut præſto ſit id, ad cujus præſentiam requiruntur plura, ubi igitur nulla rei aut ideæ ratio, ibi nec res nec idea, quod erat probandum.

(*c*) Omnes quidem exſiſtimant, ſe principium ſufficientis rationis tueri, revera autem in caſibus multis non pauci id omittunt, fingentes plura ſine ratione. Si monentur, reſpondent, ſe *non axioma ipſum, ſed adplicationem ejus reprehendere.* Quomodo principium, quod univerſale concedunt, male adplicari poteſt? Adplicatio mala contingit, quum regulas ad caſus non comprehenſos inepte referimus, atqui illi concedunt, aut ſaltim concedere præ ſe ferunt, quod nullus caſus excluſus ſit. Si aperte profiteantur, excludi caſus, reſpondendum ipſis

ipsis erit ad argumentum in Textu. Accessiones omnes quibus Philosophiam Leibnitius locupletavit hôc principio distinctius per eundem evoluto nituntur; Qui autem tanto dogmatum Leibnitii odio flagrat, fallit, ubi se principii universalitatem admittere caussatur. Audiamus Leibnitium in epist. ad Clark. V. §. 127. Rec. T. I. p. 147. *Tuot le Monde ne s' en est il point servi en mille occasions? Il est vray, qu' on l' a oublié par negligence en beaucoup d' autres; mais c' est la justement l' origine de Chimere; comme par Exemple d' un tems ou d' un Espace absolu reel, du vuide, des Atomes, d' une attraction à la scholastique, de l' influence physique entre l' Ame & le corps, & de mille autres fictions, tant de celles qui sont restées de la fausse persuasion des Anciens, que de celles qu' on a inventées depuis peu.*

(d) Definitionem rationis hanc vid. apud Wolff. in Metaph. §. 29. p. 12.

(e) Axioma apud Mathematicos est cujus demonstratio pendet ex definitione terminorum, quibus constat. vid. Bülffinger. in dissert. de Axiom. Wolff. in præfat. operibus mathemat. german. præmissa ubi de methodo agitur mathematica.

§. 3.

Cum nihil existere possit sine ratione, perspicuum est, divinæ voluntatis decreta sine ratione nunquam formata fuisse. Abesset enim à summa ratione i. e. DEO, agendi ratio, quod quàm ineptum sit, dici vix potest. Ipse Calvinus non ab omni ratione decretum DEI sejungit, pronuntians, *esse justas, licet nobis non perspectas rationes, quibus Numen reprobatis quibusdam, cæteros æterna destinaverit gaudia.* (f) Quodcunque decretum cogitaveris, sive eligendi, sive creandi, sive redimendi per Christum, nunquam eorum ullum

à

à DEO ſtatutum ſine rationis intuitu certæ. Quod niſi dixeris, laxata erunt naturalis theologiæ fundamenta omnia.

(f) Ita ſentit Calvinus in libro de prædeſtinatione, Vid. Leibnit. Theod. §. 79.

§. 4.

Aut fallor ego vehementiſſime, aut admodum erronea eſt Poireti ſententia, qui DEUM plane nullâ ratione ad quidquam decernendum induci mordicus tenebat. Intolerabilis eſt ejus Abſolutiſmus, qualem nemo mortalium unquam ſtabilivit. Laudari tamen in eo Profundus Myſticus debet, quod ſemper ſuis doctrinis conſentanea ad ſyſtematis uſque prima fundamenta tradiderit, nec verbi gratiâ cum quibusdam, quorum nomina fileo, & veneror, in aliquibus DEI decretis v. g. in electione rationes admiſerit, in creando aut in decreto potius creandi easdem abnuerit; Quæ prorſus hiulca eſſe vel obiter advertens videt. Cum enim libertatem creandi adeo extollant, ut & *ſine ratione* factam contendant, haud ſcio annon Adverſarii in *electionis decreto* eundem abſolutiſmum ab illis ſint poſtulaturi?

§. 5.

Diſtinguit Poiret ſubtilior ipſis Scholaſticis inter rerum creatarum uſum & finem, occupationem & ſcopum, priorem concedens, negans poſteriorem, his potiſſimum verbis: (g) *ſi in quæſtione, cur aliquid factum reſpiciatur ad rei uſum, quaſi quæreretur, quis nam hujus rei verus uſus eſſ, quem*

quem ei DEus assignavit: Non modo hæc quæstio justa est & æqua, verum etiam è maxime necessariis - - - si vero in eadem quæstione, cur vel quo fine aliquid DEus fecerit? respiciatur ad scopum quem sibi proposuit DEus, vel potius ad motiva, ad rationes, quibus inductus hoc vel illud egerit? ut si quæratur, quibus de causis permiserit DEus lapsum Angelorum, quid intenderit, quo motivo DEus homines plures perire sinat, vel creaverit cunctos, cur tot & non plures, quibus rationibus rerum naturas & statum sic disposuerit? Hoc quæstionis genus sine temeritate & impietate non fit, cum consilia DEI rimari audeat, quæ & res nobis incomprehensibiles optime conciliant, simulque adoranda obscuritate teguntur.

(*g*) Cog. Rat. L. III. cap. 15.

§. 6.

In hoc discursu meritò reprehenduntur duo. Primo enim opponuntur subordinanda, rerum usus sunt & DEI fines. (*h*) Cur enim DEUS ad certos usus res accommodatas conderet, nisi & inde vellet tanquam sapientissimus cognosci? atqui tale consilium condendi, finis est. Non igitur sine ratione agit DEUS. Deinde confunditur notitia finis divini generalis, cum investigatione scoporum DEI specialium. Qui, num ratione quadam inductus hoc vel illud agat Deus? quærunt, non id agunt, ut singulas rationes rimentur, & justo curiosius scrutentur; sed eo potissimum spectant, ut generatim ne à DEO quidem quidquam sine ratione fieri inculcent, quæ ratio summatim in eo posita est, ut id

faciat

faciat DEVS, quod illuſtrandæ gloriæ ſuæ cummaxime inſervit.

(h) Rerum uſus (*de abuſibus non loquimur*) fines DEI eſſe ſolide probavit Bülffinger de orig. Mali. §. 459. & Diluc. §. 444. nolui igitur agere actum.

§. 7.

In tanta igitur ſententiarum varietate nemo cum Poireto crediderit, DEVM, licet abſolutô decreto agentem prorſus ſine omni motivo, fine, ratione &c. vel eligere, vel creare, vel redimere &c. In eo maxime Reformati à cæteris diſſentiunt, ut negent decretorum DEI rationes vel *in fide vel alia quavis notâ* conditione collocandas. Nos interim præſtruimus canonem qui Phari inſtar lucem adſperget intricatiſſimæ, & per innumera ſcripta nimium extenſæ Liti de prædeſtinatione. *Omnis determinatus eventus, voluntatis actus, quidquid omnino determinate hoc exiſtit, id poſcit & rationem ſui determinatam.* (i) Demonſtratio axiomatis ex priori pendet §. 2. indicato. Nam ſi nihil exſiſtit ſine ratione, nihil etiam poterit *determinate* exſiſtere ſine *determinatâ* ratione. Cur? Quidquid exſiſtit, *determinate* exſiſtit. Genera enim & ſpecies quæ vaga & *indeterminata* concipiuntur, non exſiſtunt nobis haud cogitantibus. Quod *determinate* exſiſtit, & ratione *determinatâ* deſtituitur, id plane non habet rationem pro ſe. Ratio enim minus determinata, quid aliud eſt quam principium, ex quo intelligitur, *cur rei aliquot eſſe poſſint*, non autem, *cur hæ præciſe ſint nec aliæ.* Omnipræſentia DEI ratio eſt minus de-

finita cur res creari queant, non autem est ratio determinata, cur hæ potius creatæ sint nec aliæ, itaque quod definitum est, nec rationem definitam habet, perinde est, ac si plane non haberet.

(*i*) Vid. Bülffing. de orig. mal. §. 182. p. 123. *Res*, inquit *sunt determinatæ quatenus illæ causarum suarum operatione ex vaga possibilitatis generalitate ad unam aliquam illius partem, modum, speciem actu jam reductæ sunt, ut cum potuerint existere aliter & aliter, nunc quidem existant, hoc præcise modo, nec alio.* Cognoscitur ex his verbis, implicare contradictionem *determinate* esse, nec tamen sui rationem habere *determinatam*, ipsa enim *determinatæ* existentiæ definitio rationem includit *determinatam*.

§. 8.

Existimo me in admittendo hoc canône faciles inventurum doctissimos Dn. Reformatorum scriptores. Concesso igitur axiomate præcipuam causam propius attingo. Aut DEUS decernendi hoc vel illud, rationes habet vel non habet, sin hoc adoptaveris, peccabis in generale scientiarum omnium axioma: Ergo amplectendum erit prius illud. Si quam DEUS talia vel talia statuendi rationem intuetur, non potest non determinati decreti determinata præsto esse ratio, ex qua intelligatur, saltim abs DEO, sinon à creatis, cur hoc potius statutum sit, quàm aliud quodvis. *Immo vero*, inquies, *habet DEUS rationes consiliorum suorum, quæ determinata sunt, definitas, sed nobis non perspectas, ad leges, ordines, statutaque hominum non* (*k*) *exigendas.* Nunc arcem causæ decretorio impetu petam. *Nulla decretorum DEI ratio determinata est nisi petita, non à subjecto, DEO,*

ſed ab objecto. Atqui rationes decretorum DEI oportere eſſe determinatas ex canone concedes, ergo fatearis etiam neceſſe eſt, rationes decretorum DEI ab objecto deſumtas ſeu potius ab ejus intuitu. Atqui rationes decernendi, quas ab objecto DEUS depromit, uno ictu proſternunt *abſolutiſmum.*

(k) Hæc eſt Viti reſponſio, quam ingenti argumentorum machinâ adverſariis extorquere cupit, ut nimirum fateantur, licet ſupralapſariorum cooptetur ſententia, DEUM tamen læſæ juſtitiæ non ut homines coargui poſſe. In Apolog. p. 348. §. 57. *DEUS ſuperior legibus quas homini tulit, ea decernere, permittere, agere bene, ſancte, juſte poteſt, quæ ad humanorum officiorum rationes exigi neque poſſint, neque debeant. Et ſic DEI non permittentis tantum ſed decernentis etiam malum, bonitati, ſanctitati, juſtitiæ conſultum & proviſum eſt.*

§. 9.

Prævideo primam argumenti propoſitionem omni niſu negatum iri, eſt ergo cur ea ſuſtentetur fulcro. Si ratio decretorum DEI petitur à ſubjecto i. e. à DEO ejusdemque voluntate, quæro, *qui poſſit eſſe determinata?* voluntas eſt potentia indifferens eligendi hoc, & eligendi illud. *Num ſtat pro ratione voluntas?* atqui ratio illa *indeterminata* eſt. Ex ſola voluntate non intelligitur cur v. g. Judas exitio deſtinatus ſuæque malitiæ relictus, Petrus autem abnegato Chriſtô ſervatus ſit? Non inquirô arcanas decretorum rationes, ſed ex pacto axiomatis, in quod mecum conſenſiſti, *quod eventûs determinati detur ratio determinata*, jure deſidero ex te audire, quomodo voluntas DEI determinata queat ratio eſſe deter-

determinati eventûs quem experiebatur Judas? Quomodo definis voluntatem, *annon per vim eligendi hoc aut illud*? atqui talem esse indifferentem jam dixi. Cave igitur dicas, *eventus determinati* posse esse rationem *indifferentem*. Iterum inculco, me abscondiras DEI rationes non scrutari, nec ut scruteris, temet jubere, velle me tantum ut ostendas, quomodo voluntas DEI indifferens determinati decreti de reprobando v. g. Judâ ratio esse queat? Annon luce meridiana clarius est requiri aliquid, ex quo intelligatur, cur voluntas deserto indifferentiæ statu *determinate* hoc decernat nec aliud? i. e. requiri rationem sufficientem, eandemque determinatam.

§ 10

Non deest voluntati divinæ sua ratio, inquies, *habet justissimas*, de justis rationibus disquiram mox, nunc de ratione voluntatis ipsa dispiciam. Aut ratio cur DEUS aliquid decernit, est voluntas divina, aut ipsum voluntatis divinæ decretum. Sin illud affirmaveris, nosti voluntatem esse indifferentem, nec posse propterea eventûs seu decreti determinati rationem esse, *ob axioma utrinque cooptatum*: Aut vero ratio cur DEUS aliquid decernat, est ipsum decretum, quô decernit, tum idem *formaliter* ratio est sui ipsius. Formaliter, *inquam*, nam si ratio decreti à voluntatis decreto est *formaliter* distincta, cum in voluntate indifferenti quæri non possit, invenietur tandem in repræsentatione quadam intellectus, qui hoc aut illud cognovit DEO dignum, tum præsto est ratio petita ab objecto, quam volumus. (*l*)

(l) Velim hic expendantur verba Bülffingeri in Dilucid. p. 482 quibus Leibnitii sententiam de voluntate semper ex motivo determinato agente contra Anti Leibnitianos, eosdemque Decreti tamen absoluti adversarios, susceptit probandam. Miratus fui, decretorum DEI absolutorum Adversarios in Leibnitio reprehendere id ipsum, quod omnium maxime decreta DEI absoluta evertit, immo quod solummodo ea destruit. Nam si cujuslibet *determinati* decreti motivum *determinatum* requiritur pro hoc potius quam alio quovis, nec vero tale movitum in ipsa voluntate detur, recurrendumtandem est ad repræsentationem intellectûs, quâ hoc vel illud præ alio judicatur convenientius: ita voluntas agit propter prævisas has aut illas in objecto conditiones, quæ ipsissima Protestantium Reformatis oppositorum sententia est. Ita autem ille: *Voluntatis essentia consistit in conatu agendi vid.* § 315. *igitur recte quidem ratio actionis repetitur ex voluntate, cur ambulo? quia habeo conatum ambulandi continuatum, & non impeditum, h. e. quia volo nunc ambulare seriò. Sed cur volo? vel cur habeo conatum ipsum ambulandi* (hunc)? *An volo, quia volo, h. e. an habeo conatum ambulandi quia habeo? quis hoc ferat, volo quia placet, inquis. Recte id, & non recte, prout voci sensum tribuis. Volo i. e. habeo conatum ambulandi, quia placet, i. e. quia videtur sub præsentibus circumstatiis bonum. Concedo te recte respondisse: allegasti rationem volendi ex repræsentatione prævia, sic decet! Volo ambulare, i. e. habeo conatum ambulandi quia placet, h. e. quia stat pro ratione voluntas, i. e. quia, cum possim habere alios conatus, habeo hunc potius quam alium. Quid dixisti? Non sane rationem volendi audio, sed negationem rationis, & positionem tamen actionis, tanquam ex ratione profluentis. Volo quia volo, volitio, inquis, ipsa est ratio volitionis meæ. Patere ut aliquid requiram. Aut volitio, quæ ratio est, est distincta*

stincta à volitione, cujus ratio est, ut habeam volitionem A, & ejus rationem, volitionem sc. B. hoc sensu: volo velle, hîc quæro cur velis velle? an iterum quia vis? quousque? confer Leibnit in Theod. §. 51. Aut eadem sibi ipsi volitio est ratio sui ipsius? hoc sensu: Volo actionem hanc potius quam illam; volitio hæc mea procedit ex aliqua sui ratione, ex qua intelligi potest, cur sic potius velim quam aliter; illa autem hujus meæ volitionis ratio, est ipsa hæc mea volitio, vereor ut pauci accedant huic analysi. Adplicentur hæc ad DEUM, & perspicuum erit, quodlibet decretum DEI habere rationem non in voluntate, aliter idem decretum A, esset ratio sui i. e. A. quod absonum, sed in divini intellectus repræsentatione.

§. 11.

Liceat majoris lucis causa & aliter dicta inflectere. Profitentur acutissimi Reformati, quemlibet eventum *determinatum* exsistere ob rationem *determinatam*. Habemus igitur Decretum de Petro eligendo divinum, quod vocabo A. nunc quæro, ubi sit ratio *determinata* τῦ A. num in voluntate DEI ipsa, quatenus est vis agendi libera, hoc aut illud eligendi? atqui hæc vis est *indifferens*, quia libera; Adversarii vero concedunt, minus *determinatum* seu *indifferens* non posse esse rationem *determinatam* alicujus rei. Id quod axioma postulat. Forsan ratio decreti A. est in ipso A? ita A. erit, quia est A. quàm hoc quæso incommodum! *ratio sufficiens est, ex qua intelligitur, cur aliquid exsistat potius, quàm non exsistat, tale sit potius, quam tale.* Si igitur A. est, quia ipsum A. est, nondum intelligitur cur A. exsistat potius quam non exsistat, cur tale sit potius quam

tale i. e. nondum habet A. rationem sufficientem determinatam. Cum igitur ratio determinata τȣ̃ A. nec in voluntate, nec in voluntatis actu sit, non potest non esse in alio DEI adtributo, intellectu, justitia &c. de quibus nunc dispiciendum est. Nisi forte dixeris, rationem determinatam decreti A. esse in alio voluntatis decreto B. quô ipsô tamen parùm profeceris; nam & de B. eadem quæstio recurrit, quam rationem determinatam habeat? ita ut vel infinitam retro decretorum DEI se invicem præsupponentium seriem statuere, vel ab ultimo ulterius ascendere, & rationem ejus determinatam in intellectu, seu alibi quærere debeas.

§. 12.

Aut sol non lucet ipsô meridie, aut ratio decretorum DEI determinata non in voluntate ejusdemque actibus, sed in alia DEI virtute *moralì* quærenda. Virtutibus DEI *moralibus* potissimum adscribitur *justitia*, *sapientia*, *Sanctitas*. Itaque forsan his determinata decretorum ratio continebitur. *Videbimus*. Justitia *est benignitas cujus exercitium dirigit sapientia*: benignitatem vocamus DEI virtutem, *quâ perfectiones rebus extra se tribuit. Sapientia adpellatur quæ convenientiam adminiculorum & finium respicit*. Quodsi igitur determinata alicujus decreti ratio in justitia ponitur, sapientia benignitatis exercitium suspendit ob minus convenientem objecti beneficiis mactandi conditionem. Quærenti proinde, *Cur Judas reprobatus* sit, *nec vero Petrus*, *aut Paulus*, *aut alius electorum*

Electorum quivis? respondendum, quia *justa* adfuit ratio: i. e. quia sapientia suasit, ut propter hujus objecti incapacitatem indignitatemque benignitatis effluvia retardarentur. Quocirca ratio *determinata* objecti damnati erit in ipsa ejusdem conditione *determinata*, quod volunt Dn. Reformatorum Antagonistæ. Justitia enim in se generatim considerata est pronitas DEI benignitatem suam moderandi pro objecti convenientia sapienter, convenientiam autem DEUS volendo non facit, aliter arbitrariæ essentiæ à Dn. Reformatis amplectendæ forent, sed eam demum in objectorum schesi, nexu, & capacitate invenit ab intellectu repræsentatam.

§. 13.

Si conquerantur, *hanc definitionem ipsis obtrudi invitis, esse figmentum Leibnitii*, saltim contra suum sodalem id agnoscant, quod Leibnitii doctrinæ Absolutismo omnium decretorum adversentur; Cum tamen Vitus Casselanus in supralapsariorum partes trahere Leibnitium voluerit. Sed possumus etiam salvâ hâc, quam tuemur, causâ demonstrationi substernere justitiæ definitionem eam, quam nec Reformati rejiciunt. Justitia *est studium constans suum cuique tribuendi.* Scisciteur nunc, num in justitia DEI possit esse *determinata* ratio, *determinate* Judam proditorem nec alium Apostolum, seu electum reprobandi? quæ ratio fuit reprobationis hujus, nec alterius, quæ ratio erat Judam ejiciendi, nec alium? *Justitiâ*, inquis, *DEI, quia actio hæc justa fuit.* justa actio est, *quâ tribuitur cuique quod debetur, justa hæc*

actio in individuo, qua tribuitur huic in individuo quod ipsi debetur, ergo debebatur reprobatio Judæ, si quidem, *ut carssaris*, justa fuit. Quis autem debitum illud statuit, quis convenientiam inter Judam & pœnam contemperavit? Annon ipsa Judæ conditio? An DEI decretum illam convenientiam inter plagas æternas & Proditorem stabilivit? *Quidni*? forsan inquis, atqui redis in circulum. De voluntate DEI eadem difficultas redit, quæ paulo tibi ante obversa est, & ob quam ad justitiæ mentionem te contulisti. Nunc cum urgeris eo recurris, unde jam deturbatus es. Deinde si ipsum DEI decretum statuit, quid cujusque *suum* esse debeat, tum justitia non est studium DEI cuique tribuendi *suum*, sed cuique tribuendi, quod *vult*. Jam quæro ex te, an DEUS omnium rerum convenientias, quæ τὸ *suum* cujusque rei constituunt, pro arbitrio facit? an vero in æterna possibilium regione i. e. in div. intellectu repræsentata voluntati optionis causa offerantur? si prius dicas, arbitrariarum essentiarum opinionem cum Poireto revocare instituis, si posterius placeat, habemus quod volumus, namque eô admissô, DEI intellectus rerum convenientias, v. g. pœnæ congruitatem cum Proditore repræsentat, voluntas vero decernit, quia DEO dignæ sunt, moveturque rationibus *objectivis*. Decretum DEI igitur vel fidei vel perfidiæ convenientiam objecti in destinando præmio & pœna respicit.

§. 14.

Totus litteratorum chorus, quaqua per orbem diffunditur, hinc intelliget, absoluta DEI decreta

creta doceri non posse, sine arbitrariarum essentiarum dogmate, atqui hoc etiam axiomate nostro evertitur. *Determinatum decretum poscit rationem determinatam.* Quodsi Deus ideas rerum & essentias pro lubitu statuit, rogo, an determinatum motivum ab æterno habuerit, hæc prædicata cum his subjectis potius connectendi quàm alia, nec ne? si non habuit, determinate aliquid decretum est, sine determinata ratione, quod absurdum, si habuit, tum ratio illa determinata, qua inductus hæc prædicata DEUS cum his subjectis copulavit, erit fundata in quadam rerum convenientia ab intellectu orta, & repræsentata, eademque immutabili, & necessaria. Nam si à voluntate penderet & ipsa, semper recurreret eadem superior quæstio, eoque progressus in infinitum, i. e. si ratio illa liberæ voluntatis filia foret, denuo posset inquiri, num ratio determinata voluntatis, quâ rationem priorem statuit, in voluntate ponetur, an in voluntatis actu, & sic sine fine.

§. 15.

Non licet mihi non esse subtili, propter consilium omnes, & minutissimas quidem elabendi rimulas obstruendi. Dico igitur sententiam veram. Rerum essentiæ, scheses, nexus, convenientiæ sunt necessariæ. Quamobrem? essentiæ sunt possibilitates: Res non sunt possibiles quia DEUS vult, sed eas DEUS vult, quia sunt possibiles. Nec enim possunt esse impossibiles, quo continetur character necessitatis. Licet autem necessariæ sint, dependentes tamen sunt à DEI omnipotentia; ideo

enim poſſibiles ſunt, quoniam eis præſtandis par eſt omnipotentia; ex adverſo ideo habentur impoſſibilia, ſeu contradictionem involventia, quia omnipotentia DEI pugnare contra ſe ipſam nequit, i. e. eodem reſpectu & tempore idem adſtruere & deſtruere non poteſt. Intellectui divino eſſentiæ i. e. poſſibilitates omnes ab æterno obſervabantur, & ſeorſum, & in certos redactæ ordines, i. e. prout varios referebant poſſibiles mundos. In cunctis vero ordinibus res etiam hactenus nonniſi poſſibiles ſemet mutuo determinant. *Cur* v. g *ab æterno poſſibile fuit, ut eſſet Servatoris proditor?* quia in his circumſtantiis, quas talis rerum ordo tulit, poterat elici ejus peccatum, in aliis circumſtantiis poſſibile fuiſſet, ut non peccaſſet. *Cur fieri poterat ut puniretur?* quia poterat peccare; *unde convenientia pœnæ proditoris & peccati?* ex utriusque poſſibili natura ac definitione. DEUS igitur creaturus vidit innumeras rerum poſſibilium ſeries i. e. Mundos, unum tamen præ cæteris præſtantiſſimum licet & cum malo conjunctum, quem tanquam ſe digniſsimum anteponere, & exiſtentia donare conſtituit, non quia malo contaminatus, ſed quia eo non obſtante reliquis omnibus melior erat. En rationem decreti *determinatam*, non *ſubjectivam*, ſed *objectivam*, quæ *determinationem* parit. In optimo rerum poſsibilium ordine exiſtentiæ jam deſtinato rationem DEUS habuit omnium perfectionum ſingularum & univerſarum. Quæ igitur ratio fuit, ut in æternæ poſsibilium regione, quæ in DEI intellectu ſita eſt, perfectiones ſingulæ hoc aut illo modo determinatæ à ſe mutuo fuerint:

ea

ea ipsa etiam fuit, ut eas DEUS eligeret. Quoniam v. g. ab æterno possibile fuit in hoc rerum ordine existentia donato, ut Petrum certæ circumstantiæ ad fidem determinarent, fidesque disponeret ad consequendam vitam æternam, ideo etiam DEUS Petri vitam propter fidem voluit. Quoniam ab æterno possibile fuit, Judam in hac rerum serie ad proditionem determinari, eoque præparari ad pœnas inferorum, Numen etiam decrevit pœnas propter peccatum.

§. 16.

Suspicaris forsan, *hoc probari non posse, quod vitam DEUS largiatur ob fidem, sufficere quod generatim hunc mundum decreverit ut optimum*, Falleris. Non esset decretum DEI pro Petro servandò potius quam Nerone determinatum, nisi peteretur ejus ratio determinata ex objecto. Cur enim Petrum eligeret & non alium? semper te urgent priora. Cum igitur ex objectis ratio determinata sumenda, quorum subinde alterum altero determinatur, etiam ubi in possibilium æterna regione adhuc respiciuntur; potuit DEUS hoc præcise nec aliud velle, quia illud à divino intellectu repræsentatum fuit, ceu convenientius hîc & nunc in his objecti circumstantiis. Ita vitam æternam hujus præcise hominis non decernere poterit, nisi ob determinatam ejus dispositionem antecedentem, quæ ad vitam præparat. Uti universum mundum non eligit præ alio quovis, *quàm quia hic solus ipso dignissimus*: ita & singulas mundi partes has, aliis quibuscunque antepositas non vult, quàm quia hîc & nunc convenientiores sunt. Est enim,

enim univerſum hoc optabilius propter ſingulas partes ex quibus conſtat, quas niſi DEUS in *determinatis* circumſtantiis conſideraſſet, non habuiſſet rationem eas cum Univerſo admittendi *determinatam*. (*m*) Mali eſt diſſimilis ratio. DEUS namque non vult nec generatim ullum malum, nec definitô modô hoc aut illud. *Decernit* tamen *permiſſionem* hujus magis, quam alterius; quia hoc nec aliud cum optimo ſyſtemate conjunctum eſt.

(*m*) Si prolixiora hæc ſunt, accipe ea nervoſius. Nullius decreti, ſive de præſtando quodam bono, ſive permittendo malo, datur determinata ratio, niſi ex objectis quorum comparatio majorem unius præ cæteris convenientiam, eoque etiam rationem determinat illud præferendi. Illuſtrabo ſententiam Leibnitianam de prædeſtinatione ſimili quodam, ut intelligatur, ſubinde in ea urgeri rationes ab objecto petitas, quæ *abſolutiſmum* evertunt. Finge cuidam Principi aliquot offerri typos (etliche Plans) gerendi pro neceſſitate Reipublicæ bellum, exercitumque mittendi in has aut illas oras. Fac porro aliquem typum tales ſuadere oras, quæ ſimiles forent illis, in quibus Hannibalis marceſcebat virtus, ubi nemo militum fugiendo aliisque criminibus bellicis ſupplicium mereret extremum, quod ipſum tamen cum utilitate publica non optime conſentiret. Cogita porro offerri etiam alios typos reipublicæ magis ſalutares, ut ſc. mittatur exercitus in oras hoſti proximas, cum quibus certandum foret, quo facto milites aliquot occaſionem eſſent ſumturi aufugiendi, & culpam contrahendi ſuppliciorum. Quodſi Rex expenſis omnibus circumſtantiis hunc typum eligeret, quia eſſet cæteris convenientior, & commodo publico promovendo accommodatior; omnes rationes eligendi determinatæ forent *per conditiones objecti*. Primo generatim typus ipſe aliis antelatus foret, ob ſuam majoris convenientiæ ſcheſin, poſt etiam ſingulæ typi partes ſua conditione concurriſſent, ad eligendum

gendum totum. Si quæreres, *cur jam hic miles pœnam dat capitis*, annon responderetur solide? *quia aufugiebat, & quoniam Rex typum decernendo totum, propter fugam & hoc decrevit.* Sin vero instares, *cur eum Rex in his circumstantiis collocavit, in quibus peccaturum præsagiebat, forte non respexit ejus peccatum, sed arcana voluntate hunc peditum voluit?* annon excipereris ludibrio? primo enim responderetur, *miles in his circumstantiis necessario non peccavit, poterat & non fugere? foriterque pugnare.* Secundo urgenti, *cur ergo in his circumstantiis positus fuerit?* occurretur, *quoniam cum typo bellandi optimo hic eventus conjunctus erat, Regis autem non erat, ob salutem privatam militis posthabere publicam.* Interim vel stupidissimus videt, tam in typo summatim considerato, quam singulis ejus partibus *rationem eligentis* principis *à conditione vel objecti totius vel partium depromendam.* Nam & fortes milites non ob aliam causam præmiis Rex afficiendos statuit, quam quia typus generalis eorum repræsentavit fortitudinem. Ratio decreti Regii determinata omnis, sive in toto, sive in parte typi, objectorum conditiones respicit. Substitue in locum principis DEUM, in militum vices electos & reprobos, tum plana erit adplicatio. *At juxta Reformatorum sententiam simile ita foret instruendum.* Ut primo Rex cogitasset de manifestanda auctoritate in præmio & supplicio afficiendis militibus, tum de conscribendo exercitu, post de loco & modo bellandi, quo nonnulli occasionem sumerent vel ignavia supplicium, vel fortitudine præmium conciliandi. Sed in hoc ordine typi nulla foret ratio determinata cur hos potius milites conscripsisset nec alios, cur hunc locum bellandi decrevisset, nec alium, in quo æque alii milites quidam, ignaviæ occasione arreptâ, supplicium meruissent, aut non arreptâ, præmium. *Hoc est capitale discrimen inter Reformatos & Leibnitium intercedens. Quod illi determinatum eventum statuant, sine ratione determinata, hic vero nunquam.*

Ita

Ita Turretin. de supralapsariis, Primum inquit, *secundum eos decretum est de manifestatione gloriæ DEI in exercitio misericordiæ & justitiæ, per salutem & damnationem hominum. Secundum de creatione*, quod comparo cum exercitus conscriptione. *Tertium de permissione lapsus*, quod contendo cum delectu loci, in quo fugam capturos prævidet Rex milites. *Quartum de missione Christi*, quod simile est exercitio juris aggratiandi in quibusdam transfugis. T. I. loc. IV. de præd. est. quæst. 18, §. IV.

§. 17.

Determinata decretorum DEI ratio non est igitur, nec in justitia, nec in bonitate & sapientia, nisi petatur ab objecto. Sed forsan est in *sanctitate*, ita quidem, ut objectum non respiciat? *Inquiremus.* Sanctitas DEI est virtus, quâ omnes (*n*) *perfectiones possidet, easdemque solas i. e. non conjunctas cum contrario i. e. imperfectione. Sancta igitur voluntas quæ nonnisi bonum vult & malum aversatur. Sanctus intellectus, qui nulli errori unquam sed vero semper assentitur.* Quodsi ergo ratio determinata *quare Petrus servetur, nec alius quivis reprobus*, in sancta DEI voluntate est, tum ea fertur in salutem Petri, quia est bona nec mala. Atqui hæc ratio non est determinata, quia etiam in Judam cadit; nam & hujus pernicie Voluntas sancta acquiescit, nihil tamen potest esse *determinatum* pro hoc, quod & in alia quadrat prorsus idem manens. Ergo ut voluntas sancta salutis Petrinæ *definita* ratio fieri queat, dicendum, *salutem ejus à DEO decerni, quia est præcise huic subjecto conveniens, quia præmii collatio in his individuis Petri circumstantiis, bona est, nec mala*, quô sanctitas decreti hujus indivi-

dividui continetur. Qui autem hoc affirmat, rationem decreti ab objecto petit. Non est cur dicas, *bonum & malum quod sit, à DEO decerni, si igitur vel maxime absolutum pro arbitrio consilium ineat, ut Judas pereat, id bonum fore nihilominus, vel tantum ideo quod DEUS decreverit:* Ita enim revocares sententiam de essentiis arbitrariis, quæ origo est omnium errorum in doctrina de prædestinatione. Adde quod & fratribus (*o*) reclamares, *qui non ideo aliquid bonum esse contendunt quia Deus vult; non ideo sanctum, quia decernit, sed propterea velle DEUM ajunt, quia quid est bonum, ideo decerni, quia est sanctum.* Ergo sanctitas voluntati præstruitur, ergo aliquid ante debet esse sanctum, quàm DEUS velit, atque si quid DEUS *determinate* velit, oportebit esse in his circumstantiis determinate sanctum, cumque circumstantiæ *definitæ* ex objecti natura pendeant, rationes decernendi petuntur ab objecto, *quod erat probandum.* Ita stat sententia velut Marpesia cautes, quod absoluta decreta sine essentiis arbitrariis defendi nequeant.

(*n*) Vid. supra caput 1. sect. 5. de sanctitate DEI.

(*o*) Witsio v. g. in Oeconom. fœder. DEI L. 1. c. 13. §. 18. *Præposterè res digerunt, qui sanctitatem in eo duntaxat faciunt consistere, quod actiones ejus exactè cum voluntate consentiunt. Quæ voluntas,* inquiunt, *omnis sanctitatis etiam divinæ regula est. Ex adverso sanctitas DEI naturalis ut voluntate prior concipi debet, & potius voluntatis regula est. quàm ad voluntatis regulam exigenda.* Kingii Episcopi Angl. hæc sententia fuit explosa à Leibnitio in Theod. Non diffitetur autem Patronos absolutorum decretorum magis consentanea docere, si Kingii sententiam, aut Poireti de arbitrariis essentiis cooptent, quam si admittant essentias necessarias. *Poireti* Metaphysica adcomodata est ad

Refor-

Reformatorum doctrinas, quoniam DEUM *abſolutiſſime* agentem ſupponit, *Leibnitii* ex adverſo Metaphyſica generalia cæterorum Proteſtantium, qui Hunnium ſequuntur, axiomata exhibet: Statuit enim DEUM agentem in creatis non ſine ratione *objectiva* quæ in majori convenientia ponitur.

§. 18.

Nunc, quem Dn. Reformati decretorum ordinem conſtituant, luſtrabimus, ut inſtituto examine cognoſci queat, *an omnium decretorum*, quæ determinata ſunt, *poſſint allegare rationes determinatas*, nec ne? ſeu, annon violent axioma ſupremum, dubio omni majus? Miror à pauciſſimis definiri, *quid ſit decretorum ordo*? Qui de ordine decretorum anquirit, examinat, *quodnam alterius ſit motivum*. Arbitror hanc eſſe definitionem, aut nullam. Non poteſt igitur decretum decretô anterius concipi, niſi exploratum ſit, unum eſſe alterius *motivum*. Ordo decretorum à *ſupralapſariis* conſtitutus hic eſt. (*p*) *Decretum prædeſtinationis ſtatuitur prius decreto creationis & permiſſi lapſus, & concipitur DEUS primo cogitaſſe de manifeſtanda gloria in exercitio juſtitiæ & miſericordiæ quoad ſalutem & damnationem hominum, quam cogitaverit de creando homine vel permittendo ejus lapſu, ita ut creatio & permiſſio habeant rationem medii ad patefactionem miſericordiæ & juſtitiæ tanquam finem. Ita* primum *ordine decretum de manifeſtanda gloria per miſericordiæ & juſtitiæ exercitium*, ſecundum *de creatione*, tertium *de permiſſione lapſus*, quartum *de miſſione Chriſti &c.* Quodſi Canon: *determinati eventus, datur determinata ratio*, verus eſt, ordo hic omni fundamento deſtituitur. Primum de-

cre-

cretum formatum fuisse affirmant de *manifestanda gloria in exercitio justitiæ & misericordiæ.* Quæro egomet jure: Cur DEUS hoc decrevit misericordiæ & justitiæ exercitium in his hominibus comprobandum, nec aliud in aliis creatis ratione præditis? vel an hoc primum decretum indifferens fuit? per quodnam igitur sequens determinatum, & ab universalitate suâ vagâ ad gloriam hanc, in hoc exercitio justitiæ quærendam restrictum est? Dicis, *de gloria manifestanda fuisse primo statutum.* Cur autem hanc gloriam in hoc mundo, nec in alio, quem etiam creare poterat, sibi comparavit. Intelligitis, ô doctissimi & pientissimi Viri Reform. *Vos determinata decreta statuere sine determinata ratione*, & nullam definitam rationem indicari posse, quàm sumtam ab objecto, quia scil. hujus mundi gloria reliquis omnibus, per alios mundos conciliandis; illustrior fuit. Hæc autem est Leibnitii ratio, eademque determinata.

(p) Vid. Joh. Francisc. Turretin. Loc. IV. de prædest. quæst. 18. §. 4. ubi ipse impugnat supralapsariorum sententiam, *quia actus odii divini erga creaturas statuatur antequam odio dignæ sunt, quod amoris effectu ex odii principio scil. Creatio ex reprobationis consilio adjudicari fingatur.* Si vero hæ rationes resolvuntur, ultimum earum fundamentum cernitur in nostro axiomate sc. ideo DEUS odio non habere potest odio hactenus indignos, quia nulla definita ratio præsto est, ad odium huc præcise in hunc, nec aliorsum in alium determinandum. Atqui eodem principio profligatur etiam infralapsariorum sententia, ut mox cognosces.

§. 19.

Cum determinata ratio ab objecto sit arcessenda quando de *universa* gloria DEI quæritur,

ita ut aliter reſponderi nequeat, *quam quia hoc objectum gloriæ divinæ illuſtrandæ adcommodatius fuit?* debet etiam ratio determinata in objecto quæritum, quum de *quodam* gloriæ divinæ teſtimonio ſermo inſtituitur, & v. g. rogatur: cur in Petro DEUS miſericordiæ potius, quàm juſtitiæ laudem & gloriam deſtinaverit? Non potes aliter reſpondere, niſi more Leibnitii, quia convenientius determinate fuit, hunc determinate eligere, quam alium reprobum. Nullam autem convenientiam indicabis in Petro ad electionem impetrandam, quam fidem. *Secundum* decretum ſupralapſariorum premitur eodem defectu; Pertinet id ad creandum. Cur autem DEUS hos creavit homines, angelos, nec alios? *à quibus forſan æqualis gloria expectari poterat?* recte addis *forſan*: Convenientius fuit hos condere propter horum conditionem, quam alios. In *tertio* & *quarto* decreto obſervatur idem. Si DEUS lapſum permiſit, quæritur cur potius permittere quam impedire voluerit? Num alleganda eſt voluntas â ratione ſejuncta, i. e. abſoluta? atqui ipſa voluntas ut & ejus actus ratio eſſe non poteſt, provoco ad antecedentia. Quid voluntatem determinavit ad permittendum magis quàm impediendum malum? rationem oportet adeſſe in objecto, quia convenientius erat primum quam ſecundum ex conditione ſyſtematis optimi. Vides igitur & hanc voluntatem aut potius decretum non ſine ratione in objecto formatum. Simile judicium eſt de miſſione Chriſti decreto quippe quarto. (q)

(q) Qui rationem decreti de Univerſo condendo in objecto, quod optimum fuerit, quærit, is etiam in ſingu-

singulis objecti partibus easdem rationes *majoris convenientiæ* singulares admittere debet: ita ut si quæratur: *cur Petrus in hoc optimo Mundo electus fuerit*, respondendum sit, non aliter ac de universo systemate responsum est, quia in his circumstantiis, *quis autem fidem ab illis eximat*? convenientius fuit, eum eligi, quam reprobari. Revoca, si placet in memoriam simile §. 16. sub nota (*m*) exhibitum. *Adde similitudini, quod oblitus eram, valere ibi dicta, si vel maxime etiam supponatur quod Rex vires, militibus in bellum excurrendi tribuisset, ita ut illi nihil ad victoriam suis viribus, bene tamen ad fugam viribus regiis resistendo conferrent.* Dico hæc ne quis cavillando simile extra tertium extendat, nosque objurget, quod ex simili nimium tribuatur libero arbitrio. *Tota prædestinationis doctrina verior, quatenus exhaurit infinitas, in tanto sententiarum divortio, difficultates, eo simili commodissime illustrari potest.*

§. 20.

Pergimus ad sententiam *Infralapsariorum*, quæ & in Synodo Dordracena cooptata. *Primum decretum esse ajunt formatum de creando homine. Secundum* (*r*) *de permittendo ejus lapsu. Tertium de quibusdam eligendis, cæteris in sua nativa corruptione relinquendis. Quartum de Christo in mundum mittendo. Quintum de vocandis efficaciter electis per Evangelii præconium & spiritûs donum.* Primo Infralapsariis responderi potest, quod ipsi objiciunt Supralapsariis, ut affirmare non dubitem, suis hypothesibus magis consentanea docere hos, quam illos, ob quam causam quoque Vitus Cassellensis laudandus, qui aperte supralapsariorum sententiam profitetur. (*s*) Post observandum & Infralapsarios adversus axioma

docere: *Determinati eventûs, datur determinata ratio.* Primum *decretum ad homines creandos pertinuiſſe dicunt.* Cur autem quæſo ad hos nec ad alios? Annon ipſa obecti i. e. mundi creandi major cum gloria DEI conſenſus hos homines popoſcit nec alios? ſin hanc creandi rationem ab objecto petitam conceſſeris, etiam in cæteris decernendi rationes *determinatas* ab objectis ſumere potes & debes, ſi fueris refragatus: *determinati* de creando decreti non erit ratio *determinata*, quod eſt abſurdum. Ita ſecundi *decreti de permittendo lapſu* pariter non habetur definita ratio, niſi recurras ad objectum, i. e. lapſum ipſum, quippe qui in mundo optimo futurus ſapienter poterat permitti. *Tertium decretum de quibusdam eligendis, cæteris in corruptione nativa relinquendis* manifeſte adeo axioma evertit ut nihil poſſit eſſe manifeſtius. *Eſſe ex æquo corruptos omnes Dn. Reformati concedunt, inculcant, urgent,* (a) Igitur peccatum non poteſt eſſe definita reprobationis cauſa, multo minus electionis, nam quod omnibus commune eſt, id inter omnes non diſtinguit: Fateantur igitur oportet, nullam eſſe determinatam de eligendis his, deſerendis illis rationem, quàm decretum DEI. Sed de decreti ratione quæritur, quod ſane ſui ipſius ratio eſſe nequit. Aliter eſſet determinatum, quia eſſet determinatum, quod eſt rationi diſſentaneum. Recurrunt h. l. omnes difficultates, quas §. 10. 11. & ſeqq. inſuperabiles oſtendi, ſubinde debetur reſponſio: *Cur ex maſſa corrupta Petrus præciſe nec alius electus? An DEUS hunc voluit, quia hunc voluit?* annon opus eſt ratione determi-

terminata eximendi à pernicie hunc? *An igitur hæc individua DEI inclinatio exstitit sine ratione?* Non poteris regerere, *habet rationem sed nobis incognitam.* De ea enim incognita quæro: an ne id quidem perspectum sit, utrum ea ratio sit in *subjecto*, DEO, an extra eum, in objecto? *si id exploratum quoque ipsum neges*, fateris, quod nolles fateri, *sciri non posse, an DEI decretum objecti conditionem respiciat, nec ne*, i. e. *an prædestinatio sit absoluta, num conditionata?* Nemo quippe dubitat, absolutam esse prædestinationem, si ratio nulla detur nisi in subjecto prædestinante, conditionatam vero, si ratio inveniatur in objecto prædestinato. Qui igitur annuis, *exploratum non esse, an ratio eligentis Petrum DEI sit in subjecto, an in objecto?* fateris, *te ignorare num tua de absoluto dereto sententia vera sit, an falsa?* Quod si autem dicas, *rationem eatenus esse cognitam, quatenus sciri possit, quod eligendi motivum non sit in objecto, sed solo subjecto DEO:* Profecto non debuisses mea difficultate pressus provocare ad ignorantiam; Visus enim es elabendi, aut potius tegendi tantum difficultatem meam, non vero solvendi consilium agitasse. Nam nunc Te urget, quod paulo ante dixi, *quomodo potest ratio* v. g. *Petrum eligendi determinata in DEO esse?* si ab objecti conditione, quæ sola determinat, discesseris. Num ratio determinata est in voluntate? atqui voluntas, ut sæpe dixi, est indifferens, *Num determinate Petrum vult*, quia determinate vult? quis ita respondentem ferat? An *provocabis*, allegandô determinatam rationem, *ad justitiam, sanctitatem, sapientiam?* cave id fa-

cias; ea enim adtributa objecta extra DEUM ſive poſſibilia, ſive exſiſtentia ſupponunt, eoque rationes *objectivas* offerunt, quas nolles: Niſi forte fuerit, ut arbitrariarum eſſentiarum ſententiam contra fidei tuæ ſocios recoquere inſtituas: atque dicas, *rem ideo ſanctam, ſapientem, juſtam eſſe, quia DEUS velit*; tum novus metus orietur: Urgebetis enim: *cur DEUS determinate hoc voluerit ſanctum eſſe, nec potius aliud quiddam.* Vides tandem, Doctiſſime Reformate! fidem tuam contra rationis palmarium dogma pugnare quod eo tibi moleſtius eſſe debet, quia rationem ſanam non captivandam eſſe in aliis fidei articulis, mirifice urges.

(r) Vid. hunc ordinem apud Franciſc. Turretin. Theol. Elenchtic. L. IV. de prædeſt. quæſt. 18. §. 21. 22.

(s) Profeſſio Viti in Apolog. p. 363. §. 60. hæc eſt. *Quæ hactenus pro ſupralapſariis dixi, ea nolim Lutherani fratres noſtræ Eccleſiæ tribuant. Publica enim noſtra fides, ut inter omnes conſtat, tota infralapſaria eſt. Neque ego, licet cum ſupralapſariis ſentiam, quidquam in publica fide mutatum volo.* Cæterum, quæ in Textu dixi, confirmo. Objiciunt ſupralapſarii infralapſariis. *Si prædeſtinationis decretum non prius eſt decreto creandi, ſequitur DEum incerto fine hominem condidiſſe.* Reſpondent infralapſarii v.g. Turret. Loc. IV. de prædeſt. quæſt 9. §. 22. *Nec enim ſi DEus pro fine non habuit patefactionem miſericordiæ & juſtitiæ in ſalute vel damnatione, illico dicendum eſt omni fine caruiſſe. Quidni enim DEus in utroque gloriam ſuam patefacere voluit per exercitium aliorum adtributorum, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, licet non reſpexerit adhuc ad miſericordiam & juſtitiam, quia nondum erat eorum objectum conſtitutum.* Quidquid hic reſpondet infralapſarius, poterit ei etiam obverti à *Lutheranis*, quos incommode

mode ita vocant. Arguit contra eos Hottinger *in dissertat. de voluntate anteced. & conseq. quæ Histor. de grat. & prædestin. subiuncta T. II. p. 458. §. 44. voluntatem humanam non posse inter duo decreta ita intervenire, ut prius seu antecedens aliquod DEI decretum* (v. g. *hominem servandi voluntas*) *ab homine rescindatur, DEus suo fine excidat, & per voluntatem consequentem illud velle,* (*ut Arminiani*, Lutherani, *loquuntur*) *cogatur, quod per intervenientem hominis voluntatem liceat: Nobis esse dicendum*, paulo inferius §. 45. pergit. *hoc vel illud faciemus, si Deus permiserit. Jacob. 4. v. 15 Hebr. 6. v. 3. at illi invertunt, DEus hoc vel illud faciet, si homo voluerit; Si per hominem licuerit.* Atqui Turretinus fidei socius, *Clarissime Hottinger!* ut intellexisti modo, statuit, *posse DEUM primo cogitare de manifestandis aliis adtributis, quàm justitiâ, & misericordiâ, quippe quæ ante cogitationem lapsus nondum semet exerendi objectum habeant: Tum demum interveniente lapsus præscientia, DEum respicere manifestandas misericordiam, & justitiam vindicantem.* Quid autem hoc est aliud, quam se accomodare ad voluntatis humanæ interventum in decernendo, & si odiose loqui, tecum, Vir optime! vellem, quid hoc esset, quam consilium mutare. Quidquid mihi responderis, socio tuo infralapsariô responsum est. Si DEUS ex mente infralapsariorum primam voluntatem manifestandi alia adtributa, quàm justitiam & misericordiam, dimittere potest, ob interventum lapsus, eoque justitiæ & misericordiæ laudem post lapsum prævisum destinare: poterit etiam primo *omnium misereri*, deinde prævisâ incredulitate eorum, alia de his statuere. Magis igitur consentanea docent supralapsarii quam infralapsarii, interim tamen non ex omni parte vera. Arguo enim contra Supralapsarios: Aut Deus illud bonum, quod nunquam futurum est, nec fuit olim, nec existit, amat, aut odio habet, aut ambigit inter odium, & amorem: Si postremum dixeris, non est DEUS benignissimus, quippe quô cogitari potest benignior, amans & id bonum

quod nunquam fuit, aut futurum eſt: Si ſecundum placuerit, *DEum ſc. odio habere illud bonum*, tum eſt ex parte malignus, quò nihil dici poteſt ſceleſtius: Si primum adoptaveris, *DEum illud bonum amare*, tum vult utique omne bonum ſeriò, etiam id quod non evenit, quale eſt v. g. ſalus reprobi, cum autem *rationabiliter*, liceat ita loqui, omne fieri non poſſit, facit certe tantum, quantum præſtari poteſt, i. e. decernit *optimum*. Datur igitur voluntas antecedens, & conſequens, quam tantopere impugnat Hottingerus cit. loc. Quod enim DEUS pro ſe ſub certo ordine vult, nec tamen exſiſtit, id pertinet ad voluntatem antecedentem, quod vero *actu* præſtat, quia ex omnibus bonis, quæ amavit, cum ratione, & ſalva ſapientia fieri potuit, id eſt voluntatis conſequentis. Majori jure egomet ad ſolvendum hoc argumentum Reformatos omnes animoſe provocarem, quam VITUS adverſarios in Apolog. p. 364. §. 60. provocavit, niſi vererer, ne eam temeritatem pro *thraſoniſmo* haberent Viri eruditi. Id habeo tamen perſpectum, quod hoc ratiocinium nemo unquam diſtincte, & ex inſtituto examinaverit, quoniam à nemine, quod ſciam, ita inſtructum eſt. Audiamus verba Bülffingeri in Diluçid. p. 474. 475. *Intendit DEus omne bonum, decernit optimum. Non igitur locutio eſt excluſiva, cum dicitur, DEum velle & eligere optimum, quaſi in divino conſilio, ubi ſyſtema optimum cæteris imperfectioribus præfertur, divina voluntas inclinatoria ſeſe abſtraheret ab eo omni, quod in optimo mundo futurum non eſſe prævidet. Vult optimum per hoc quia vult omne bonum. Igitur non vult exeſſe ex ſuo opere hoc vel illud bonum, quod in optima ſerie abſuturum eſt:* v. g. non vult negligere aut exeſſe ſalutem reprobi, quæ non futura eſt, hæc eſt Leibnitii ſententia à diſcipulo expoſita, cur ergo Vitus illuſtrem Virum ſupralapſariis adſcribit? *Vult illud cum cæteris ſimul omnibus, per vires in illo opere præſentes poſſibilibus, ineſſe operi: Non vero illius præſentiam ita abſo-*

lute

lute decernit, ut eandem mediis quoque talibus efficiat, quæ cum effectu suo spectata ἀπολέλεσμα præstarent imperfectius eo ipso, quod iisdem non adhibitis futurum fuisset. Falluntur igitur hic, qui formulam (DEUS vult optimum in toto universo) ita intelligunt, ut putent, eum non solum velle præsentiam ejus boni, per quod optimus est, sed & absentiam illius boni, sine quo nihilominus est adhuc optimus: vel etiam, velle Deum, ut viribus creaturarum naturalibus non præstetur id bonum, quodsi mediis absolutæ efficaciæ extraordinariis tantum obtineretur, ἀπολέλεσμα imperfectius exhiberet illô, quod non obstante creaturarum vitio per divinam gubernationem cohibentem & corrigentem, nunc obtinetur. Vid. Leibnit. Theod. §. 25.

§. 21.

Quæ igitur via, inquis, *ineunda est? quem decretorum DEI constituam ordinem?* jampridem eversô *absolutissmô* respondit Leibnitius. (*t*) Decretum DEI, enim *formaliter & in signo rationis* nonnisi unicum est, quod eo spectat, ut optimum rerum possibilium systema creetur, in quo possibile ab æterno fuit, collocari Petrum in his circumstantiis, ut fidem in Christum concipiat, Judam autem in aliis, ut fidem non concipiat. Ecce *determinatam* rationem, quare hic præcise mundus fuerit conditus nec alius quivis, cùm hic sc. optimus DEôque dignissimus fuerit. Ratio igitur decreti *definita* ab objecto prodit. - Si per objecti deinceps partes iveris, quærendo, *cur unicum DEI decretum hunc aut illum optimi mundi eventum voluerit*? Non suppetit alia responsio, quam quæ data est, sciscitanti de toto Universo: *Nimirum quia hic eventus alio quovis convenientior erat*:

Ita ſervabitur Petrus ob fidem, nulli enim rei magis convenit ſalus, quam fidei: Peribit Judas ob incredulam malitiam; Nulli enim rei magis pernicies congruit, quam perfidiæ: Determinata decreti ratio nulla foret, niſi reſpiceret ad majorem hujus, aut illius eventûs in mundo convenientiam. Cave dicas: *Ergo etiam convenientius fuit malum in optimo mundo exſiſtere quàm non exſiſtere:* Non enim convenientius erat malum *exſiſtere*, ſed melius erat malum *permitti*, quia in optimo mundo, qui propter DEI ſapientiam condi debebat, erat futurum. Nullum cæterà dubium eſt, quin DEUS malum ſtudioſiſſime caviſſet, ſi aliud ſyſtema perfectius, idemque malo vacuum à divino fuiſſet repræſentatum intellectu, quod diſertiſſimis verbis innuit Leibnitius in Theodic. §. 22. ſeqq. Plurimum igitur differt hæc ſententia à Reformatorum doctrinis, quippe qui nunquam concedunt, quod DEUS ſub alia objecti conditione & qualitate alia decreviſſet. Atqui ſi alius mundus, à quo malum exulaſſet, hôc fuiſſet perfectior; DEUS illum condidiſſet, non poteſt igitur non objecti conditiones intueri, quod Reformati negant.

(*t*) Vid. Theod. Leibnit. §. 84.

§. 22.

Cur autem hæc toties Lectori per ſe intelligenti hactenus iniungo? Quoniam Vir omnino doctiſſimus & pacis ſtudioſiſſius Gymnaſii Caſſel. Profeſſor Vitus multo conatu id egit, ut Leibnitium inter Supralapſarios numeraret. Laudo inſtitutum

tum Viri, quod ad conciliationem ecclesiasticam pertinet, hæreo autem circa modum illud exsequendi, quô *bellum majori bello componere velle videtur.* Quid enim potest esse intempestivius, quàm sub ineundæ pacis primordia alterius partis asseclas, ut fecit Clariss. Vitus in Apolog. jam *imperitos* pag. 350. *jam impudentes & imprudentes* p. 364. *jam obtusissimos* in præfat. §. 13. jam aliis *convitiis innumeris* vocatos dehonestare. Quid potest esse magis inexpectatum, quàm ne ipsi quidem summo Viro Cancellario Tubing. Pfaffio consummatæ eruditionis & pacis gloriâ celebratissimo non parcere, cùm tamen, qui pacem promovere studet, alios irritando pacem non impediat. Respondebo egomet ad præcipua sine æstu, ut decet, utpote semper Irenicus in *praxi*, & quantum per veritatis causam fieri poterit, etiam in *doctrina.* Ubi exstiterit Irenicus ex utroque, nihil potest eô in humanis cogitari præstantius: Ubi vero alterutrô carendum, Irenicum in *praxi* alteri, qui ex doctrina modo talis est, longissime anteponerem.

§. 23.

Omnes Excellentissimi Viti machinas pro *supralapsarismo* adstructas demoliri, instituti hujus non est; ostensâ tantum nonnullarum laxitate & vitiô, de cæteris tum judicium ferri poterit. Contra sententiam v. g. *Lutheranorum*, quos non majori jure tales adpellat, quàm Reformati quidem *Calviniani* vocandi sunt, de gratia, cui resisti potest, ita arguit. (*u*) *Quidquid in arbitrio hominis fuerit, quamobrem alius præ alio salutem*

tem conſequatur, aut erit malum aut indifferens, aut bonum. Sed cum neque malum eſſe poſſit, à quo uno poſt univerſalem gratiam hominis, ſalus pendet, nec etiam indifferens, ut ſapienter Lutherus p. 73. *demonſtrat: nemo ſanæ mentis illud, quod à noſtro arbitrio, præter gratiam ad noſtram converſionem requirunt, non vere bonum exiſtimarit. Id igitur aut à gratia eſt, & ſic ſola gratia omnis in hominibus regenerandis aut non regenerandis diſcriminis cauſa eſt: aut à libero arbitrio, & Lutherani adeo contra Lutherum & ſuos libros Symbolicos cum Eraſmo aliquid boni à libero hominis in peccatis adhuc mortui arbitrio proficiſci poſſe volunt, quod alii præ aliis converſionem, fidem & ſalutem conſequantur.*

(*u*) Vid. Apolog. Viti p. 135. ſeqq. §. 17.

§. 24.

Si quis omnem v. g. glaciem, quoties perrumpitur, *irreſiſtibiliter*, fas ſit voci, diffringi probaturus, ita ut nec ſumma ejus inertia duritiesque motui impreſſo obſiſtere potuiſſet, argueret: *Aut id quod fractam glaciem à non perrumpenda diſtinguit, eſt motus,* (boni quid) *aut quies,* (mali quid,) *aut indifferens. Atqui nec poteſt eſſe motus, cum nihil ad ſui fracturam conferat glacies, nec ambigere inter motum & quietem, cum omnino reſiſtat, ergo eſt quies, eoque ſemper frangitur neceſſariò.* Quid reſponderes *Clariſſ. Vite.!* diffringi glaciem ob *finitudinem* virium reſiſtendi, hîc & nunc autem ob virium motricium impingentium ſuperpondium, inde tamen non ſequi, quod reſiſtendi limes à vi motrice ſuperatus quidquam contulerit ad fracturam: Adderes futurum fuiſſe poſſibile, ut

vires

vires resistendi; hîc & nunc in aliis circumstantiis gelu majore exortô, fuissent superiores viribus motricibus, ut immota mansisset glacies. Cum Evangelici gratiæ resisti posse docent, & aliquando non resisti, ita quidem ut ab hac conditione eventum salutis suspendant. An inde sequitur, quod liberum arbitrium actione positivâ emendationem promoveat? Non-resistendo haud agimus, sed actionem contumaciæ ulteriorem suspendimus, Non resistere, fines virium, von vires ipsas arguit. An non-agendo agimus? Absurde! atqui id fieri debet, si argumentum tuum Clarissime Vite! contra Adversarios valeret. Dirige igitur tela in Pelagianos, Semipelagianos, & Arminianos, qui actionem quandam hominis naturalem in operatione Spiritus S. intervenire contendunt, non contra Evangelicos, qui conditionem salutis in *non agendo* ponunt. (*x*)

(*x*) Simile de glacie ideo adhibui, quoniam eo usus est Leibnitius in Præfat. Theod. pag. m. 47. & quoniam ex eo intelligi potest, quæ mens Viri illustris fuerit in hac doctrina, an Reformatis adscribi possit, qui profitetur, *hominem non resistendo gratiam admittere, & resistendo amittere* cit. loc. quod nemo Rerfomatorum dixit unquam. Plura dabimus in seq. discursu. *Non resistere* duplici sensu dicitur: vel hoc, ut positivô actu contumaciam coortam homo suis viribus vincat, quo significatu in hominem non cadit: vel innuitur, ut homo in certo obluctandi gradu tantum subsistat, ut gratia spiritus hic & nunc afficiens maior & fortior sit illâ resistendi vi, quo sensu homini tribuendum est. Pendet igitur salus non ab arcana voluntate, rationibus in DEO quærendis, sed a conditione hominis, & gradu resistendi, i. e. ratione *objectiva*. Duo h. l. investigari possunt, *Cur gradus resi-*

resistendi tantopere in diversis hominibus variet? præterea *quantus esse debeat, ut irrito effectu gratia operetur.* Primum decidit Leibnitius loc. citat. pronuntians, *varietatem illam circumstantiarum, in quibus homo versetur, diversitati, gratiæ afflantis aliis aliisque gradibus, animi denique multiplici dispositioni tribuendum, hæc tamen omnia necessitatem non imponere:* Altera quæstio accurate definiri non potest. Ei tamen illustrandæ inservit distinctio inter varios resistendi modos. Alius est naturalis & perpetuus, alius morosus, hoc jam Theologi discrimen observearunt. Sed & ipse morosus resistendi conatus duplex est: alius, quo oblúctatur homo effectui adminiculorum pædagogicorum, alius quo repugnat Spiritus S. per verbum operantis efficaciæ. Adminicula pædagogica proficiscuntur vel à lumine naturali, ejusque usu, vel à tractatione externa Verbi divini legitima, ut Scripturam legas; legendo animum advertas, ut cupidus voluntatem DEI exsistas discendi. Qui his adminiculis oblúctatur, gradum resistendi summum conscendit, nec via ordinaria revocatur ad frugem. Hoc sensu in arbitrio hominis positum, resistere, & non resistere, sed priori sensu homo non potest non, & naturaliter, & morose Spiritûs operationi resistere. De posteriori conatu repugnandi intelligi debet regula: *Facienti quod in se est, DEus non denegat gratiam.* De qua eximiam disserrat. nuper edidit Cancellar. Tub. Pfaffius. Nimirum *facienti quod in se est*, i. e. adminiculis pædagogicis recte utenti, plura enim homo in peccatis mortuus præstare nequit, *DEus non denegat gratiam.* Judicet Lector, an Leibnitius supralapsariorum, ne dicam de cæteris, numero habendus, qui hanc regulam æternæ veritatis judicat in Theod. §. 95. *Facienti quod in se est, DEus non denegat gratiam. An quisquam supralapsariorum admisit unquam, pendere à facto hominis, ut non denegetur gratia?* Immo vero, si regulam non explicasset, magis videretur Semipelagianis, quàm supralapsariis favere, Cum dixi in antecedentibus, resistendi

stendi suspensionem poni in aliquo non agendo, locutus sum de absentia pugnæ ulterioris, qua operationi Spiritûs obluctamur, non autem de ea, quâ desinimus resistere adminiculis pædagogicis. Hæc enim pugnæ absentia, quâ respuere pædagogica cessamus: in positivo actu recti sc. usus lumînis naturalis, & tractandi verbi, legendo, adtendendo, collocatur. Dices: *Ergo tandem salus omnis vertitur in actione naturali, recto rationis usu, frequentando templo, legendo verbo, quid autem est Idolum liberi arbitrii erigere, si hoc non est?* Cave confundas distinguenda. Qui liberi arbitrij efficaciam negant, in *spiritualibus* eam negant, non in *naturalibus*: Jam vero has actiones spirituales esse, nemo tuorum adversariorum dixit unquam: *Cur autem penderent,* inquis, *ab operationibus naturæ ea, quæ ad regenerationem pertinent?* Non pendent ab iis tanquam a causis, sed tanquam à conditione sine qua non, ut à remotione valvarum conclave non illustratur sed à Solis lumine. De actibus pædagog. vid. dissertat. Dn. Pfaffi. *de pacto inter Patrem & Filium in divinis* p. 12. 13. Formula Concordiæ docet adminiculis pædagogicis utenti non defuturam gratiam L. L. symb. p. 671.

§. 25.

Audiamus nunc porro provocantem suos adversarios Clariss. *Vitum.* *Quæ hactenus de divina præscientia adversus Te, doctissime Mosheimi! dixi ea videntur exceptione majora - - - Tantum huic meo argumento tribuo ut totâ hâc me causâ cecidisse ultro largiturus sim, si, non dicam mihi, sed idoneo cuivis arbitro, sed iis fidei tuæ sociis, qui sapiunt, sed ipse denique tibi respondendo, argumentandoque feceris satis - - Tuum est ex duobus his Te laqueis in quos Te indui, expedire. Primum ut contra me (y) doceat, vel non eadem iniqua divinæ bonitati, sanctitati, justitiæ ex*

Luthe-

Lutherana præſcientia & prædeſtinatione videri conſequi, quæ ut ex ſupralapſariorum hypotheſi eliceres magnopere contendiſti: vel alia ratione expediri poſſe, quam quâ ſupralapſarii etiam ſuam ſententiam à tuis criminationibus defendere poſſint. Deinde ut demonſtres, æternam eamque infallibilem divinam præſcientiam tueri poſſe, qui neque ſupralapſarius ſit, nec Manichæus, neque cum Spinoza ſentiat, neque brutum quoddam fatum DEO ſuperius admittat. Eloquentiſſimi Viri in locis, quæ citatum antecedunt, & conſequuntur, labor omnis in eo verſatur, partim ut probet, *tantundem difficultatum ex præſcientia DEI, quam Evangelici profiteantur, elici poſſe, quantum obverti queat ſupralapſariis*, partim eo ſpectat, ut monſtret, (z) *poſſe DEUM ea agere Superiorem legibus, (aa) quæ ad rationes humanorum officiorum exigi nec poſſint nec debeant.* Hinc eo niſû urget de permiſſione mali dubia, quô vix Bælius ea potuit exaggerare unquam. Diſpari tamen Conſilio. Bælius enim id agebat, ut Manichæos ex ratione invictos comprobaret: Vitus autem ſtatuit extorquere Adverſariis reſponſionem ſupralapſariorum de mali permiſſione: *non ſcil. ad regulas humani Tribunalis exigendas eſſe DEI vias.*

(y) Verba ſunt Viti in Apolog. pag. 302. §. 48.
(z) Hoc intendit Vir Clar. in Apolog. p. 326. per multas paginas ſequentes.
(*aa*) Vid. Apolog. ejusd. p. 348. ſub. fin.

§. 26.

Facilis eſt ex mente Leibnitii reſponſio ad utrumque. Omnes Viti machinæ proſternuntur, &

& quidquid ex præscientia DEI lapsum multo ante videntis permittentisque contra bonitatem, justitiam &c. caussatus est, id omne mox evanesceret, ubi per *sublimiores omnino rationes stetisse dicimus, quò minus malum DEUS impediret.* Hæc vero decisio satis consentanea est Evangelicorum de conditionatis decretis doctrinæ. Urget enim posterior rationes *objectivas*, nec docet DEUM eligere tem, nisi ratio fuerit determinata in conditione electi: Prior vero Leibnitii explicat clarius, quænam sit illa ratio ab objectis petita electionem determinans? scil. maxima objecti cum gloria DEI convenientia. Ita Mundus hic præsens non est decretus, nisi sub conditione optimi, omittendus profecto, si optimus non fuisset: Ita partes hujus mundi, quotquot bonæ sunt, non electæ nisi sub conditione optimi. Petro decernitur salus, quia convenientius est, ob fidem decerni illam quàm non decerni, destinantur adminicula salutis, quia accommodatius est, destinari sub his circumstantiis, quam non destinari. Ita decernitur hoc vel illud malum permittendum, quia satius est id permittere, quam absolute obstare. Diversissima vero est supralapsariorum sententia. Destinat DEUS gloriam in illustranda justitia & misericordia, non quia objectum justitiæ & misericordiæ *tale est, vel tale*; sed *quia vult*: Eligit Numen hos, reprobat illos, non quia ratio majoris convenientiæ reprobandi hos, illos eligendi, est in *objecto*; sed quia minus determinata habetur in *subjecto: quia stat pro ratione voluntas.* Non igitur potest supralapsariorum DEUS excusari, qui nulla ratione, quàm suâ despoticâ vo-

luntate ductus, peccatum permittit, hos amat, illos odit, dignos amore aut odiô in ſervatore quôdam, aut extra eum, parùm curandô, arbitrium duntaxat ſequendô. Excuſari vero, immo ſummopere laudari Evangelicorum & Leibnitii DEUS & poteſt, & debet, quia *nihil facit niſi cum ratione*, deteſtatus deſpoticam ſine cauſa exſertam auctoritatem, qui permittit peccatum, quia ſine ratione totiusque Univerſi detrimento non erat abſolute impediendum, qui amat & odit, nonniſi amore & odio dignos. Eat nunc Clar. Vir, & agnoſcat, tam abſurda ex Evangelicorum doctrina non ſequi, quam ex Supralapſariorum.

§. 27.

Cætera nunc ſponte corruunt. Præſcientiam DEI tueri poteſt, qui nec cum ſupralapſariis, nec cum Manichæis, nec cum Spinoza ſentit. Supralapſarius docet, *præſcire DEUM omnia; quia cuncta decrevit*, v. g. *& ipſum malum, cujus tamen culpam non contrahat, quia lege eſt omni ſuperior.* Manichæus fingit, *præſcire DEUM bonum, & malum ipſum, quô tamen non coinquinetur, cum abs malo DEO trahat ortum.* Spinoziſta *omnia tribuit fato.* Sed ecce patet via quarta, quæ eſt veritatis, quam ii calcant, qui injungunt, præſagire DEUM cuncta, perſpectis quoque, quæ futura erant, malis, ſed absque omni labe contrahenda; quia ad malum cavendum tantam curam adhibuit, quanta cum ratione potuit: i. e. quia convenientius egit, malum permittendô, quam abſoluta poteſtae ſufflaminandô. Qui autem tanto molimine, æſtu & facundia in Apolog. p. 284. ſtabilitâ

DEI

DEI præscientiâ, promiscuam rerum omnium necessitatem obtrudere conatur; neglectâ adversariorum, quæ impugnanda fuisset eorum sensû, *distinctione inter necessitatem consequentiæ, & consequentis, hypotheticam & absolutam*, is, ita me DEUS amet, aerem verberat, & irritis ictibus petit nescio quos Adversarios. Potuisset Vir doctissimus ex Bülffingero notiones *necessitatis & contingentiæ* (*bb*) explicatiores haurire, nec non intelligere, quod præscientia DEI res *determinatas* præstet, *necessarias* non faciat, quod plurimum interfit inter id, quod *unice futurum*, & alterum, quod *unice possibile* est: Non ipsi difficile fuisset cognoscere, omne necessarium esse determinatum, sed non vicissim, omne necessarium certum, sed non vicissim: Præscientiam tam non nocere sive libertati sive contingentiæ, quantum abest ut Astronomi præsagium inferat necessitatem Eclipsi.

(*bb*) In Dilucid. p. 41. seqq. p. 76. seq.

§. 28.

Prævideo fore, ut in risum propendeat Vir eruditissimus nondum hôc lectô paragrapho. *An non*, inquiet, *ostendi hoc simile longe ineptissimum esse? Ab Astronomo non pendet Eclipsis, pendent vero à DEI decreto omnia; immo vero invertendum est simile: Quemadmodum Astrorum cursus causarum concatenata serie, quâ necessitas continetur, perficitur: ita & hominum facta DEUS necessario nexu coherentia præsentit.* (*cc*) Sed salva res est. Quemadmodum ab æterno possibile fuit, creari contingentes partim, partim liberas *creaturas*: Ita tantum

abest, ut Numinis decretum, quod istas res possibiles existentiâ mactat, in iis mutare quidquam possit, ut potius nihil addat quam *possibilitatis complementum* i. e. existentiam. Si quid mutare instituit voluntas DEI, non variat rei *essentiam, ut ex possibili hoc redderet impossibile prorsus*, sed *existentiam* potius, quæ à DEI nutu pendet. Itaque Decretum DEI non magis contingentiam rerum & libertatem tollit, ac Astronomus præsciendo Eclipseos contingentiam evertit. In eo ponitur discrimen, ut Numen res præscitas, quæ existunt alterare possit, Astronomus non possit, sed id ad variandam *essentiam* nihil pertinet. Quocirca si rerum *essentiæ*, seu *possibilitates*, libertatem & contingentiam involvunt, invariata manet utraque, accedente licet existentiâ per decretum DEI. (*dd*) Quisquis propterea per Decretum DEI rebus necessitatem imponi contendit, *eum oportet ostendere, res non fuisse possibiles, sine decreto DEI*; Nam si res possibiles sunt etiam tum, quum à voluntate DEI discesseris; non poterit eas arbitrium DEI aliter condere, quàm eô modô, quô possibiles erant: atque adeo, si possibilis fuerit libertas, contingentia, &c. Decretum DEI creaverit liberum hominem, contingentem, ubi visum fuit, nec ejus sustulerit naturam; Aliter enim non conderet, quod condere voluit, sc. rem, quæ *possibilis* est, hanc nec aliam.

(*cc*) Ita ad simile de Astronomi præsagio respondet Vitus in Ap. p. 306.

(*dd*) Brevibus rem ita habe. Aut res possibiles sunt ante DEI decretum, aut non: Si prius placuerit, non potest DEUS eas alio modo creare, & existentiâ donare

nare ac possibiles sunt; decretum igitur libertatem, si quæ possibilis condenda foret, non tollit: Si posterius, tum præter rationem essentiæ arbitrariæ cooptantur. Quod si igitur nulla datur libertas, nulla contingentia: probandum est vel eas esse impossibiles, quod nemo temere demonstraverit, vel libertatem & contingentiam à DEO non mactatam exsistentiâ, quod facile refutatur, si examinemus, num definitio libertatis possibilis in ullam rem creatam cadat? Fac eam definitionem in rem unam alteramque cadere, libera ea erit, non obstante DEI decreto, quod nonnisi complementum possibilitatis exhibet. Provocarem ego potiori jure Dn. *Vitum* ad irrefragabile hoc ratiocinium solvendum, nisi me puderet uti thrasonismis.

§. 29.

Tandem inquirendum erit: *An meritò supralapsariissimi coarguatur illustris Leibnitius*? quem ut in suas partes trahat omnem lapidem movet doctiss. Vitus. Non alienum erit examinare opinionis rationes. (ee) *Ipse*, inquit, *sc. Leibnitius à supralapsariis reliquis non differt, nisi quatenus aut DEUM sine certa gravique causa, consilii de servandis, damnandisque rationem iniviſſe ex indifferenti voluntatis libertate, supralapsarii existimant - - - nam cùm hi mali originem ad voluntatem divinam fere referant, ille* (Leibnitius) *eandem altius adhuc scrutatur, & ex ipso intellectu divino repetit, magis adhuc, quam qui hactenus existimabantur supralapsarii, supralapsarius est. Non igitur ipsam supralapsariorum hypothesin, quâ malum ex DEI decreto futurum statuunt, rejecit, sed quod aut indifferente libertate hac in re usum velint, aut eas rationes divini consilii reddant, quas ipse* (Leibnitius) *minus probat.*

(ee) Vid. Apolog. Viti §. 81. p. 365.

§. 30.

Obſtupui cum hæc legerem, vel enim Vir longe eruditiſſimus ſyſtematum de prædeſtinatione atque decretorum ordinem ſe noſſe diſſimulat, vel affectu, quô per librum omnem calebat, diſputandi abreptus, non continuo in memoriam revocavit, omne diſcrimen ſyſtematum de prædeſtinatione in allegandis aliis aliisque rationibus, vel *objectivis*, vel *ſubjectivis*, verti. Concedit Vir Doctus Leibnitium alias rationes decreti urgere, quàm ſupralapſarios, novit rationem Leibnitii eſſe ab *objecto*, i. e. optimo mundo petitam, en admittit igitur *definitionem decreti conditionati* à Leibnitio creditî, *definitum* vero non admittit, eumque ſupralapſariis adgregare conſtituit. Hæc ſolent evenire iis, qui ſaltim ex vocabulorum ſono, nec ex idearum intuitu philoſophantur. Varietas rationum decernendi varia de prædeſtinatione ſyſtemata parit. Quodſi igitur Leibnitius, uti concedit Antagoniſta, alias DEI rationes eligendi aſſignavit, quam ſupralapſarii; profecto etiam aliud ſyſtema habuit quàm hi, neque cumiis ſociandus eſt. Si Vir excellentiſſimus diſtincte cogitâſſet, *quæ ſit definitio ordinis decretorum*, in quem omnium circa hoc negotium doctrinarum diverſitas reſolvitur; Non potuiſſet tam diſſentanea ſcribere, concedendô, in ſyſtemate Leibnitiano alias prædeſtinandi rationes indicari, quam in ſupralapſariorum, & nihiloſecius hoc confundere cum illo. Quid *ordo Decretorum ſit*? ſupra commonefeci. Eſt nimirum nexus *quô unum decretum alterum reſpicit tanquam ejus motivum.* Nemo

teme-

temere negaverit hanc definitionem. Itaque ſi fatente Vitô doctiſſ. Decretum DEI in Leibnitii ſententia alia motiva habet, quam in ſententia ſupralapſariorum, alius ibi ordo, aliud ſyſtema oritur. Quomodo ergo Leibnitii ſyſtema poteſt cum ſupralapſariorum eſſe unum, quod quippe eſt aliud, ut modo demonſtravi?

§. 31.

In ſententia ſupralapſariorum DEUS primo decrevit manifeſtare miſericordiam, & juſtitiam, in damnandis nonnullis, cæterisque ſervandis: In Leibnitii ſyſtemate deſtinat Numen non ſpeciatim gloriam hujus aut illius adtributi, ſed gloriam poſſibilem omnem, ex creando optimo comparandam, tum demum quia cum optimo malum connexum erat, decernit eôdem actu non malum, ut ipſi affingitur, ſed permiſſionem mali, eoque demum exercitium juſtitiæ. Ex mente ergo ſupralapſariorum decretum manifeſtandæ juſtitiæ motivum nullum habet determinatum, eſt igitur figmentum, ob axioma ſuperius; Ex mente Leibnitii decretum mali permittendi & juſtitiæ exercendæ motivum determinatum habet, ſc. *nexum mali cum Mundo optimo.* Ex definitione proin ordinis, in ſyſtemate Leibnitii cogitatio divina de juſtitia illuſtranda non eſt prima, uti prima eſt penes ſupralapſarios, ſed eſt *ſecundarium* decreti de optimo principalis *adjunctum*: quam cogitationem exercendæ juſtitiæ DEUS non ſuſcepiſſet, niſi malum in optimo mundo fuiſſet. Ergo alius hîc ordo quam ibi conſtituitur. Si ſupralapſarios audias, DEUS non habet rationes *objectivas*

decernendi gloriam juſtitiæ, verùm duntaxat *ſubjectivas*, quia ſic decernere vult: Si Leibnitium ſequaris, DEUS plane nullas rationes niſi mere *objectivas* reſpicit, non ita decernit, quia vult, ſed quia objecti conditio hæc optima eſt, non autem alia, quia partes in objecto v. g. ſalus Petri convenientior eſt, quam pernicies, nimirum ob fidem. Si vel unicum ſupralapſarium allegare poſſit Vitus doctiſſimus, admittentem *rationes objectivas*, totâ hâc causâ cecidero. Iterum atque iterum inculco, ut, modeſte tamen, provocatum velim heic publice Profeſſorem Caſſelenſem, velit, ſi placuerit, vel unicum nominare Supralapſarium, qui rationes decreti divini *objectivas* concedat. Per orbem, qua patet, omnem vulgatum eſt, in eo poni decretorum abſolutorum à conditionatis diſcrimen, ut illa nonniſi rationes *ſubjectivas* in DEO eligente, hæc autem *objectivas* in re electâ requirant.

§. 32.

Non poſſum ſatis mirari cætera, quæ excell. *Vitus* ſubjunxit. *Leibnitium ſcil. magis adhuc ſupralapſarium eſſe, quam ſint ipſi ſupralapſarii, quia originem mali altius ſcrutetur, & non ex voluntate divina, cum ſupralapſariis, ſed ex ipſo DEI intellectu repetat.* Quæſo, quò non abripit æſtus diſputandi? an cui poteſt competere definitio, in quem non cadat definitum? Num quis poteſt eſſe animal rationale, ac tamen Elephantus? An quis mali originem ex intellectu poteſt repetere divino, & tamen non eſſe conditionati Decreti Patronus? Cur ex cognitione vocabulorum ſymbolica arguimus

mus, missâ idearum intuitivâ? Quid loquimur quæso? substituamus ideas & definitiones in locum vocabulorum, queis utimur! Qui essentiarum omnium eoque & mali, ceu limitationis earum originem ab intellectu divino arcessit, quid ille loquitur? substituamus definitionem: Eo spectat sententia, *Intellectum DEI res omnes repræsentasse, ut adhuc possibiles tali, vel tali modo, si condi deberent, affectas, obtulisse igitur voluntati infinitam istam cognoscendi vim varia, ex quibus voluntas optimum eligeret, quia ut tale fuit repræsentatum, ex quibus voluntas cooptaret res, quia tales sint repræsentatæ, non quia velit:* aliter intellectu opus non esset. Cur igitur intellectus DEI res repræsentans decretum antecedere debet? Annon ideo, ut rerum possibilium conditiones perspiciat, ut posthac voluntatis decretum pro ratione objecti repræsentati decidere queat? Si tantum decidit ita, *quia vult*, intellectûs prævia cognitione opus non est. Quocirca vel ignarissimus videt, quia electionis ratio in repræsentatione intellectûs quæratur, stabiliri rationes *objectivas*, quæ *absolutissimum* funditus evertunt.

§. 33.

Dat etiam Clar. *Vitus* p. 366. verba Leibnitii ex Theod. P. II. §. 239. quæ ita habent: L'on ne voit pas aussi, comment celui, qui non seulement fait, qu'un homme puisse tomber, mais qui dispose les circonstances en sorte, qu'elles contribuent à le faire tomber: N'en soit point coupable. S'IL N'Y A D'AUTRES RAISONS, QUI L'

OBLIGENT. Subjungit: *Aut fallor ego vehementer, aut eo consilio ultima verba, quæ ad naturam hujus periodi pertinent, omisit doctiss. Mosheimius, ut vel me tacite argueret erroris &c. Neque igitur hoc loco ipsam supralapsariorum hypothesin, sed rationes tantum, quas quidem hypotheseos suæ reddunt, refutavit Ill. Leibnitius. Ipse enim ejusdem rei aliam tantum rationem ibi reddit.* Aut fallor ego potius vehementer, aut qui aliam permissi mali rationem & motivum reddit, aliud exhibet systema. Nam in varietate motivorum decernendi, ordo decretorum collocatur varius. Annon omnes decreta DEI de malo admittunt? & Evangelici & Reformiti? in quo nam ergo ponitur sententiarum varietas? quòd Evangelici alias allegant rationes, quàm Reformati, eoque ipso diversum ex motivis diversis Decretorum ordinem constituunt. Evangelici hanc rationem allegant, ut ex Buddæo citavi in anteced. cap. 6. §. 6. *Quod contra debitum feciſſet DEus malum absolute impediendô:* Vel quod idem sonat, ex mente Leibnitii, *quia omnibus circumstantiis computatis convenientius fuit permittere peccatum, quàm impedire*, i. e. *quia hic mundus fuit DEO convenientior:* Reformati contra supralapsarii rationem non permissi, sed ut putant, decreti mali in eo quærunt, *quia DEus superior legibus, ad regulas rationis humanæ judicari non debeat:* Breviter, *quia DEus est Dominus, Despota, cujus stat pro ratione voluntas.* An forsan etiam nullum discrimen est inter Evangelicos & Reformatos, quia allegandis tantum decreti de malo rationibus variant? An prorsus Evangelici

pro

pro supralapsariis habendi? Cur igitur eos tantopere objurgas? criminaris, perstringis? *Absit*, inquies, *ut nullum discrimen inter utrasque partes esse quisquam affirmet.* Atqui eodem argumento probare potero, nullum esse discrimen inter Evangelicos & Reformatos, quô tu ostendere voluisti, *Leibnitium esse supralapsarium.* Nimirum quia, si tu audiaris, eadem prædestinationis sententia invariata manere potest, etsiamsi rationes prædestinandi aliæ allegentur: Poterit etiam una esse Evangelicorum & Reformatorum doctrina circa hoc punctum, quia nonnisi in adsignandis Decreti rationibus diversa sentiunt.

§. 34.

Continuat suum discursum Excell. *Vitus* præterea h. m. *Cave existimes, Leibnitium, cum sæpe præviso permissique peccati & impœnitentiæ finalis mentionem facit, eamque prævisionem Decretis divinis priorem constituit, cum supralapsariis non sentire. Toto enim Cœlo Leibnitiana hæc præscientia & permissio à Lutherana differt:* Quæso autem cur? *Illa enim, cum tantum circa peccatum versetur, quatenus possibile est, & quatenus futurum esse non poterat, nisi ex DEI decernentis voluntate, tota supralapsaria est: Lutheranorum autem, cum circa peccatum versetur, quatenus futurum jam est, & quatenus futuri hæc mali exsistentia non ex DEI voluntate pendet, sed ex indifferente creaturarum mentium arbitrio, aut Manichæam esse, aut contradictoriam supra demonstravi. - - Dici igitur non potest* (ff) *quantum supralapsariis Leibnitius in Lutherana licet*

Eccle-

Eccleſiæ ſinu natus & educatus profuerit? Magnum enim hoc humani ingenii prodigium præclare ſenſit &c. Dici vix poteſt quantum à vera Leibnitii ſententia aberret Clariſſ. Vitus. Non credidiſſem fieri poſſe, ut, qui vel fando duntaxat de Leibnitii ſententia cognoſſet quidquam, adeo detorqueret ejus doctrinam.

(ff) Lege hæc verba in Apolog. Viti p. 368. 369.

§. 35.

Primum falſiſſimum eſt, *præſcientiam Lutheranorum*, quos ita male vocat, *circa peccatum verſari, quatenus futurum jam eſt, & quatenus futuri hæc mali exiſtentia non ex DEI voluntate pendet.* Quis Evangelicorum unquam affirmavit præſcientiam DEI verſari circa malum olim futurum ſine DEI decretô? annon omnes fatentur *permiſſionem mali, non vero malum ipſum* à DEI ſanctiſſima voluntate oriri, decerni? Non igitur futurum eſſet malum, niſi decreviſſet DEUS *permittere*, ſed aliud eſt *velle peccatum fieri ab alio*, ut Reformati DEO affingunt, aliud *velle permittere ob graves rationes, ut peccatum fiat ab alio*: Id quod Evangelici contendunt. (gg) Atqui hæc ipſiſſima eſt Leibnitii ſententia. Nunquam ille docuit, DEUM in optimo mundo *peccatum velle*, ſed *velle permittere*, quoniam cum optimo mundo adhuc ut poſſibili ſpectato, conjunctum erat. Decreto igitur optimo mundo, *rationabiliter*, *fas ſit verbo*, non poterat non ejus quoque exiſtentiam permittere. Hinc ſi cum ratione potuiſſet ſeparari ab optimo mundo nunquam fuiſſet futurum. An hæc quisquam ſupra-

pralapsariorum dixerit? Evolvat, quæso, Lector extra partium collocatus studia Theodic. Leibnitianæ paragraph. 22. 23. 24. 25. quibus nihil potest extare disertius: Distinguit Leibnitius inter voluntatem DEI antecedentem & consequentem, quam distinctionem nemo Reformatorum adoptavit unquam, immo nuper demum Clar. Hottinger peculiari dissertatione adgressus est: Inculcat Vir illustris: *Voluntate antecedente DEUM velle omne bonum, quia bonum est, licet nunquam futurum*, eoque hæc adplicandô, vult & salutem reprobi, licet non futuram, saltim ideo quoniam bona est, quis Reformatorum hoc admiserit? Addit, Deum velle *serio omnes homines salvos*, quid potest esse clarius? An hæc in mentem venerunt Reformatis, annon huic veritati πὺξ καὶ λὰξ repugnant? Pergit generosissimus *Baro*, *voluntatem antecedentem adeo efficacem, ut nisi fortiores rationes*, voluntatis consequentis, *intervenirent, effectus secuturus esset.* i. e. salus reprobi futura esset: quomodo hæc cum sententia tua conciliabis? doctissime Vite!

(gg) Ita Buddæus in Theol. Dogmat. p. 577. *Cum David de Simei dicit. Dominum dixisse ei, ut malediceret Davidi* 2. Sam. 16. v. 10. 12. *Nemo profecto sibi persuadebit per revelationem quandam peculiarem DEum hoc jussisse, vel præcepisse Simei. Unde longe est manifestissimum, nil aliud sibi velle Davidem, quam hoc non sine Numinis voluntate & permissione fieri ut Simei maledicat.* Quis non hinc intelligit, Evangelicos malum futurum non statuere sine DEI decreto, sed *permittente, non efficaciter operante*, quod Reformati mallent. Infinitis testimoniis, hanc doctrinam Evangelicorum esse, commonstrare possem, nisi ineptum foret, Soli lucem velle affundere.

§. 36

§. 36.

Idem Illuſtr. Leibnitius Theod. §. 22. voluntatem antecedentem ita deſcribit, ut non nudam *velleitatem*, ſic enim barbare loquuntur, indicaſſe luce meridianâ clarius ſit. Quid eſt barbarum *velleitatis* monſtrum? *Quum voluntas tendit, aut in rem fieri neſciam per ſe, aut in talem, cujus impetrandæ laborem averſatur.* Aut inſenſatus, qui Leibnitianam voluntatis antecedentis definitionem ita exponit, aut cognoſcet toto cœlo eam à *velleitate* diverſam. Dicit enim ex voluntatibus antecedentibus earumque pugna otiri conſequentem, quemadmodum in Mechanica concurſu tendentiarum mobilis, ἀποτέλεσμα reſultet, quod omnibus tendentiis prioribus, quoad fieri poſſit, ſatisfaciat. Num parentis voluntas, qui & locupletem & piam Filio ſponſam adjungere vult, circumſtantiarum autem concurſu impedita in probitate ſponſæ adquieſcit, *velleitatis* titulo meræ dehoneſtanda eſt; Annon voluntas hæc conſequens eſt effectus antecedentis; Atqui ſimilia perfecte de DEO docet Leibnitius cit. loc. Prodeant nunc Reformati, qui ita animo affecti ſunt, non erit ſpes pacis forſan tantopere remota.

§. 37.

Quid de Cæteris quæſo doctrinis Leibnitii dicam eôdem locô expoſitis? Annon ſcribit, *velle DEUM omne bonum antecedenter, optimum vero*, quia omnia bona ſimul in ſyſtemate non impetrantur, *conſequenter*? Quid poteſt eſſe explica-

plicatius, quàm cum paragr. 25. Theod. ait: *Voluntatem consequentem, qua circa malum tanquam objectum versetur, nonnisi Permissivam* esse. Numquid ita sentiunt supralapsarii? Quis nescit eos in permissionem gravissime invehi? Quem fugit eos malum absoluto, pro justitia illustranda, DEI decreto non autem permissioni tribuere? Non illi dicunt ut Leibnitius, *velle DEUM omne bonum, etiam quod nunquam evenit, aut eveniet*, Non asserunt, *si fieri per rationes sublimiores potuisset, DEUM quoque bonum, quod non fit, procuraturum fuisse:* Sed id contendunt, malum decreviſse DEUM, sine ratione objectiva, non esse tamen, cur ei culpam affricemus, *quia sit legibus superior.* Id injungunt, quod non sit eventurum bonum, plane nunquam DEUM voluisse.

§. 38.

Ut sententiam Leibnitii distinctius expositam vindicarem, Viri illustris non tam existimationi, quam religioni Evangelicorum debebam. Pergam ad cætera, quæ nunc succurrunt. Poireti philosophicus absolutismus, de quo supra, theologico Reformatorum *Absolutismo* præstruitur tanquam speciei Genus. Quod ille generatim de omni divina actione foras prodeunte affirmat, hi ad prædestinationem & electionem adplicant. Quemadmodum ille negat, DEUM ulla ratione ab objecto petita decernere quidquam, ita hi speciatim in negotio salutis sentiunt idem. *Consentanea igitur magis docent, qui Poireti essentias arbitrarias ex Reformatis amplectuntur*, Non potest enim absolutum decretum sine illis consistere.

v. g. Excellentissimus Vitus cum omni orationis limpidissimo flumine in eo est, ut probet *præscientiam DEI (hh) rebus, actionibusque cunctis, & liberis omnino imponere necessitatem*; In eo commonstrando adeo efferbuit, ut Evangelicos id negantes *captæ rationis, extremæ dementiæ, stoliditatis* coarguerit, omnibusque propemodum convitiis, *pacis Ecclesiasticæ causâ*, p. 307. 308. oneraverit. At si calculos recte subduxerimus, tota vis hujus doctrinæ in opinionem arbitrariarum essentiarum erumpit.

(*hh*) Vid, Apolog. Viti p. 307. 308. seqq.

§. 39.

Corroborabo quæ dixi, argumentô. *Qui essentias necessarias statuit, ille fallitur, quum Decretum DEI rebus necessitatem afferre pronuntiat*; Atqui excellentiss. Vitus non falli se credit, ergo necessarias rerum essentias improbat: vel ita: Dn. Vitus essentias necessarias statuit, ergo in Apologia fallitur. Prima propositio facillime demonstratur, postquam Minor hypothesin continet, experientiamque. Quodsi essentiæ necessariæ sunt, voluntas DEI, sive decretum eas non alterat. *Per essentias intelligo rerum possibilitates. Libertas & contingentia essentiâ* non destituuntur, *sunt enim* absque dubio *possibiles*; id quod ex superioribus in Cap. IV. §. 13. dictis cognoscitur, In *Libertate* momenta *quinque* distinguenda dixi, *quatuor* ab experientia probavi, *quintum* à ratiocinio. Existit igitur libertas, quia quinque ejus requisita existunt, si existit, possibilis est, nam ab actu ad potentiam V. C. Quisquis propterea essentias

i. e.

i. e. possibilitates necessarias statuit, admittere quoque debet ab æterno possibilem, idque necessario fuisse libertatem, i. e. *facultatem agendi & non agendi, agendi hoc & illud, positis omnibus ad agendum circumstantiis.* Decretum DEI quum res possibiles existentes facit, *aut rem* creandam, possibilem hactenus, *mutat* in essentia, i. e. possibilitate præcise hac, *aut non mutat:* si mutat, reddit ex possibili impossibile, ex libertate possibili libertatem impossibilem, quod absurdum: Si non mutat in rebus quidquam, tum non variat possibilitatem hanc aut illam, v. g. libertatem, si quam condere vult, nihil addens nisi possibilitatis complementum & *futuritionem.* Quemadmodum igitur ab æterno non impossibile erat existere facultatem agendi & non agendi, &c. ita licet nunc *quidem per Decretum DEI existat libertas, eadem erit qua antea.* Ergo fallitur, qui essentias necessarias docet, & nihilosecius Decretum rebus necessitatem imponere contendit: quod erat demonstrandum. Aut igitur clariss. Vitus *essentias* necessarias admittit, tum non docet consentanea, deceptus quippe, quum pronuntiavit, *decretum DEI libertatem tollere:* Aut arbitrarias essentias cum Poireto cooptat, tum alieniſſima à vero scribit, aut credit. Si ratiocinio hoc compulsus de distinctionibus dispicere occipiat, divisurus necessitatem in varias species, caveat, ne Adversarii eum propriis telis adgrediantur, easdem distinctiones ipsi obvertendo.

§. 40.

Sæpe quæsitum est: *Num Evangelici, an Reformati ad Socinos in explicanda prædestinatione re-*

currant? Meâ tenui ſententiâ utrique eò confugere debent, ſed non ſine diſcrimine palpabili. Βάθος, quod Dn. Reformati inveniſſe ſibi perſuadent ſine ratione *objectiva* locum habere dicitur in ſola DEI voluntate: Id autem, quod Evangelici agnoſcunt, conſiſtit ratione firmatum *objectivâ* Reformatæ Eccleſiæ βάθος non ſolum *non comprehendi* ſed *nec concipi* poteſt, (*it*) *non concipi dicitur*, quod ratione caret *ſufficienti* eâdemque *determinatâ*; ſic *determinatè* nihil adeſt, cur præciſe Petrus nec alius quivis ex maſſa hominum corrupta ſaluti fuerit deſtinatus, quia diſceditur à conditione objecti, ſubſiſtendò in abſoluta à rationibus DEI voluntate; quod copioſe expoſui ſupra: Non *comprehendi* vero dicitur, cujus ratio quidem *determinata* habetur, ſed quod *intelligendò* non poteſt *exhauriri*. Evangelicorum βάθος *concipi* poteſt, *comprehendi* licet non poſſit. Reformatorum βάθος incognitum eſt & ſecundum rationes *generales*, & *ſpeciales*: ſi quæſiveris, *cur Petrus ſervetur, nec alius quivis reprobus*? nec ſumatim nec per partes eundo reſpondere poteris, ſufficiat tibi, *quod ita voluerit DEUS, voluerit que, quia voluerit*, non reſpiciendò conditionem objecti: Evangelicorum autem βάθος obſcurum quidem ſecundum rationes *ſpeciales*, non vero *univerſales*. Si fueris ſciſcitatus, *cur Petrum ſervaverit Numen*? excluſis aliis, ſummatim ratio reddi poteſt, quod convenientius fuerit ob fidem hominis hîc & nunc concepram; ſin inſtiteris, *cur in his circumſtantiis fuerit præ aliis collocatus, ut fidem conceperit, quam ceteri neglexerunt*? denuo reſpondendum, quia in optimo ſyſtema-

te

teres aliter disponi non debebant, idque summatim quæstionem definit: sed in specialiora non est, cur descendas. Nam si circumstantias, in quibus pereundi occasionem sumserat Nero Tyrannus, examinare, hominis temperamentum, educationem, illecebras & quæ sunt alia inquirere, si, cur ab his parentibus, nec aliis Christo addictis, genitus fuerit, excutere, atque judicare institueres: *annon omnia DEUS aliter coordinare, fataque Tyranni ita dirigere potuisset, aut debuisset, ut homo scelestissimus ab aliis parentibus natus, in diversis circumstantiis versatus, fidem in servatorem concepisset:* immensum tibi aperiretur mare infinitatum meditationum, quas intelligendo nunquam exhaurires, cum nosse tamen summatim sufficiat, *habere Te DEUM, qui, omnibus his circumstantiis exactissime ab æterno pensitatis, ex ratione Universi publicæ per immensum patente, statuerit convenientius esse Neronem his inserere rerum eventibus, quàm aliis quibuscunque.* Sufficit quod si Lumen Naturæ Tyrannus dextre adhibuisset, pædagogia ad gratiam nunquam fuisset defutura, ut expressis vocibus Leibnitius innuit in Theod. §. 95. Sufficit, uti monebam, quod summatim Numen faciat convenientius perpetim, quodque Neronem non absolute ab omni salutis spe excluserit.

(*ii*) Hanc distinctionem inter id *quod concipi* aliquando potest, *comprehendi* non potest, lege apud Leibnit. in dem vertheydigten Systemate harmoniæ præstabilitæ p. 50 sub not. (*c*) sub finem. Claudo hanc disceptationem simili quod §. 16. sub not. (*s*) inchoavi. Quodsi inter typos belli gerendi oblatus Regi unus, idemque optimus sit, qui suadeat Exercitum in oras mittere,

quibus accurrima prælia occaſionem quibusdam militibus dant capeſſendi fugam, inque ſupplicii diſcrimen incurrendi: Añon ſufficit militibus, ſi certo sciant, hunc modum belli gerendi cauſæ publicæ maxime ſalutarem, nec ſine ejus detrimento ſapienter mutari? An βάθος tale non concipi poteſt, *cur ſc. hic miles pœnæ occaſionem, ut & delicti repererit, quia convenientius Reipublicæ eſt bellum ira, adeoque acriter ſuſcipi, quàm modò leni?* Num βάθος comprehendi debet, ut milites conclavis regii omnia documenta perluſtrent, ſuffragia Miniſtrorum ponderent, itinerum Exercitus fortuitos caſus exploratos habeant, & nihil viciſſitudinum belli neſciant, quo diſtinctiſſimè pervideant origines occaſionis, qua commilito ad aufugiendum, & ſupplicium merendum inductus fuit? Haudquaquam ſane! Quis affirmet vero, Regem, quia hunc belli gerendi typum, in quo militem punitum iri præſagiit, elegerit, voluiſſe ut miles pereat? Quis ad inſtar ſupralapſariorum cauſſetur, Regem, cum de optimo belli perſequendi typo eligendo ſtatuerit, ſtatim initio id conſilium agitaſſe, ut auctoritatem ſuam in ſupplicio quorundam militum, anſam fugiendi ſumturorum, declararet? Añon quiliber intelligit, Regem omni nisû declinaturum fuiſſe militis pœnam, ſi per ſublimiorem optimi typi, ad gerendum bellum, rationem id fieri decuiſſet? Num dubitandum eſt Regem voluntate antecedente maxime ſerio ſalutem puniti voluiſſe? Cum ergo in Leibnitii ſententia, Regi tali DEUS ſimilis ſit, cur eum in ſupralapſariorum partes trahere volunt? An Rex peccatum militis, ut ſupplicium ſequeretur decrevit? Annon potius decernendo optimum belli typum permiſſionem eius ſtatuit? An hoc decretum non ab abſoluto ſupplicii, gloriæ cauſa infligendi, decreto longiſſime differt? ſed & annon uno decretò poſt examinatum typum omnia acta? ſint militum vires eundi & pugnandi omnes a Rege ipsò, nihil ipſis remaneat quam reſiſtendi contumacia: manebit profecto ſemper talis Rex culpæ omnis expers,

expers, etiam coram hominibus morosissimis, ita ut eo nihil sapientius, justius nihil excogitari unquam possit. Regem hunc DEUM veneror, **der da recht hat in seinen Worten, und rein bleibet, wann er beurtheilet wird.**

CAPUT X.

De Justificatione.

§. 1.

JUstificationem, quæ sola fide, Christi sanguine nixa, continetur, præclarissimum Religionis Protestantium Palladium esse, toto corde profitemur omnes. Indignum eorum facinus non potest non reprehendi, qui tantum viliori pretio cimelium venum exponere, vel & spurio illud logomachiarum radio micare contendunt. (*a*) Non ego vel tanti facerem Philosophiæ genus ullum, quod melliflua hujus doctrinæ solatia disturbaret, aut nullo consensu cum eisdem posset componi. Tradit Philosophia Leibnitii aliquot notiones generales in disciplina morali, quæ fidei de justificatione caput eximie, nisi fallor, illustrant. Discipiemus de illis breviter vel propterea, quod instituti ratione id facere jubemur.

(*a*) Non dicam de Poireto, Dippelio, Fanaticisque qui *Christi pro nobis* gravissimum dogma obscurantes vim omnem DEO placendi quærunt penes Servatorem *in nobis* habitantem, quod eo ineptius est, quo periculosius salutis ordinem intervertit, *qui coniungenda separat*: Loquar tantum de iis qui nimio, *ut fieri solet*, pacis studio ducti, parumper deflexerunt. Si vera sunt, quæ Bossuetus Episcop. Meld. Histoire des

variationis Livr. III n. 42. 43. p. 124. 125. de Bucero tradit, parum abfuit, quin hic doctrinam de justificatione per solam fidem *pacis causa*, *sed veritatis detrimento*, proderet. His enim Bucerum in solenni conventu verbis usum scribit: *Puisque Dieu jugera chacun selon ses œuvres, il ne faut pas que les bonnes œuvres faites par la grace de Jesus Christ, & qu' il opere lui-même dans ses serviteurs, ne MERITENT la vie éternelle; non point à la verité pour leur propre dignité, mais par l' acceptation & la promesse de Dieu & le pacte fait avec lui. Car, c' est à telles œuvres, que l' Ecriture promet la recompense &c.* De quibus verbis Vossius in epist. 457. p. 403. col. 1. ita judicat: *Non possum non sanius judicium optare quibusdam, qui hoc nostro seculo plurimos admodum turbârunt hoc paradoxo: sola fide nos servari, cum viderent tamen hoc eo rapi ac si justitiam sola animi existimatione finirent, & bona opera secluderent. Quæ jam illa charitas, quæ huic malo uno verbulo dedignatur mederi, ut dicerent fide formata justificantur.* Quoties ad hæc talia jam responsum est? vid Synops. Theol. purior dogmat. Hoffmanni Profess. Tubing p. 179. 180. aliosque innumeros, ubi de justificatione commentati sunt. Logomachias cætera in articulo de justificatione non prorsus deesse largior: ubi v. g. quæritur: *an fides quæ viva, aut quæ est viva servet?* ubi de formula Amsdorffii explicanda agitur, cæterisque similibus: sed quod ad quæstionis caput pertinet *quânam potissimum re à peccatis liberati DEO rigidissime judicanti possimus probari?* existimo litem hanc, si ullam aliam maxime *res*, & quidem gravissimas attingere. Sed de his dicendi jam non est locus.

§. 2.

Nisi explicatiores *meriti* & *mercedis* (*b*) notiones exhibeantur, non poterit justificationis dogma ulla ratione collustrari. *Qui non perfecte debitum in alios confert, ita ut vires suas altorsum ver-*

vertere potuisset, is dicitur *mereri*. Si jus accesserit ex lege compensationem postulandi, *meritum* oritur *rigorosissimo sensu intellectum*. Merito respondet merces, *quæ compensatio est debita operi, quo meremur*. (c) Sunt hæ definitiones haustæ ex doctrinis recentiorum, si quam ergo lucem rebus affundunt, (d) usus earum negari non potest nec debet.

(b) Patres Primitivæ Ecclesiæ & speciatim Ingatium non favere merito operum, quod Pontificii vellent, dissertatione probavit Historico-Theol. Joh. Georg. Jochius Tremoniæ 1716. Observavit jam Joh. Dallæus de usu Patrum L. 1. cap. 5. p. 149. *Quoslibet Patres certis in suo stylo idiotismis uti.* Quodsi in modo loquendi aliquando cum Græcis aut Recentioribus conveniunt, multum tamen differunt significatu. Errant, qui meritum operum suo sensu se apud Patres lagere putant, quum voces *merere*, *mercedem* reportare &c. inveniunt. Legendus est in hanc rem Isaac. Casaubon. in notis ad Ælii Spartiani Adrianum Cæsarem p. 40.

(c) Similia propemodum tradit auctor Anonymus *Monstri Politici detecti* cap. 10. ubi de merito operum adversus quendam Apostatam agit, in quem vehementer invectus est.

(d) Expendantur verba Bülffingeri in Dilucid. p. 502. §. 446. *Pendet*, inquit, (meritum) *ex eo, quod præstari ab homine homini possint, quæ non antea debebat perfecte, in æstimatione saltim civili. 2. Quod item vires agendi habeat non illi debitas, à quo expectat remunerationem.* Hæc meriti notio adeo liquida est, ut non videam, an ab ipsis Romanensibus repudiari queat?

§. 3.

DEUM imperare rebus creatis omnibus jure eo, quo majus ne cogitari quidem potest, ita videtur in promtu esse, ut nulla egeat disputatione.

Etiamsi sint qui de fundamento ejus imperii non omnino consentiant, (e) Imperanti debetur obsequium. Summo in civitate Imperanti, summa obedientia *ibidem*. Summo autem totius orbis Imperanti summum debetur obsequium *in omni omnino genere*. Quidquid ergo DEI causa facimus boni, cum lege ejus æstimandum sit, id prorsus debetur. Cum autem is tantum mereatur, qui non perfecte debitum in alios confert, perspicuum est, nos nullo DEUM merito unquam obstricturos, quidquid enim facimus, debitum est. Si ea loquor, quæ & in aliis systematis pervulgata sunt, vitio id verti mihi nolim; sufficit monuisse, pro ratione instituti, universales hujus Philosophiæ notiones ejusmodi esse, ut & omnium, certe multorum consensu firmentur, & usum in Theologia præstent non contemnendum.

(e) Famosa est Hobbesii sententia de Imperii tam generatim spectati, quam speciatim divini fundamento. Namque in libello de Cive cap. 15. p. 112. *Iis*, inquit, *quorum potentiæ resisti non potest, & per consequens DEO omnipotenti jus dominandi ab ipsa potentia derivatur*. Quodidem in Leviathan. cap. 22. p. 167. affirmat. Consentanea hæc erant cum scopo Hobbesii in stabilienda Monarchia, quam suo tempore in Anglia vastatam vidit Hobbesius. Lege Vitam Hobbes. p. 45. Judicium Carteſii de hac sententia invenitur apud *Baillet Vie des Cartes* Tom. II. p. 174. ubi Monarchicum statum libello suo Hobbesium probare voluisse, idque in gratiam Civium, observat. Non desunt, qui fundamentum Imperii, speciatimque divini *in excellentia naturæ* quærunt. Quorum numero est Moses Amyraldus disserr. *de jure DEI in creaturas*. Quo & spectat Democriti effatum apud Grot. Libr. II. cap. 20. §. 3. de jure bell. & P. Φύσει τὸ ἄρχειν δίκαιόν τῳ κρείσσονι.

Con-

Contra Pufendorff. de Jur. Nat. & G. L. l. cap. 6. §. 9. Hobbesium refutat. Pro sententia Amyraldi etiam pugnatum in Belgio vid. Osiand. Anri Turret. l. p. 156. 157. *Infima radix imperii omnis est convenientia rerum.* Ex convenientia nascitur summum beneficium creationis, conservationis; Cur enim DEUS nos mactat his beneficiis? quia *convenientius* judicat gloriam illustrare, quàm non illustrare, quia convenientissimum illi obtemperare. Ex beneficio hoc insigni JUS oritur generalissime spectatum, i. e. *facultas agendi pro rerum convenientia.* Si lex divina vel humana facultatem isthanc confirmaverit, observatur jus speciale locum inter homines tenens. Nisi forte jus DEI in homines sua ipsius lege confirmari dixeris. Quod per me fieri licet. Similis ratio est ultronei consensus, qui jus in Imperantem transfert. *Cur consentiunt vel tacite, vel expresse in alterius imperium?* quia id salutarius judicant? *cur non refragandum est consensu semel facto?* ne turbetur tranquillitas vel externa, vel interna animi, qua lex naturæ continetur. Cum Justitia dicatur benignitas sapienter administrata, patet, quomodo *notionem juris* cognatione attingat? Tumultuario discursu utor, quia per instituti rationem distinctiore uti non licet.

§. 4.

Revocanda est ad animum *justitiæ* idea delineata in antecedentibus. Est nimirum, quod plus decies monui, *benignitas administrata pro rerum congruitate sapienter.* Summa igitur justitia benignitatem exercet sapientissime non solum, sed & semper ac certissime, ut ne in uno casu esse desinat summa. Inferior justitia administrat quidem benignitatem sapienter, sed ita, ut & aliquando non sapienter eam comprobare, inque contrarium vitium degenerare queat. Lex igitur huic præscribi debet, quæ est norma ostendens, quando

do & quomodo rebus convenienter agi deceat. Quisquis igitur ab altero compensationem exigere potest, non solum propter convenientiam sui operis cum expectanda compensatione, sed & ob legem, quâ illam superiores confirmârunt, ille meritum præstitit, rigoroso sensu acceptum. Cum autem nonnisi ea justitia ad compensandum legibus adstringatur, quæ imperfecta & inferior est, qualis in DEUM non cadit: sequitur etiam, neminem accurate loquendo à Numine (*f*) quidquam mereri. Et quoniam omne meritum aliquid in alios confert per vires, quæ & aliorsum impendi potuissent: tum ne laxiori quidem sensu, quo remunerantem lex non obligat, à DEO inire meritum possumus. Omnes enim nostræ ipsi debentur vires.

(*f*) Mirum videri debet, quod Joh. Claudius singulari eruditione ac zelo pro reformata fide conspicuus inexpectatam hanc sententiam docuerit: *Non omne genus bonorum operum ab Apostolo in justificatione hominis peccatoris excludi, quorum quædam non per viam meriti, sed per viam conditionis ibi interveniant.* In explicat. Epistolæ S. Pauli ad Roman. ex versu 28. cap. 3. *L' Ouverture de l' Epitre de S. Paul aux Romains &c.* Cumque propterea à nonnullis Hollandiæ Theologis confutatus esset, obviam ivit *in declarationibus, scandalis ex libro, explicatio Epistolæ ad Romanos, inscripto, injuste acceptis, oppositis Londini 1687. éclaircissemens sur les scandales &c.* Cum tamen idem hic Claudius scriptis adversus Pontificios editis, incomparabilem famam nactus sit, Ms. Port-Royal. occasionem dedit scripto: *La perpetuité de la foi de l' Eglise Catholique touchant l' Eucharistie*, Cui Claudius respondit. Cumque responsionem adversarius examinandam sumeret, secuta est *Reponse aux deux Traitez* inti-

intitulez: *La perpetuité de la foi de l' Eglise Catholique touchant Eucharistie*, Sed hæc non sunt hujus loci.

§. 5.

Ex nostra definitione intelligitur triplici sensu adpellari meritum, quod observatu, in extricandis his controversiis, longe est dignissimum. Primum stricto & adcurato sensu est, cum bonum in alium conferimus compensatione æquandum, non solum ob convenientiam, quia vires agendi & alibi impendere potuissemus, sed & ob legem, quæ remunerationem præcipit. Huic merito merces respondet perfecto jure debita, qualis ex pacto v. g. Operariis mercede conductis aliisque similibus adjudicatur. Talem ut à DEO impetremus, plane fieri nequit. Laxiori sensu meritum vocatur, cum officia aliispræstamus, quæ propter nullam legem compensanda sunt, sed ob convenientiam duntaxat, quia vires potuissemus ad alios adplicare. Horum in classe meritorum numerantur *beneficia*, quibus alii alios demerentur, nulla tamen compensationem postulante lege. Sed ne hoc quidem merito DEUM licet devincire. *Quis prior ei quidquam dedit*, quis beneficiis eum affecit, aut afficere potuit? *ut jus haberet expectandi remunerationem*? Rom. II. ℣. 35. Hactenus duplex meriti, licet inæqualis, genus motivum remunerandi præbet, propter convenientiam, ut actio actione, res re æquetur.

§. 6.

Vocatur tertiò meritum *sed improprie* id, quum quis officia præstat ita ut aliò ea conferre non

non licuisset, quorum & remuneratio nulla lege inculcata est, destinatur autem ob favorem Remunerantis. Motivum compensandi priora duo merita sumitur à studio æquandi paria paribus, motivum vero remunerandi meritum hoc tertii generis depromitur ab operis rectitudine comparata ad obligationem operantis. Hoc sensu potuit Adam in statu integritatis demereri DEUM licet enim omnia ipsi debebat, nec etiam DEUS remunerandi lege tenebatur, ita tamen recta (g) ad normam obligationis ejus fuere opera, ut DEUM commoverint, non æquandi studiô, quod inter opus finitum, & æternam gloriam non datur, sed adprobandi recta instinctu, decernere compensationem. Hujus generis merita, si quidem rectitudinis & internæ gloria florent, sunt præclara subditorum erga Patriam aut Ecclesiam opera. (h) Quidquid facimus in munere nostro constituti, id perfectô jure Reipublicæ, ac Ecclesiæ Christi debetur; Nisi igitur summus Magistratus remunerationem suo ipsius motu ultroneô destinaverit, non est cur meritis nostris gloriantes superbiamus, sive orationibus funebribus aliisque monumentis curemus ea conservanda. (i) Ne hoc quidem modo in statu peccati DEUM ullô devincire meritô possumus, quoniam opera nostra rectitudine omnimodâ plane destituuntur.

(g) *Merita Adami, licet naturalia saltim fuere meritâ gratiæ, merita improprie.* Sunt verba Dn. Pfaffi Canc. Tub. in dissertat. de pacto inter DEUM Patrem & Filium confecto, &c. p. 4. not. (b) confer quoque primam de eo argument. dissert. p. 18. Forsan & meritis in rem litterariam claruit? quis id sibi persuaderet? Rabbini adeo insulsi sunt ut Adamum librum de Creatio-

tione Mundi concinnasse dicant: Vid Heidegg. Histor. Patr. Tom. 1. p. 481. Adde Salian. T. 1. p. 230. Quid quod nonnulli Psalmum 92. Adamo tribuant: Vid. Casp. Schott. Techn. curios. p. 556 *inprimis vero* Petr. Lambec. in prodrom. Histor. Litterar. L. 1. cap. III. & IV.

(*b*) Reipublicæ in qua degimus, debentur, secundum DEUM, omnia. *Partem ortus nostri patria sibi vendicat*, Cicero in officiis scribit L. I. Oratoriæ igitur panegyricæ & encomiasticæ fœtus sunt meritorum laudes, quibus hos aut illos in Patriam fuisse inclutos non sine vanitate scribunt. Majoris tamen faciendos in Republica Viros honestate & eruditione claros, quàm inutiles, multo minus illos ob virtutem affligendos, luce meridiana clarius est. Quis non detestatur Civem Athenienſem, *qui cum rogaretur, cur Aristidem patria pellendum scriberet, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus diceretur, respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, ut præter cæteros justus adpellaretur.* Vid. Cornel. Nepot. in Vita Aristidis. Sic & Cardinali Bellarmino, quo minus Papa crearetur, impedimento fuerunt merita, ut memoriæ prodidit auctor de Paulo V. Conclav. p. 512.

(*i*) Si rectissime facta in Rempublicam merita proprie adpellanda non sunt, quid de iis sentiendum, quæ privatæ utilitatis studio suscepta, & larva virtutis, curæque pro publica salute tecta meritorum speciem mentiuntur?

§. 7.

Nullo igitur significatu DEUM homo sibimet obstringere per meritum potest. Sed forsan DEUS se ad nostram imbecillitatem accommodat, *forsan non vult summo jure nobiscum agere, sed actiones nostras nostro arbitrio subjicit, eo consilio ut* (*k*) *aliquid mereri possimus.* In hoc effugium omnis Romanensium disputandi vis erumpit. *Videbimus.*

Funda-

Fundamentum obsequii, quod DEO debetur *Creatio est & conservatio.* Itaque in ipsa rerum natura, nullo facto aut consensu jacere solet. Id est momenti maximi. Quia obedientia parentibus debita naturalis est ex fine educationis, ad quam ob generationem obligamur, orta propter evitandas officiorum confusiones, matrimonia filiorum matrumque, aut filiarum & patrum in infinitum prohibita sunt. Neque enim potest per institutum accessorium, quale conjugium habetur, obligatio à natura coorta sufflaminari; cum tamen nihil obstet quo minus obligatio per consensum introducta aliâ ejusdem generis, quæ pariter ex facto hominum, aut consensu nascitur, suspendatur: Nil impedit fœminam summæ rerum præ esse subjecto marito. Imperium quippe mariti consensu (*l*) fundatur mutuo. Pater vero subditus non veneratur Filium Regem nisi jam emancipatum, quando arctius obsequii vinculum cessavit, remanente in filio tantum veneratione quadam, & pristinorum beneficiorum memoria. (*m*) Perpetua vero naturalis obligatio ad præstandum obsequium nullo facto accessorio, repugnante naturali convenientia, turbari potest.

(*k*) Cum Protestantes objiciunt Pontificiis: *Omnia præterquam DEO deberi, qui vero solvat, nihil mereri:* respondent: *DEUM nobiscum summo jure non agere, actiones nostras nostro arbitrio & dominio subjicere, ac certò pretio nobiscum pacisci &c.* vid Burghaber Controvers. 57. Parte Poster. §. 18. p. 370

(*l*) Sic, Anna Angliæ Regina Georgium Daniæ Principem Maritum habuit, non Regem, sed sibi subjectum.

(*m*) Est forsan cujus animum subeat, *instantiam à Patre subdito, qui filio Regi pareat, satis ostendere, quod*

&

& naturali obligatione aliquando deroget obligatio ex instituto demum superveniens: Patri filium naturâ debere obsequium eô tamen non obstante posse obtemperare filio Regi, cujus imperium non nitatur causa naturali; nec responsionem sufficere, Filium v. g. *per electionem prius Regem fieri non posse nisi maturæ fiet ætatis, & patria potestate exierit. Eoque hanc rationem ab officiorum confusione depromtam parum esse efficacem, Filiamv g. Parenti nubere haud posse ob rationem honesti & decori, non iusti. vid.* Thomas. in fundament. Jur. Nat. & Gent. edit. quart. p. 258. Verum dispar est ratio: Patri filia debet perpetuam venerationem, quæ in arctissima societate, qualis est conjugalis, prorsus absorbetur, in civili autem societate, ubi summo imperio filius potitur, latissime patens conjunctio innumerorum non impedit reverentiam Filii regis erga Patrem subditum. In matrimonio conjugum amor requiritur, qui venerationem filiarum filiorumque evertit, diversa est ratio imperii Civilis, neque enim hoc reverentiæ parentibus debitæ obstat.

§. 8.

Cum nulla obtemperandi à natura profecta necessitas factô aut arbitrario instituto subsequenti debeat impediri, *salvâ rerum convenientiâ:* cognoscitur sapientiam DEI, quæ rerum congruitates observat, non permittere ut suô DEUS exigendi nostram obedientiam naturâ debitam jure cedat, ut ab ipso merita inire possemus. Quantum abest ut Pater se abdicet jure dirigendi actiones filii nondum domo sua egressi, & inspectione egentis. *(Tali enim filio assimilandi omnes homines si cum DEO Creatore suo conferantur:)* Tantum abest ut id faciat hominum causa DEUS. Quemadmodum ineptum foret, si parens cum filio paciscereturt, ut posthac obedientiam naturâ sibi debi-

debitam in sua potestate haberet, meritique loco Parenti offerret: Ita etiam incongruum foret de DEO alia cogitare. Quod autem incongruum est, id sapientia divina detestatur; Cumque *justitia sit benignitas per sapientiam administrata*, fatendum est, benignitatem DEI hôc incongruô modô inire cum hominibus pactum non posse, i. e. justitium obstare, quo minus, ut Pontificii volunt DEUS adeo liberaliter nobiscum paciscatur, ad præstandos nos meritorum capaces, quod erat probandum. (*n*)

(*n*) Probavimus vero omnia, ut vides ben. L. ex definitionibus *meriti* & *justitiæ*, quas adcommodatas valde Leibnitius exhibuit.

§. 9.

Sed nunc arcem causæ petimus, quæ in imputatione alienæ justitiæ collocata est. Justificatio per opera capitali defectu & hiatu laborat, qui omnium distinctissime per notiones generales hujus Philosophiæ detegitur. Liceat justitiæ definitionem repetere. Nimirum qui *sapienter benignum* se præbet, is *justus* adpellatur. Cap. anteced. VIII. probavimus per justitiam DEI fieri non posse, ut peccata DEUS impunia dimittat: Sapientiam quippe DEI, quæ cum benignitate copulata justitiam parit, non posse non dissensum per peccata systemati illatum, sive præteritum, sive futurum compensare, ne lacuna remaneat, quæ sapientissimo systematis præsidi jure imputetur. Respicit igitur justitia peccatum quoque præteritum & quidem (*o*) maxime; Aliter enim satisfactione opus non foret; quoniam omnia præsentia deli-

delicta tandem præterita fiunt, quo pacto tandem nullum plane expiandum foret.

(o) Falsum est, omnem pœnarum finem futurâ vel puniti vel aliorum emendatione contineri vid. Kulpis ad Grot. ll. 20. p. 115. maxime respicitur præteritorum expiatio, seu turbati ordinis compensatio.

§. 10.

Quodsi igitur peccatorum culpâ exsolvimur per justitiam quandam inhærentem, in actu non forensi, sed physico positam, tum plane negliguntur peccata præterita. Per nullam operationem, si ab imputatione in doctrina morali discesseris, ne per divinam quidem, *factum infectum reddi potest.* Implicat quippe contradictionem, factum quod est physice, eo modo per actionem physicam fieri non factum. *Ubi τὸ possibile est actu, vocatur præsens, quod ab actu recidit in statum possibilitatis, dicitur præteritum.* (p) Præteritum igitur non amplius existit, quod autem non existit, in id & non operari licet. Fac ergo perfectâ nos exornari justitia inhærente, *quod tamen largiri ex animi sententia nolumus*; An ista justitia inhærens actu suo physico ulterius porrigitur quàm ad præsens, aut, si durat, ad futurum? an peccata etiam olim commissa, quorum, ut probavi, in Judicio DEI maxima habetur ratio, potest reddere infecta, ut queant condonari? An culpa præteritorum non est ens morale, quod nulla præsenti physica operatione irritum reddi potest?

(p) Lege hanc *præsentis & præteriti* definitionem apud Thumigium in instit. Ph. W. p. 52. §. 52.

§. 11.

Nihil factum infectum reddere potest, quàm æstimium morale, cum actio mala olim commissa, *cujus auctor quis habetur, ita ut propter eam ad reddendam rationem adstringi possit, utque, quod inde oritur, in eum redundet,* (q) censetur non commissa, declaratur fictione morali, sed maxime fundatâ, pro infecta, & quidem actu forensi in iudicio superioris. Peccata igitur hominis justificati præterita tolluntur, nec aliter quidem tolli possunt, quàm actu forensi; physico enim actu ea deleri contradictionem involvit. Quod cum ita sit, nihil super est, quam ut vel ob propriam inhærentem justitiam pristina justificati peccata actu forensi auferenda dicant Pontificii, aut ob alienam Christi: Hoc si dixerint, causâ ceciderunt; Prius si affirmaverint, ne sic quidem vel tantillum proficiunt. Primo enim sua merita tingi caussantur sanguine Christi, quò ipso saltim *mediatam* justitiæ Servatoris ad præterita peccata tollenda imputationem concedere debent: Deinde eâdem ratione, quâ Adversarii alienæ justitiæ imputationem negant; *quia non detur* (r) *sapiens sine inhærente sapientiæ dono, albedo sine præsente physico accidente &c.* potest etiam propriæ justitiæ ad præterita crimina delenda imputatio oppugnari: neque enim inhærens qualitas ea purgat, cùm jam sint præterita. Quum autem hoc non obstante actu forensi ea deleri posse negare nequeant: non est cur impossibilem dicant alienæ imputationem justitiæ, imò vero quia potior est servatoris justitia. cur eam primo imputandam non conitnuo fatentur?

(a)

(q) Est hæc definitio imputationis Pufendorfiana in L. de O. H. & C. L. 1. Cap. 1. §. 17. Non puder me contra Pontificios ad hunc libellum provocare, ipse enim Papa Innocentius XI. in defensione jurium suorum ad opus Pufendorffii rovocavit vid. Thomasii kleine Schrifften p. 219. 220.

(r) Alienæ justitiæ imputationem impossibilem judicant Pontificii vid. e. g. Burghaber Controv. 51. Part. prior. p. 329. §. 7. *Concilium*, inquit, *Tridentinum non tantum affirmat modum præsentem justificandi intrinsecum sed simul etiam negat possibilitatem omnis alterius modi justificandi, per formam nobis extrinsecam & moraliter imputatam.* Probavimus h. l. contrarium.

CAP. XI.

De Lege divina.

§. 1.

CEssante otio, quoniam officii ordinaria redeunt munia, abrumpendum est hujus libelli filum. Pauca igitur adhuc & summatim adtingam. *Num leges divinæ præsertim naturales consiliorum loco habendæ sint nec ne? inter summos Veros disputatum est.* (a) Qui in legibus naturæ nonnisi consilia agnoscunt, hac potissimum ratione (b) ducuntur, *quia ratio sibi relicta nesciat, quod DEUM concipere debet, ut Dominum, qui pœnas externas arbitrarias velit inferre iis qui contra præcepta juris naturæ faciunt, quia videat, omnes pœnas transgressores Juris naturalis secutas, esse naturales, adeoque improprie dictas.* Sed ex Leibnitii ac Wolffii mente componi forsan lis non sine utriusque partis calculo potest. Regula *ad quam obligamur* (mo-

tivo certo impellimur) *componere actiones liberas, generalissimo sensu adpellatur lex*, (c) sejungendo cogitationem auctoris, à quo isthæc regula præscripta sit. Hoc sensû, prout consilium definiveris, lex naturæ, i. e. regula ex humanæ naturæ consideratione hausta, abstrahendo à Numine, quod legislatoriam voluntatem addit, est consilium. Quid enim est consilium quàm regula aliquid faciendi, cujus motiva ex ipsa negotii indole petuntur, discedendo ab omni alio respectu? Contra si illustris Vir, Consiliorum naturæ Assertor, ultra procedat affirmando, *naturam sibi relictam nescire, num isthanc naturæ regulam DEUS Legislatoria voluntate velit, jubeat, mandet, cum non adsint pœnæ arbitrariæ, sed nexu tantum naturali consequentes:* Non difficile est contrarium ex Leibnitii & Wolffii cogitatis ostendere, atque commonstrare, regulam naturæ legis faciem induere, quoniam supervenerit DEI tanquam Supremi imperantis mandatum, perinde ac si Principis jussus consilium, quod ægroto Medicus rationibus ab ipsa rei natura depromtis præbuit, confirmatur, & legis loco illud à decumbente haberi vellet. Posset profectô eo casu, pro diversa regulæ ægroto præscriptæ consideratione, jam consilium dici, quatenus cogitando sejungeremus Principis voluntatem, jam vero etiam lex, in quantum regula illa cogitaretur cum omni respectu interno & externo; Qui, quô locô talis habenda sit regula, anxie disputarent, non adeo dissentirent, quin facillime conciliari possent. Habuit enim Princeps rationem ægroto præcipiendi, ut Consilium Medici exsequendo salutem suam non posthaberet; Quemadmodum

modum etiam DEUS rationem habuit, ea omnia, quæ lege naturæ continentur, præcipiendi, & suâ firmandi auctoritate, ita quidem, ut illa ratio præcipiendi nunc in se spectata, absque DEI voluntate legislatoria superveniente, non dissimilis sit consilio, cui optemperamus ob intrinsecam ejus bonitatem; nunc vero ratio illa considerata, prout auctoritate DEI corroboratur, legis accuratius appellatæ formam nanciscatur.

(*a*) Inter summum Virum Christ. Thomasium in observat. Halens. T. VI. observat. 27. p. 255. In fundamentis Juris N. & Gen. L. l. c 5. §. 37. edit. quart. & ex altera parte inter Albertum Riperum in dissert. de legib. div. in gener. & legibus positiv. Univers. Buddeum in Theol. Moral. P. II. c. I. §. 10. seqq. cui vero respondit Thomasius in præfat. edit quart. p. 12.

(*b*) Hanc rationem allegat illustris Thomas. in fundam. J. N. & G. L. l. c. 5. §. 37.

(*c*) Consideret quæso Lector hanc Wolffianam legis eandemque generalissimam definitionem in Moralib. Cap. I. p. 14. §. 16. eine Regul/ darnach wir verbunden seynd/ unsre freye Handlungen einzurichten/ heisset ein Gesetz: Intelliget profecto, sponte sua evanescere, quod præstantissimi Viri oppositum sententiæ Wolffii de lege naturæ locum habitura, *si vel maxime DEUS non existeret*, aut quod in effectu perinde est, *si vel maxime ignoraretur:* Loquuntur enim Adversarii de lege suo sensu, qui ab hoc diversus est, acceptâ, mirum haud videri debet, quòd utraque pars in sua opinione non commota dubiis alterius perstiterit, neutra enim verò destituebatur suò sensû. Primò lex naturæ, i. e. regula ex naturæ humanæ consideratione hausta obligaret, i. e. ex sensu *Wolffiano* in Moral. §. 8. motiva hoc aut illud recte agendi subministraret, etiam ei, qui DEUM exsistere nesciret. Secundo Lex naturæ sensu Buddæano, quatenus est decretum auctoris naturæ humanæ

non obligaret, propter defectum superioris, sensu stricto: Uterque dixit vera, nec tamen non pugnavit uterque.

§. 2.

Quodsi probari potest, naturam sibi relictam perspectum habere, quod DEUS sit respiciendus non solum ut consilii benigni auctor sed & ut legislator, cessabit illustris Thomasii dubium, atque adeo quod alterô respectu consilium est, altero lex proprie dicta esse poterit. Atqui probârunt id recentiores. Quando imperans vult, ut subditi ad hanc vel illam normam actiones componant suas, (d) lex proprie dicta omnium consensu oritur. Jam vero DEUM hominibus ceu inferioribus imperare certum est, quisquis igitur probaverit, *DEUM voluisse ut homines Regulam istham ex naturæ contemplatione desumtam observent*, is legem proprie dictam ostenderit. In hanc igitur sententiam nonnemo Recentiorum ita philosophatur. *Ut ab æterno possibile fuit, per certas actiones liberas conditionem hominis fieri vel deteriorem, vel perfectiorem; Ita DEUS certum rerum possibilium ordinem i. e. Mundum decernendo ob rationem optimi, voluit etiam, ut homo condendus has nec alias susciperet actiones, quibus conditio ejus non deterior sed perfectior, sed melior evaderet; Cumque regula, quâ jubentur facere, quod nostram conditionem ut & aliorum quorumvis meliorem reddit, legis naturalis titulo veniat; intelligitur, DEUM voluisse, ut regula istham observetur i. e. ut regula illa fieret lex stricto sensu dicta, quod erat probandum.* (e) Regula ex consideratione humanæ naturæ v. g. sociali-

cialitatis &c. ad honeste vivendum petita præcipit, ut *quilsbet faciat, quod ad meliorem suam & aliorum quorumvis conditionem præstandam aliquid confert.* Aut igitur DEUS summus hominum cunctorum Imperans voluit hanc regulam ab hominibus observatam aut noluit. Si prius, tum regula voluntate summi imperantis lex proprie dicta evadit: Si posterius arrideat, DEUS aut erit parum benignus & sapiens, quia non optime consultum cupit generi humano, aut erit non omniscius, quippe qui forsan ignoravit, dari talem regulam naturæ, quâ observatâ hominum conditio posset reddi melior. Utrumque est absurdum. Ergo prius adfirmandum, voluntatem DEI regulam naturæ à nobis observatam cupere, i. e. legis loco habendam velle.

(*d*) Hæc est definitio Pufendorfiana *legis* in L. de Jur. Nat. & Gent. L. l. c. 6. §. 4. & de off. H. & C. L. l. c. 2. §. 2. emendata parumper à Thomasio in Jurisprud. div. L. l. c. 1. §. 29. ubi legem *jussum imperantis* vocat; non *decretum superioris.* Buddeus legem adpellat *decretum Regentis* in Theol. mor. P. II. c. 1. §. 3. Sed non differt à nobis. Barbeyracius ad Pufend. de jure naturæ & gentium L. l. c. 6 §. 4. p. 89. & §. 15. p. 109. quædam desiderat non magni momenti.

(*e*) Est hoc argumentum Wolffii paulo aliter inflexum in Moral. p. 19. §. 29. ad quod provocat in annotat. ad Buddei consilium p. 33. sub. not. (x) quidquid obvertitur Wolffio in der bescheidenen Antwort auf Hrn. Wolffens Anmerckungen *p. 32. 33. Moralitatem sc. objectivam Wolffii differre ab ea quam Theologi doceant, excludi enim à Wolffio voluntatem DEI, quam cæteri à moralitate ista non excluserint, statuere etiam Wolffium leges naturæ etiamsi DEUS nullus existeret &c.* id omne ex hactenus dictis declarari potest: Non enim excludit Wolffius voluntatem à lege naturæ in *sensu divi-*

diviso i. e. quatenus à DEO præscribitur ut modo citavimus ex Moral. §. 29. sed *in sensu composito*, quatenus consideratur ut mera regula honeste vivendi ex naturæ hum. consideratione orta, non cogitando, quô Auctore sit constituta? Hoc fit propter Atheos, ut & ipsi talem regulam honeste vivendi ex naturæ contemplatione agnoscant, si vel maxime naturæ auctorem proterve negent. Ubi legem naturæ sine DEI notitia locum habere Wolffius contendit, accipit vocem sensu postremo, quod iamiam monui. Exhis in scriptis eristicis Dn. Buddæi & Wolffii omnia judicari possunt. vid. die nöthige Zugabe zu Herrn Wolffens Bedencken §. 31. pag. 96. In dem beschei, denen Beweiß / daß das Buddeanische Bedencken noch vest stehe. pag. 46. §. 2. eadem objiciuntur, quæ *Wolffius* diluit in dem klaren Beweiß &c. pag. 79. quæst. 17.

§. 3.

Sed considerandа est ratio, quâ inductus Vir Illustris legem naturæ merum consilium esse voluit. *Pœna est malum arbitrarium, quod infligitur ob malum actionis, atqui violatores legum naturalium manent mala seu pœnæ naturali nexu cohærentes, ergo proprie dictâ pœnâ non coercentur, eoque nec ipsa lex stricto sensu hoc nomine digna, sed potius consilii titulo vocanda est.* Verum enimvero & ea mala quæ naturali nexu imminent legis naturæ violatoribus, pendent ab arbitrio DEI, eoque sunt mala arbitraria, quatenus Numen supremum ipsius naturæ auctor est, sine cujus arbitrio res nullæ existunt. Licet enim ipsa mali ex peccato natura secuti *possibilitas* à DEI voluntate non oriatur; *rerum enim essentiæ non sunt arbitrariæ:* tamen nisi Deus voluisset, ut res abæterno possibiles hoc aut illo

modo

modo, exsisterent, eoque mala naturaliter propter aliquod crimen possibilia actu ipso orirentur, oriri profecto non potuissent. Diversa igitur ratio est DEI, & Imperantis humani. Quoniam ab imperante humano non pendet malum naturâ crimen secutum; neque enim v. g. per arbitrium Regis stat, ut crapulam excipiant capitis dolores, ideo opus est malis à Regis nutu profectis, quæ per naturam inflicta non essent: Contra à DEO immittuntur & ea mala, quæ ex natura delicti per se resultare solent; DEUS enim est auctor, quare natura hæc exsistat, nec alia, quare v. g. hominis corpus tale exsistat, quale mero nimio obrutum non potest non sentire incommoda. Non sunt igitur mala naturalia à DEI arbitrio secernenda, sed conjungenda potius. (*f*)

(*f*) Hæc fuit inter alia ratio condendi rerum ordinem præsentem, quia ita comparatus est, ut pleraque peccata malis puniantur naturalibus. DEUM igitur si respexeris, mala crimen naturaliter manentia arbitraria sunt nec necessaria, potuisset enim DEUS res aliter coordinare, si voluisset; Sed si creatas res cogitaveris, naturale omnino est, quod ex actione per se, quia talis est, sequitur. Velim igitur ut summa cura observetur *naturales pœnas dici tantum propter res creatas, non propter Creatorem*, quippe penes quem naturale est arbitrarium, quia non exstitit per se, sed ejus nutû.

§. 4.

Ad hanc responsionem accedit alia momenti multo gravissimi, quam eadem Recentiorum disciplina submINistrat. (*g*) Sæpe ejusmodi mala & bona turpem aut honestam vitam comitantur, quæ naturali nexu cum honestate aut turpitudine non

cohærent, sed ex parte hominum casu immissa videntur, ex parte vero DEI propter liberam dispensationem adjudicata sunt. Mala & bona motiva sunt vel agendi aliquid, vel & aversandi. DEUS igitur, qui ab æterno decrevit, ut hic rerum ordo, nec alius, & quidem propter has perfectiones existeret, voluit etiam ut mala illa & bona non per naturam, sed liberam DEI dispensationem secuta, motiva essent fugiendi turpitudinem, & colendi honestatem. Conectit itaque DEUS Legislator summus mala & bona arbitraria speciali sensu, i. e. pœnas & præmia propriissime, & sensu humano adpellata cum actionibus creaturarum rationalium, confirmatque legem naturæ obligatione peculiari. Voluisse DEUM propter fata illa specialia & arbitraria, ut homines virtutem colant, vitia detestentur, dubium relinquitur nullum, aliter enim fata illa non destinaret. Atqui voluntas Legislatoris quocumque modo de faciendis aut omittendis declarata, non potest esse, nisi lex arctiori sensu vocata.

(g) Vid. hoc argumentum apud Wolffium in Moral. p. 20. §. 30. seqq.

§. 5.

Dubium, quod heic suboriri posset, prudem Vir celebris sustulit è medio. (h) Occurritur nobis sequenti ratiocinio. *Sæpe flagitiosissimos homines prosperrima fortuna uti, contra bonos agitari adversa, iniqua, & omnium judicio immerita. Quodsi igitur ex fatis de voluntate DEI recta faciendi, & omittendi turpia statuendum; futurum esse ut non desint, qui ratiocinentur, DEUM secundâ flagitiosorum*

sorum fortuna eorum crimina adprobata & perpetrata velle, quo nihil scelestius cogitari possit. Responsio autem est in promtu. Primo quidem complures pro piis habentur, qui fato adverso sint indigni, cum tamen honestatis speciem mentientibus nemo sit calamitatibus dignior. Post notandum, secundam fortunam vel scelestissimis motivo esse non continuandi peccatum, sed potius declinandi. Nisi enim gnaviter insensati sint, præclare intelligunt, in se ipsis nihil esse, quod tam prosperos successus meruerit, itaque non possunt non eos benignitati divinæ ferre acceptos, eoque DEi veneratione duci, & amore, quo pacto benignitas DEI ad resipiscentiam allectat. Præterea sæpe maxima fortuna summi mali est prænuntia. *Tolluntur in altum ut lapsu gravoire ruant.* Ex adverso iniqua, quâ cum conflictamur, futura sæpe ad res florentes & prosperas præparat, spectatosque reddit virtute. Quid? quod frenum injiciat affectui ad prava tumultuando connitenti, qui, si calamitate non vinciretur, exultando jugum excuteret, modumque transiliret mirifice. Quidquid igitur fatorum nobis evenit, id omne ad fugienda peccata, & persequendam virtutem ex DEI mente referendum, quo ipso voluntas ejus Legislatoria cum max.me declaratur.

(*b*) Responsio est Wolffii in Moral. p. 41. §. 31. Adde & Thumig. in institut. Philosoph. practic. Wolffian. p. 12. 13. §. 35.

§. 6

De moralitate, quam vocant, objectiva non hodie demum disputari cœptum est. (*c*) Quam detri-

detritum hoc dogma videatur, dubitari tamen non debet, quin maximi sit in Theologia usus. Observavi esse, qui id propterea tantum damnarent, quod à Scholasticis profectum intelligerent: perinde ac si omne, quod à Scholasticis accepimus, futile prorsus & ineptum esset. (k) Scholasticorum detestatio adeo apud nonnullos efficax est, ut vel sola eorum mentio horrorem incutiat doctrinæ, quæ ab eis traditur. *Multi quum vitant vitia in contraria currunt.* Loquor cum Poëta, sed aliquando mitius. Virtus plerumque in mediocritate posita est. Arbitror non esse prorsus damnandos Scholasticos, nec etiam semper audiendos, adhibendum potius prudentem rerum delectum. Dico igitur ingenue, *sine moralitate*, quam vocant, *objectiva*, *gravissimas Theologorum doctrinas in periculum incurrere.* Audiemus quem usum tam contemti dogmatis Leibnitius aliique adnotaverint.

(i) Quis nescit, quot inde à Puffendorfii temporibus scripta in utramque partem emissa sint? Eridis Scandicæ, operi Pufendorfiano subjunctæ non exigua pars in hac lite agitanda versatur. Jægerusin Tract. de legibus passim moralitatem objectivam tuetur. Pertinent huc Velthemii duæ dissert. de quæstione: *Num actus dentur per se honesti aut turpes?* Wernsdorff. in disputat. de absolutismo morali eoque Theol. p. 17. Hochstetter in Colleg. Pufendorf. exerc. 2. §. 7. exercit. 4. §. 15. Joh. Jacob. Müller in institut. ethic. P. I. c. 2. §. 10. Förtsch in nucl. controv. nob. P. I. disp. 6. §. 14. p. 169. Leibnitius, & Wolffius. Valde dubito an ullus veterum Theologorum illustrium arbitrariam moralitatem adoptaverit? vid annotat. Wolffii ad consilium Budd. p. 33. Reprehendit quidem eruditissimus Vir in respons. ad annotat. p. 32. hoc effatam de Theologis veteribus: Respondet vero Wolff, in der Zugab &c. p. 98.

(k)

(k) De Scholasticorum usu ill. Leibnitius Recueil. T. II. p 157. ita judicat: Les Peres de l' Eglise ont rejetté ce qu'il avoit de mauvais dans la Philosophie des Grecs; Mais les Scholastiques ont tâché d'employer utiliment pour le Christianisme, ce qu'il y avoit de passable dans la Philosophie des Payens. J'ai dit souvent, *aurum latere in stercore illo Scholasticæ barbariei;* Et je souhaiterois qu'on pût trouver quelque habile homme versé dans cette Philosophie *Hibernoise* ou Espagnole, qui eût de l'inclination & de la capacité pour en tirer le bon, &c.

§. 7.

Per moralitatem objectivam non omnes intelligere, quod intelligi debet, certissimum est. Hinc illæ dissensiones, hinc tot variantium sententiarum pugnæ. Si ipsius moralitatis nominatæ distinctam animo volverent ideam Pufendorfiani, & qui moralitatem tuentur arbitrariam, fieri non posset, ut cæteris contradicerent. Videre propterealicet omnes arbitrariæ justitiæ Parronos aut aliter sibi objectivam moralitatem, quam impugnant, concipientes, aut mirantes, id à suis adversariis inculcari, quod ipsi non negent. Id non potest non esse argumento, quod genuina impugnatæ sententiæ notione destituantur. *Per moralitatem objectivam intelligitur apud omnes ratio divinæ legis, ex ipsa objecti, circa quod leges divinæ versantur, indole petita.* Hinc adpellatur objectiva moralitas, quia ratio ejus non est in subjecto præcipiente tantum, in sola ejus voluntate, sed in objecto, de quo præcipitur. Hinc adpellatur honestas & turpitudo, quæ per se talis sit, *metonymice*, ponitur enim vox honestatis, quæ alias esse-

effectum designat, pro causa, seu potius pro ratione honestatis, Quæ ratio, sicut immutabilis nec à sola DEI voluntate pendula est: ita honestas salutatur etiam per se talis: intrinseca, & fundamentalis. (*l*) Haud scio an hoc sensu vel ipsi Pufendorfiani, quia tantopere Scholastica dogmata sentientes exsibilant, moralitatem objectivam audeant improbare? (*m*) Quis enim neget habuisse DEUM hoc vel illud præcipiendi per legem naturæ, rationem?

(*l*) Ne dicas, quæso, nos *aliter jam declarare moralitatis objectivæ ideam, quàm Scholasticos, si hoc sensu Veteres eam accepissent, nunquam Pufendorffium ejusque Asseclas adversus eam pugnaturos fuisse.* Erras, si credis alio sensu à quoquam unquam moralitatem isthanc intellectam fuisse. Barbaras quidem in ea describenda voces adhibuerunt, vera autem vocum sententia, si examinetur adcuratius, cum nostra definitione adcuratissime consentiet. Lege v. g Hochstetterum in Colleg. Pufendorf. Exercit. II. §. 7. invenies ita dissentem: *Theologi puriores* NB. *pro certo habuerunt, esse quædam per se citra omnem impositionem honesta ac turpia Deumque talia lege naturæ præcepisse, non quod ipsi ita placuerit, sed quod per se bona vel mala cognoverit:* Ecce! provocat ad rationem legis ab objecto desumtam. Ipsa ratio igitur legis naturalis est illa honestas voluntatem DEI antecedens. Allegat Vir pie doctus Leibnitium ita philosophantem: *Ut proportionum & æqualitatum: ita & æquitatis & convenientiæ regulæ æternis rationibus constant.* Vides igitur honestatem per se talem explicari per rationes æternas, quibus DEUS impulsus legem naturæ tulit. Nisi quilibet Schalastici sint ita quoque explicandi, causa cecidero omni. Explicarem aliquot, si temporis id permitteret angustia.

(*m*) Gavisus fui, postquam cognoscerem, Excellentissimum Dn. Buddeum, eo ipso scripto, quo mirifice Wolf-

Wolffii moralitatem objectivam impugnat, concedere *definitionem* moralitatis objectivæ, quanquam *definitum* rejiciat. Largitur enim, semper posse allegari rationem naturalem, ut DEUS in lege naturali hoc aut illud vetuerit, præceperitque? in der bescheidnen Antwort auff des Wolffen Anmerckungen: Man distinguirt, inquit, eben deßwegen die natürliche Gesetze von den willkührlichen / daß jene ihren Grund in der Natur haben / und man also eine natürliche Ursach angeben könne / warum GOtt diß oder jenes verbotten oder befohlen? p. 34. § 8. Atqui celeberrime Vir! si hoc concedis, concedis adversario omnia. *Hoc volumus*, habuisse DEUM hoc vel illud præcipiendi in lege naturali gravissimam rationem, eandemque rationem fuisse æternam, immutabilem salvâ DEI sanctitate, neque pendulam ab arbitrio, seu æquipollenter indifferenti voluntate divina. Hanc rationem legis vocamus honestatem fundamentalem, quia est legis fundamentum, adpellamus objectivam, quia petitur ab objecto, circa quod lex versatur. An inficiari quisquam audeat, hanc fuisse mentem Scholasticiorum? Jam autem si hoc verum est, & Atheus perspicax has rationes à socialitate aliisque objecti circumstantiis depromtas pervidere, iisque ad recte agendum impelli potest, etiamsi DEUM, cujus legislatoria voluntas accedit, negaverit. Ratio itaque legis vocatur à Wolffio Lex naturæ, generali sensu, quatenus regulam subministrat ex natura objecti haustam ad actiones liberas dirigendas. Fit autem lex stricte dicta, quæ superiorem arguit, quando voluntas DEI legislatoria supervenit. *Quoties adversarios irrito conatu adgredimur, quorum voces non eorum, sed nostro sensu intelligimus!*

§. 8.

Evolutâ moralitatis objectivæ idea, pronum erit eam firmare argumentis quælibet dubia superantibus, (*n*) Aut DEUS rationem habuit præcipiendi ea quæ lege naturali cauta sunt, aut non habuit.

buit. Postremum si dixeris, peccas primo in axioma generale sufficientis rationis, secundò blasphemiæ v. g. turpitudo à sola DEI voluntate spretâ ratione decernentis penderet, posset itaque ejusdem voluntatis alio decreto, tam honesta præstari blasphemia, quam nunc turpis est: Primum vero si placeat, ut *cum ratione dixeris DEUM præcipere, quæ continentur lege naturali:* Quæro: num rationem præcipiendi admittas *objectivam*, *an subjectivam.* Si prior arrideat, præsto est, ex definitione paulo ante data, objectiva moralitas: Sin autem *subjectiva* præcipiendi ratio se tibi commendat, quænam alia erit, quam voluntas DEI vel *sola*, vel quâ *sancta.* De sola voluntate, eadem quæstio recurrit, utrum præcipiat cum aut sine ratione, & id quidem sine fine: Ad voluntatem sanctam vero, si cum Pufendorffio in angustias redacto, temet contuleris, causa cecidisti. Sancta enim voluntas non potest non arguere rationes ferendæ legis objectivas i. e. moralitatem objectivam. Sanctitas voluntatis est *ea DEI virtus, qua nonnisi bonum vult, & nonnisi malum vere tale aversatur.* Roganti ergo, *cur hæc lex naturalis, de neminelædendo, lata sit?* respondendum: quia DEI voluntas sancta, i. e. quia nonnisi bonum vere tale vult, & contrarium detestatur, erit igitur actio præcepta per se bona, conveniens, rationem complexa in se, cur sanctitas voluntatem impulerit, ut præciperetur potius, quàm prohiberetur.

(*n*) Præsenti ratiocinio in compendium misi potissimum causæ præsidium, quod Pufendorffii Antagonistæ urserunt. Inter quos fuerunt Iosua Schvvarzius, Nic. Beemannus. Joh. Ad. Scherzerus, Valentinus Velthemius,

minus, Valentinus Alberti, Joh. Joach. Zentgrav, Samuel Strimesius, Fridericus Gesenius. Vid. *Vitam & famam, fataque litteraria Pufendorfiana, quæ cum germanica versione Monzambani Lipsiæ prodierunt an.* 1710. Adiatur Thomasius *in paulo pleniori historia Juris naturalis.* cap. 9. §. 14. seqq. qui tamen moralitatem objectivam in Fundamentis Juris Nat. & Gent. pristino honori restituit L. I. c. V. §. 50. seq. p. 156. & adptavit. Contra legatur Pufendorf. in specim. contro. c. 5. Budd in institut. Theol. moral. L. II. c. 1. §. 29. not. Thomas. in Jurispr. div. L. I. c. 2. §. 74. seqq. Buddæus in Philos. pract. P. II. c. 2. p. 39. Sylbius in der ausführlichen Abfertigung derer unbefügten Beschuldigungen. Confer. Gottlieb Stolle in der Historie der Gelahrtheit P. III. c. 2.

§. 9.

His præstructis non alienum erit, indicare, quibuscum gravibus Theologiæ doctrinis moralitas objectiva copuletur. Primo quidem dudum agnovere Theologi non infimæ notæ, quod sine moralitate objectiva discrimini exponatur necessitas satisfactionis Christi. (o) De qua re mentionem feci Cap. 8. §. 10. Quodsi enim, *non dicò* à voluntate DEI, sed à *sola* voluntate DEI pendet, ut malum quid sit morale, aut vero bonum; eâdem profecto facilitate, quâ DEUS, hoc ut malum esset, *statuit*, poterit etiam statuere, ut ejus culpa auferatur, eoque præstare, ut satisfactione tam cruentâ opus non sit. Quemadmodum enim Rex, sine fundamento in re ipsa, præcipiens, ut aliquid vitetur, subsecutô non solum Principis filii, sed & cujusvis Clientis peccatô, pœnam libere decretam tollere, atque ita delinquentem periculô liberare potest: ita etiam DEUS

honestatem, quæ à *sola sua voluntate*, per deret licet à rebus creatis violatam condonare, eôque ipsâ voluntate, quâ statuisset, irritam, & pœnâ vacuam declarare potuisset. Quod quantopere puriori Theologiæ adversetur, dici vix potest.

(o) Ita de hoc argumento disserit Hochstetterus pie eruditus in Colleg. Exercitat. I. §. 18 p. 31. 32. 33. *Est* moralitas objectiva, *fundamentum finis pœnarum interni, qui est satisfactio justitiæ, compensatorius scil. & expiatorius. Quem qui insuper habent, & profundiora Theologiæ, quantamque à Filio DEUS satisfactionem exegerit, non expendunt, moralem disciplinam, habitô solum ad vitam civilem respectû, non in abstractione aut generaliore habitu excolunt: eos non miramur, hoc dissentire, vel communiori via insistere. Cæterum non altercandi libidine hæc traduntur, neque Scholastica sunt, nisi omnia, quæcunque res & distinctos earum conceptus curatius secernunt, invidiosô hodie nomine velis traducere. Certe Jesuitarum probabilismum vehementer evertit gravis hæc solidaque illatio.* Adde Wolfium in der nöthigen Zugab zu den Anmerckungen über Herrn Buddäi Bedencken. *p* 90.

§. 10.

Est & aliud Theologiæ incommodum longe maximum, quod negatâ hâc veritate existit. Potissima obedientiæ DEO debitæ præstantia in eo vertitur, ut spiritu ducti spontaneo filiorum amore Creatorem & Servatorem prosequamur, haudquaquam vero servili metu impulsi ei obtemperemus. Timor filialis est, quum omittimus mala & bona colimus ob amorem Præcipientis, quem novimus gravissima ratione & commodi nostri causa commotum hoc aut illud mandasse.

Metus

Metus autem servilis est is, quô mala declinamus, facimusque bona propter metum pœnæ; quæ transgressori statuta est, ita quidem ut subinde clandestino legis tantâ sanctione pœnali munitæ odiô flagremus. Illic in metu filiorum constituti animamus præceptum, ac toto corde paremus; quia cum ratione intrinseca, etiamsi à pœna discederemus, conjunctum esse intelligimus: Hîc vero in metu servili odimus clam legem; externo tantum opere parentes, ne in pœnæ incurramus discrimen. Non perspicimus enim aliam legis rationem, quam nudam Domini voluntatem, quæ rem nobis ingratam, sine causa interna obsequii jucunditatem pariente, inculcare solebat. (p) Moralitas objectiva est, ut indicavi, quæ à DEO præcipitur cum summa ratione ex objecto legis depromta: Arbitraria vero moralitas, quam inculcat DEUS saltim propterea, quia vult, ita ut si quæras, quare v. g. *nemo sit ex lege naturæ lædendus*? nulla alia possit allegari ratio, quam quia DEUS ita voluit. Non potest igitur non illa objectiva spiritum parere spontaneum, metumque generare filialem, perspectâ ratione, quam DEUS, ceu Pater, nostri boni causa ex ipso objecto desumsit, ut hoc præciperet: Ex adverso Moralitas arbitraria, quæ fugienda & facienda saltim ideo inculcat, quia Deus vult, & nulla ratione movet, nisi pœnarum repræsentatione, non potest non motûs servilis esse fecunda mater.

(p) Vid. de Timore servili & filiali Wolff. Moral. c. 3. P. 462. §. 694. seqq add. Budd. Theol. Moral. c. 1. §. 22. p. 33. Bontekoe de animi & corporis pallion. P. I. §. 15. P. II. §. 30. seq. Welenfeld. in Pathol. practic. 2, c. 20. §. 29.

§. 11

Nec in eo subsistit arbitrariæ moralitatis pestilentissima feracitas, sed & ulterius gangræna serpit, recluså absolutorum DEI decretorum januâ. Qui in uno decreto quidquam potest statuere absque ratione objectiva, & v. g. præcipere, saltim quia vult, ut hoc illudve inferiores faciant atque omittant, is & in aliis decretis sine ratione objectiva à conditione rei decretæ petita pro arbitrio disponere omnia poterit. Quemadmodum igitur DEUS absoluto decreto à conditione objecti plane non pendulo voluit, ut jam alterum bonum sanctumque foret, alterum vero nefas, & malum; sic eodem decreto ad objecti conditionem plane non respiciente, hunc pœnis æternis destinare, alterum cœlestibus gaudiis consecrare quiret, nulla ratione objecti habitâ, de quo statuitur. Cur unum decretum absolutum foret, nec tamen alterum? Cur sine ratione objectiva DEUS posset pro lubitu *malum culpæ*, quale esse debeat, statuere, nec tamen etiam sine ratione objectiva infligere *malum pœnæ*? Sunt enim hæc valde cognata: quæ unius conditio est, talem esse & alteram oportet. Nec intelligitur, cur alterum ab altero possit sejungi, nisi manifestò hypothesi inservire, ac nonnulla quidem decreta conditione objecti formata, cætera vero absoluta contendere velis.

§. 12.

Non moramur itaque, quæ Viri eruditi Leibnitio objiciunt (q) *Ecquis Auctor*, inquit nonnemo, *determinans qualitates morales justi & injusti alius, quam DEUS omnipotens, qui licet ab æterno*

æterno ita determinavit, pro causa tamen determinationis istius utique habendus, nisi causam DEO priorem statuere velimus . . . Alia quæstio est, an ista determinatio inverso modo potuerit fieri à DEO, justum pro injusto haberi, quam nullibi Pufendorfius affirmavit, licet petulantiam esse dicat de potentia DEI in hac causa otiose disputare. Hic sedet ulcus, hoc fuisset sanandum. Quicquid à DEI voluntate pendet *sola*, potest & aliter determinari, quia voluntas est libera facultas faciendi hoc & illud &c. *Quæ quæso ista consequentia: Origo moralitatis ex determinatione DEI est, qui futuras hominum actiones ex suo arbitrio determinavit, & quæ justæ, quæ injustæ esse debeant, secum constituit: E. DEO liberum fuit ex justo injustum, & ex injusto justum efficere.* Cur hæc non legitima foret consequentia? Si determinatio libera fuit, potuit & aliter fieri, eoque justum declarare injustum, liberum enim est, quod fieri potest hôc, & illô modo. Sed cur solo *determinationis* vocabulô uteris? Cur non addis, *liberamne* intelligas an *necessariam* determinationem DEI? Nôsti omnino objectivæ moralitatis Patronos cum Leibnitio non inficiari, *quid justum & injustum DEUS determinaverit*, credere eos tantum, *factum & esse necessariò*, ne sc. seipsum abnegaret. Scilicet id agis, ut glaucoma lectoribus objicias, ne intelligant, in quo versatur litis cardo, eò consilium spectat tuum, ut lector suspicetur, statuere Leibnitium veritates à DEO non pendentes. Absit autem id quàm longissime! A DEO determinantur omnia, sed quædam necessario per principium contradictionis, quædam libere, per principium sufficientis rationis.

(q) Vid. Responsion. Weber. ad Leibn. Epistolam, quæ extat im Büchersal T. I. p. 836. & quam separatam subjunxit Editioni Pufend. libri de offic. Hom. & Civ. p. 28.

§. 13.

Ut res, pergit Vir doctus, *evadat manifestior, de instantiam. DEUS, dum solare, i. e. lucidum & calidum corpus ex arbitrio libero producere voluit, sine dubio ipsi hasce qualitates physicas assignavit, & determinatione sua attribuit, an. equam reapse existerent. Jam quæro an inde sequatur, DEUM, posita ista libera determinatione lucis & caloris, potuisse corpus solare quoddam opacum & frigidum creare? Id ut nemo largietur, ita sane injuriam faciunt Pufendorfio, qui talibus consequentiis suspectas reddere conantur ejus doctrinas.* (r) Multa in hoc discursu vel ambigua, vel à vero aliena. Nescio, quæ mens sit excellentissimi Viri, quum dicit, *DEUM libero arbitrio Solis, antequam existeret, qualitates caloris & lucis assignasse.* An id ita intelligendum? DEUM præstitisse *possibilitatem* alicujus corporis lucidi & calidi antequam existeret? Profecto, si id innuit, Patronus est essentiarum arbitrariarum cum Poireto, atque eum mirando distinguere debet possibile *anteideale*, & *postideale*, ut affirmet, etiam ipsum possibile hujus generis à libera DEI idea pendere quod est absurdum. (s) Res enim non est his aut illis qualitatibus possibilis, quia DEUS ita libere vult h. m. possibilem, sed quia non involvit contradictionem: Aut vero significat Vir celebris, qualitates physicas caloris & lucis fuisse jam ante decretum DEI possibiles, hoc autem

autem pertinuisse tantum ad earum, quum nondum exsisteret, ut barbare loquar, *futuritionem*, tum profecto necessarias admittit essentias, adeoque etiam *morales essentias justi & honesti necessarias*, haudquaquam verò arbitrariis concedere debet, (r) id ipsum est, quod volumus. Liberum igitur DEI arbitrium in condendo corpore lucido & calido pertinet modo ad *existentiam* ejus, non ad *possibilitatem*, errat, si credit, penes voluntatem DEI liberam stetisse, quascunque qualitates soli assignare, *antequam existeret*. Si enim alias assignasset, non creavisset solem, sed aliud quiddam, quod pro sole haberi non potuisset. Observo ὡς ἐν παρόδῳ, Adversarios objectivæ moralitatis non posse ad argumenta sibi obversa respondere, nisi vel aperte cum Poireto faciant, dicentes, DEUM rebus antequam existerent liberrime qualitates certas assignasse, & hoc vel illo modo possibiles reddidisse; (quod Weberus. concessisse videtur) vel sibi contradicant, nam si non datur libera qualitatum, antequam res existant, assignatio, si quod sol fieri debet, fatente Webero, non potest condi corpus opacum & frigidum: tum sane res ante decretum possibiles sunt, nec ab arbitrio libero, quâ possibiles, pendent, quô ipsô victas nobis præbent manus.

(r) Verba sunt Weberi in responsione ad Epistol. Leibnitii citat. p. 28.

(s) Weberi Responsio aut arguit cum Poireto omnium rerum essentias arbitrarias aut nihil contra Leibnitium præsidii in ea habetur, DEUS non potest solem alitercondere quam quidem possibilis est, ante decretum; ergo nec alias leges ferre quam quæ æternâ rerum convenientiâ comprehenduntur. Semper igitur justum

seu conveniens quiddam, & possibile, decretum DEI & Creatoris & Legislatoris antecedit. Vid. de arbitrariis essentiis Poiret. in cogitat. rarion. p. 395. L. III. cap. 10 §. 5. Ubi ait *ipsas veritates posse à DEO pro lubitu mutari, aliô atque aliô statui modô*, quô nihil ineptius excogitatum est unquam.

(t) Vid. Hochstetter in Colleg. Pufend. Exerc. II. §. 7. not (a). Qui veritates morales à DEI solo arbitrio derivat, eum oportet inde arcessere omnes veritates in universum. Morales enim sunt cæterarum species.

§. 14.

Alius quidam Vir & eruditionis & meritorum in orbem litteratum gloriâ florens his contra doctrinam præsentem ratiociniis utitur. (n) *Agesis, quære ex Scholastica sentientibus, cur αὐλοχειρία sit prohibita? Si responderint, quia sit turpis per se, difficultates orientur insuperabiles. Non poterunt explicare quo modo per se turpis sit? Etiamsi enim ad actionis consectarium provocaverint; tamen eis probandum erit, vitam esse bonum, hominemque ad eam tuendam obstrictum; Atqui hic est offensionum lapis: Neque enim obligatio ulla nisi ex lege oriri potest.* Talia, quæ à Viro prespicaci & judicioso proficiscuntur, satis mirari non poteram. Non sentio Scholastica nisi quæ vera fuerint, *Vir summe!* si tamen ex me quæreres, cur *αὐλοχειρία per se sit turpis*? rogarem etiam Te, num Tu in probanda isthac turpitudine ex lege naturali, ad solam DEI voluntatem provocare instituas? sin quæstionem affirmes, tota juris disciplina frustranea, nihilque necessarium est, quam ut theses præceptorum hujus juris tradamus, subjungendo, ita *velle, jubere, man-*

mandare DEUM. Sed quæso unde nôsti hoc velle, jubere &c. DEUM? Annon rationes allegandæ sunt ex ipsa objecti, de quo quæritur, indole & natura, Atqui illæ rationes homicidio v. g. ejusque circumstantiis intrinsecæ turpitudinem ejus *objectivam* ostendunt, ex qua demum de voluntate DEI prohibitoria judicari potest. Adverte igitur animum, si placet! *Nisi detur objectiva moralitas, totum jus naturæ corruet.* Unde nosti enim hoc esse juris naturæ præceptum? Annon ex rationibus ex ipsa actionum indole & circumstantia peritis? Atqui has nullas, & per se indifferentes ais, à voluntate DEI si discesserimus: Quomodo ergo vis cognoscere DEI voluntatem in jure naturæ declaratam, cum objecti ipsius convenientiam & disconvenientiam i.e. turpitudinem & honestatem objectivam neges? Respondeo igitur directe. Eo argumento egômet ἀυτοχειριας turpitudinem per se radicatam probo, quô tu voluntatem DEI probare, & interdictam à DEO hanc actionem demonstrare in animum induxeris tuum. Nimirum voluntatem DEI investigas, ut inquiras, an actio, de qua statuendum, per se habeat quid voluntate DEI indignum. Si quid habet, tum judicas *eam à DEO prohibitam*, si nil tale complectitur, recte infers, *ergo est licita*, vel siquid in ea DEI voluntate dignum sit, *præcepta*. Illam internam vero actionis sive dignitatem, sive indignitatem vocamus jure objectivam turpitudinem vel honestatem. imo existimo, nullum unquam scholasticum, licet sæpe multi obscure locuti sint, aliter sensisse, quâm ita. Quodsi ergo veritatis vim

perfentiscas, & hanc objectivam moralitatem te omnino non negasse causseris; indicio id est, quod vel non recte perspexeris adversariorum mentem, vel orta hujus explicationis luce ad Te redire cœperis, veritatem, quam rejeceras, agnoscendo.

(u) Vid. Walchium in Philos. Lexic. p. 1830. sub. Tit. *Moralitæt.*

§. 15.

Quæ subjiciuntur de obligatione semper & nonnisi ex lege profecta, ea vera sunt de obligatione externa, non de ea, quæ objecto interna est, (x) qualis à recentioribus definitur *per connexionem motivi cum actione*. (y) sic & cætera, quæ Vir celebris (z) objecit soluta sunt facilia. Qui ante oculos habuerit explicationem nostram supra traditam ei non amplius obscuræ erunt voces in hac doctrina adhibitæ: *Andecedenter & consequenter ad voluntatem DEI.* Quibus tamen & abstinere possimus si aures offendantur. *Peccatum quidem à Johanne ἀνομία vocatur* 1. Joh 3. v. 4. nec tamen inde consequitur, moralitatem omnem *sola*, ut Auctor concludit, lege contineri. Quis enim non videt Apostolum loqui de moralitate formata, non objectiva, quæ formatæ fundamentum est & ratio.

(x) De interna obligatione Thomasius in Fund. Jur. N. & Gent. L. 1 c. 4. §. 61 p. 135. *Obligatio* inquit, *duplex est, alia interna, quæ oritur ex conscientia periculi* (incommodi) *naturalis vel externa quæ oritur ex spe & metu ab arbitrio pendentis* superiorum.

(y) Vid. hanc obligationis internæ definit. apud Wolff. In Moral. C. 1. p. 8 §. 8.

(z) Sunt hæc argumenta Dn. Walchii in Lexico Philos. p. 1830. 1831.

§. 16.

§. 16

In definitione modo dictæ obligationis à Viro longe modestissimo pariter ac doctissimo desiderata sunt complura. (*aa*) Ait Vir laudatissimus, *a definitione obligationis*, quâ per connexionem actionis cum gravi motivo describitur, *abesse ideam DEI*, superioris, *quæ abesse non possit*. Recte id animirmat de obligatione externa & per legem formata, non de obligatione interna, ex actionis suscipiendæ indole petita. Hanc licebit vocare obligationem, nam definitiones nominales sunt arbitrariæ. (*bb*) Persequitur suum discursum Vir idem præstantissimus. *Insignem hæc definitio confusionem invehit, & officia quævis, eâ admissa in pristinum chaos recidunt: Quum enim ubivis rationes moventes in promtu sunt, distinguere nullo modo possumus, quæ actionum physicarum, quæ moralium sit discrepantia, quæ officia perfectæ sint obligationis, quæ imperfectæ, quid prudentiæ sit officium, quid justitiæ?* Fateor me aliter sentire. Ut motiva variant, sic diversa sunt & manent actionum genera. Stat igitur incolumis omnium officiorum discrepantia. Ubi ratio aliquid suscipiendi non fuerit tantum convenientia actionis ipsa, sed & voluntas Superioris, perfectæ obligationis oritur officium, si sola sit convenientia, non accedente motivo à lege ulla petito: manet officium imperfectæ obligationis. Vides igitur officiorum discrimen non tolli admissa definitione, quæ generalis est, nec differentias motivorum, eoque & actionum excludit. Forsan animum subit, *in solo juris naturalis foro versantibus non suppetere adminicula ex*

foris

solis actionum motivis dijudicandi officia perfecta & imperfecta, tum enim & hac de ipsa Legislatoris voluntate quæri, utrum præsto sit, & actionis motivum præbere queat, nec ne? atque adeo nesciri, sitne officium perfectæ seu imperfectæ obligationis, prudentiæ vel justitiæ munus? Sed salva res est. Nam & ubi voluntatem DEI in lege naturæ declaratam demum investigamus, ex motivorum varietate elucet, quæ sit Numinis voluntas in anteponendis aut postponendis his illisve officiis? Quædam enim ut faciamus omittamusve, suadet necessaria rerum convenientia, sine qua summa confusio oriretur, ut v. g. *neminem læde, pacta servato.* Tanta quum convenientiæ necessitas motivum agendi aut omittendi quid, subministrat, recte colligimus, actionem esse justitiæ, non prudentiæ munus: Ex adverso si cognoverimus, actionis suscipiendæ non dari motivum nisi utilitatem & commoditatem: sine periculo decidimus, esse eam prudentiæ munus, illic veneramur voluntatem DEI legislatoriam ut Regis, hic voluntatem suasoriam ut Patris. Quomodo igitur officiorum potest enasci confusio? quomodo motivis mirifice variantibus, officia invariata in pristinum reciderent chaos? Deinde recurrunt h. l. omnia quæ §. 14. inculcata sunt. Annon, ante quam de voluntate DEI in lege naturali erudimur, omnes unanimi consensu ex actionum circumstantiis ratiocinantur, *quæ sit circa eas DEI voluntas, quas perfecte debitas habere doceat, quas imperfecte debitas?* Atqui ex eodem circumstatiarum actionis fonte motiva petuntur: Quodsi ergo ordinatæ definitionis Promachi officia variæ obligationis

nis distinguere possunt, poterunt id & facere hujus definitionis Patroni. Defini, si placet, obligationum scholasticis, iisdemque metaphoricis vocibus, quas aliâ vice detestari soles, *per qualitatem passivam, quâ quis præstare quid aut agere tenetur*, per *vinculum morale* &c. Si quæstio incideret: *Sisne ad hanc præcise actionem hîc & nunc obligatus ex lege naturali, nec ne?* An præsidium quæris in definitione tua, annon cum recentioribus ex actionum circumstantiis judicas, justane sit an turpis? atqui hoc est obligationem investigare ex motivis, quippe quæ circumstantiis continentur. Ostendit nostra definitio originem obligationis legis naturalis, estque genetica, ob quam causam summopere laudanda venit. *Nemo enim sine actionum motivis cognoverit, num ad ullam actionem obligatus sit nec ne?* utrum Legislator DEUS actionem præceperit nec ne? si vel centies obligationem ursseris, non potes de ea certus fieri, nisi per motiva actionum ex circumstantiis desumenda.

(*aa*) Vid. Doctiss. Treuer in not. ad Pufend. lib. de off. H & Civ. p. 53. 54. seqq.

(*bb*) Vid. Wolff. in annotat. ad Dn. Buddæi consilium p. 35. not. (*y*)

§. 17.

Reliqua à Viro æquissimo, qui Atheismi culpam impugnatæ à semet sententiæ auctori impingere nolebat, obversa facile solvuntur. Dicit: *si omnia metiamur motivis, cum vix ulla actio ex cogitari queat, cujus non detur ratio determinans, ne quidem illæ, quæ dicuntur indifferentes, v. c. ut dextrum*

trum pedem prius moveam, omnes involuturas obligationem, nullam ergo datumiri actionem indifferentem, sed non fugit excellentissimum Virum hæc à recentioribus omnio concedi: imo urgeri. *(dd)* Non ergo absurdum est eorum sententia, quod exprobratur. Omnia jure naturali determinata sunt, sed non omnia imputantur ob ignorantiam motivorum & circumstantiam incredibilem. Hinc prius dextrum movere pedem vel & sinistrum *saltim ex ratione decori* actio moralitatis capax est. Integra societas seu exercitus um corpore humano contenditur 1. Cor, 12. Qui societati præest rex, in curandis Reipublicæ negotiis capitalibus, non potest animum advertere ad specialissimas infimorum civium familiares actiones, cum summa enim rei & publica Universi cura comparatæ evanescunt in attentione Principis, ut *infinite parva* in *calculo infinite simili*: *(ee)* Nemo tamen dixerit illas civium actiones moralitatis in foro saltim divino non capaces esse, respectu membrorum Civitatis, si non respectu Capitis i. e. Regis. At similis est ratio corporis humani, actiones membrorum minutissimas Rector corporis animus moderari omnes non potest, nec tantopere attentionem dividere, ne minuatur in actionum gravissimarum summa: Interim licet eæ minutiæ animo non imputentur, parvitas tamen, tantum abest, ut moralitatis capacitati eas subtrahat, vel determinationem moralem impediat, quantum abest ut familiarissimæ infimi ex Civili corpore membri actiones non determinatæ, aut incapaces moralitatis sint. Quo specialius descendit Principis prudentia sine detrimento negotiorum publico-

blicorum, ad specialissima civium facta, eo præstantior est. Quousque se cæteris paribus demittere potest, eo demitti oportet. Si ad omnia specialissima non descendit Regis prudentia, id ex eo fit, vel quoniam omnia pervidere non potest rerum agendarum singularium motiva, vel quia quidem intelligit, majora tamen & graviora excellentius quiddam agendi motiva habet, minoribus anteponenda, id est, majorem obligationem minori hîc & nunc concurrenti præferendam: Minime autem propterea ad minutissima & specialissima Civium facta non exporrigitur sapiens Regis imperium, quoniam conduceret civitati *absolutè loquendo*, ut *minus determinata* haberentur. Quis enim dubitet, eo majorem futuram civilem felicitatem, quo accuratius consentirent omnes & minutissimæ civium ac domesticæ actiones cum communi civitatis scopo? Quodsi hæc ad hominem adplicentur quippe microcosmum, perspicuum erit, quo simile tendat. Omnes actiones, etiam minutissimæ lege naturali determinatæ sunt, & *obligationis capaces*, quia habent motiva proportione respondentia, *sed actu non obligant omnes*, vel quia motiva isthæc discerni non amplius possunt, tanquam *infinitè parva*, vel quoniam discernuntur quidem, non possunt autem anteponi gravioribus motivis ad præstantius quid agendum, quæ hîc & nunc colliduntur. Sic cum in gravi pugna singulari duello cum hoste decertas, motiva decori in eleganter componendo corpore observare ob *comparativam* vilitatem in hoc certamine non potes. &c.

(c)

(cc) Est hoc alterum argumentum Treueri in notis ad Pufendorff. de O. H. & C. p. 54.

(dd) Vid. Wolff. in Moral. p. 17. 18. §. 27. Das Gesetz der Natur ist das allervollständigste, und hat alles entschieden in einem jeden Fall, unerachtet es bisher noch nicht vollständig ist erkant worden. Motiva connectuntur cum actionibus minutissimis, non tamen obligant nisi cognita; sicut & in cæterorum philosophia legis obligato actu non stringit, nisi promulgata. Crassam actionum ἀδιαφορίαν eamque atheam Pyrrhoniorum discrimen omne inter turpe & honestum tollentium describit *Joh. Joach Zentgrav. in specimin. antiquit. moral.* dissertat. II. Quæ ab omnibus Christianis aliena. Paulo tolerabiliorem Cynicorum ab Antisthene descendentium, qui differentiam decori & indecori auferebant, delineavit *Heumann. in actis Philosoph. P. XIII. n. III. p. 899 sqq.* Et ab hac Christiani abhorent. De subtiliori autem ἀδιαφορία & olim & nunc disputatum est. Thomistæ indifferentes dari actiones non concedebant, nisi in abstracto, in concreto autem tales esse negabant. Contra quam distinctionem Barbeyrac. in Pufend. de Jure N. & G. L. l. c. 7. §. 5. n. 5. p. 106. nonulla objicit. Scotistæ contra dari tales & in concreto docebant. Quæ Theologorum sit sententia constat. vid. Buddæi Theol. moral. P. II. c. 1. §. 30. Bajer in Theol. moral. P. III. c. 1. §. 11.

(ee) Vid. Wolffens Anfangs-Gründe der Mathemat. Wissenschafften T. V. p. 254. Mercket wol / daß eine unendliche kleine Grösse nur in Ansehung einer andern für nichts zu achten / in sich aber nicht nichts ist. Solche Bewandtnus hat es auch mit der determination der actionen.

§. 18.

Quivis, inquit Vir doctus, *poterit sibi rationes agendi vel non agendi repræsentare eoque se ipsum obligare, quod tamen absonum est, quum quivis sua voluntati*

voluntati libere nuntium mittere queat, adeoque obligatorium foret non obligatorium. Qui motiva agendi quærit, non obligat seipsum, non enim nectit ipse motiva, sed intelligendo deregit, invenit, si finxerit, ficta est obligatio. Non pendent motiva à libero arbitrio, sed ab intellectu, quæ potentia est omnium consensu necessaria, eoque nec nuntium remittere potest, quia facere nequit, ut de motivis non convictus evadat, quum convictus est homo, nisi forte animus indurescat, sed tum simile metui debet circa obligationem à superiore profectam: Forsan & alium sibi superiorem repræsentare, & pro lubitu se ejus obligatione exsolvere potest. Quidquid mihi responderis, tibi esto responsum. Addit, *adprobata definitione etiam DEUM proprie obligatum ad plura esse, cum semper motivo ducatur optimo.* Generali sensu, quo obligatum esse, idem sonat, ac necessitate morali teneri, quo minus concedatur, quid obstat?

§. 19.

Cur autem significatum vocis obligandi mutamus, *in re tanti momenti, qua totius moralis obligationis indolem pervertit? cautius est philosophandum; Nec talis idea vocabulo subjicienda.* Est hæc extrema dubitatio, quâ nobis occurritur. (ff) Paucis accipe rationem assignati vocabulo præsenti significatûs gravissimam. Qui, num DEUS in lege naturali ad hoc illudve faciendum nos obliget, dispiciunt, in quonam, amabo, versantur toti? Annon in eo, ut ex actionum circumstantiis indeque pendentibus motivis, præceptum DEI eruant? Non provocant continuo ad voluntatem su-

perioris obligatoriam in probanda lege, sed ex actionis indole & motivo voluntatem obligandi dijudicant: Ergo obligationis definitio ab actionum motivis petita genetica, & prima est, quæ *formalem* in jussu DEI positam, tanquam superioris, antecedit. *Nostra definitio genesin rei exponit, ordinaria vero characterem rei jam genitæ.* Quanto autem definitiones geneticæ cæteris præstantiores sint, mathematici norunt. Quis dicat, *genesin rei explicantes malas obtrudere definitiones?* cum nihil in definitionibus illa explicatione nobilius, nihil adcommodatius sit. Quomodo probabis, *DEUM temet obligandi habere jus? An ex voluntate obligandi quippe superioris?* Petis principium, de ea enim anquiritur ipsa. Nonne provocandum est ad *motivum* beneficii summi in creando te & conservando: Quoniam igitur prima obligationis radix in *motivis* ponitur actionum, quæ & diffunditur per omnes obligationum ramos & surculos, nam & voluntas superioris *motivum* est: intelligitur, hanc generalem obligationis ideam debere cæteris obligationum speciebus præstrui. Ita *obligatio naturalis* erit, motivum ex natura actionis petitum, *formalis*, motivum ex voluntate Imperantis, *obligatio divina*, motivum ex jussu DEI depromtum, *Christiana obligatio*, motivum ex jussu Christi: *Humana* ex motivo Superiorum hominum &c. In eo præstat nostra definitio ordinariæ, quod nostra docet omnium primam investigare obligationem, cæterarum scaturiginem, quâ devincimur DEO: Ordinaria id non ostendit. Nostra latissima est, & omnes species complectitur, etiam *obligationem naturalem,*

lem, à lege naturali, quatenus cogitando Auctorem sejungimus profectam, nec non obligationem internam, quæ est consilii, quod monuit Ill. Thomasius: Ordinaria vero definitio nonnisi ad externam & formalem obligationem pertinet.

(ff) Vid. Treuer in not. ad Pufendorf. de O. H. & C. p. 54 p. 53. inter alia sic impugnat definitionem. *Possimus in moralibus supersedere Deo, atque ideâ legis, & ad normam agendi nos obligantem sufficiet argumentum solum utilitatis. Atheismus hanc hypothesin* (nostram definitionem intelligit) *toti Ethicæ substernit.* Possumus in moralibus, hâc definitione admissâ, supersedere *Dei* mentione, quamdiu contra Atheos pugnamus ex eorum principiis, κατ' ἄνθρωπον, *concedo*, Possumus supersedere Dei mentione in moralibus, in nostra ipsorum causa versantes, *nego*. Si vellemus contra Atheos præstruere, dari honestatis normam à *Deo* superiore datam, peteremus principium. Igitur aliter sunt confutandi, mittimus tantisper mentionem Dei Legislatoris; quæ est in quæstione; Cumque Athei negatô Deô credant, se legis naturalis obligatione exsolutos, ostendimus, eos turpissime falli, nec lucrari negatô Deô quidquam; radicem honesti restare in ipsis objectis, à quibus motiva vitæ innocentis petenda, quod cum non possint non agnoscere, cessante Atheismi causâ, solutioris vitæ spe, cessabit ipse Atheismus. Nihil igitur Atheis cedimus, nisi quod majore lucro sumus recuperaturi. *Atheismus non potest toti Ethicæ definitionem obligationis nostram substenere.* Proprie utilitatis intuitum substetuit Ethicæ, ut Spinozæ exemplo constat, non vero actionum omnium ex motivis æstimationem. *Quantum distat hæc ab illa!* Actionum ex motivis delectus complectitur omnia, *officia erga alios quosvis*, ex motivo socialitatis, *erga se*, ex motivo conservationis, *erga Deum*, ex motivo divinarũ perfectionũ. *At quantũ hinc abit propriæ utilitatis respectus!* Non æstimat actiones ex moti-

vis plene, qui negatô Deô præstantissima recte vivendi motiva eludit; Ergo nec dici potest, *stante hac definitione, nos posse in moralibus DEO supersedere.* Quoties reprehendimus optima, non satis ponderata! Si rebelles crederent absentem regem mortuum, legum juga ob eam opinionem excussuri: An, qui ostenderet, si vel maxime rex esse desiisset, alia tamen gravissima leges observandi argumenta exstare, Rebellibus faveret? Num dici posset, ex ejus hypothesi, posse rebelles supersedere regis imperio? Absit! Fiat, si placet, applicatio. Quamobrem tantopere damnamus hanc definitionem? Cum ipse Pufendorfius in obligatione fundanda maxime causas i.e. motiva requirat, his verbis: *qui nullam rationem allegare novit, quare mihi invito velit impingere obligationem, præter solas vires, is terrere quidem me potest, sed metu remotô nihil obstat, quo minus meo potius, quam illius arbitrio agam.* Aut Sol non lucet ipsô meridie, aut ex his verbis patet, obligationis & juris fundamentum esse certa motiva ex rei indole petita, *quia in imperaturum consensi, vel ab eo insignibus sum beneficiis mactatus.*

§. 20.

Restat unicum hactenus, quod supra expositis cum specie posset obverti. *Scil. leges Dei positivæ aut cum ratione objectiva à Deo latæ sunt: aut sine ea; si prius nobis placeret, niterentur positivæ leges etiam moralitate objectiva* (sic enim hanc definivimus) *eoque existit confusio legum naturalium positivarumque: Si posterius autem nobis arrideat, discedimus ipsi à principio sufficientis rationis, quod tantô urgemus opere.* Sed res est in vado. Habuit Deus rationem objectivam ferendi leges positivas, veruntamen, quæ à particulari gentis, cui præscriptæ fuerunt, indole desumta, non autem à genio universalis omnium hominum societatis

tatis petita erat, quo quippe discrimine lex naturalis à positivis sejuncta est. In *positivis condendis ratio est particularis, in naturali ferenda, ratio universalis.* In illis formandis respicitur ad certum populum, tempus, locum, in quo vivit, huic autem naturali stabiliendæ subjicitur ratio, quæ intuetur universum genus humanum omni tempore, loco &c. vivens &c. *At enim lex positiva Dei universalis ad omnes homines pertinens supponet quoque rationem universalem, quæ respiciet totius generis humani indolem: Universalis effectus, (lex) universalem rationem poscit. Itaque confundetur hæc lex eum jure naturali*, quæ duo tamen adeo solicite, à Viris doctis nostro tempore discreta sunt. Sed pace aliorum dicam cum Thomasio in cogitationibus (gg) posterioribus, *Legem positivam universalem destitui fundamento, quæ præcipua opportunitas hujus disciplinæ est*, quâ caventur difficultates, talium legum Patronis imminentes.

(gg) Vid. Observat. select. T. VI. num. 27. Præsertim vero fundamenta Juris Nat. & Gent. Cap. Proœmial. p. 9. edit. quart. §. 16. *Cum genuina meditatio legis divinæ in genere etiam figmentum legis hujus universalis cognoscendum me ita manu duxerit, ut qui primus fui, qui idem stabilivi, etiam primus fuerim qui id de struxerit.* Vid. observ. 27. §. 23. & paulo plenior. Hiſtor juris nat. præfat. Quantopere vero de hac lege disputatum sit, nemini non est obvium. Pro lege stant Hochstetter Colleg. Pufend. Exerc. III. §. 19. p. 135. Weber in dissert. de legibus divinæ positionis universalibus. Grammlich, In vindiciis harum legum &c. Genzke in Schediasm. moral. de principiis justi &c. Contra eos pugnant. Thomasius, Asseclæ. Veteres Theologi nihil de ea docuerunt distincte. Vulgo hac

tamen refertur Dannenhauer hod. Phænom. VI. §. 24. p. 468. Ex instituto Thomasii posteriores sententias adgressus Albertus Riper. in dissert. *de lege & legibus divinis in genere, & de universalibus in specie.*

§. 21.

Examinabo strictim quæ legis positivæ universalis præcepta esse dicuntur. Primo sororum & fratrum conjugia juris naturalis possunt esse interdicta, licet ratio tam gravis ex ipsa natura reddi nequiret. Incestus lineæ rectæ omnium consensu lege naturæ prohibitus est, cum tamen plures de prohibitione isthac comprobanda desperent. Magnam oportet esse fratrum & sororum libidinem, qui tam prope à communi sanguinis ortu distantes, extincto pudore conjungi cupiunt. Libido autem quin regulis honesti adversetur (*bb*) dubium relinquitur nullum. Videndum etiam est an incestus fratrum & sororum non sit universalis juris gentium, (*ii*) de quo viri docti pridem disputarunt.

(*bb*) Vid. Thomas. Juris Nat. & G. fundam. Lib. III. c. 2. §. 6.

(*ii*) Vid. eundem cit. loc. §. 38.

§. 22.

Incestus cum amitis & materteris &c. lineæ ascendentis obliquæ pugnant contra eandem honestatis regulam. Velle enim cum iis coire, qui vel quæ patrum aut matrum loco habendi, non potest non libidinis œstrum prodere horrendum. Debetur quippe parentibus veneratio ejusmodi, qua conjugalis amor pellitur. Polygamiam virilem lege naturali, nulla vero positiva, interdici

Wolf-

Wolffius demonstrat. (*kk*) Idem auctor matrimonii vinculum solvi nescium docet argumentis non contemnendis, ex sola quidem sana ratione. (*ll*) Imperium mariti in uxorem, quod etiam hactenus ex sola positiva lege probari posse putabant, idem scriptor ex jure naturali derivat. (*mm*)

(*kk*) Wolff. in Moral. C. II. p. 27. §. 42.
(*ll*) Idem cit. loc. p. 30. §. 44.
(*mm*) Idem cit. loc. p. 41. §. 48. seqq.

§. 23.

Cætera præcepta majoris videntur indaginis esse, quam ut ad naturæ legem possent referri. *Quid enim de arbore in Paradiso vetita dicendum?* Annon Syndici vices Protoplastus agens legem illam accepit loco omnium? est ergo universalis positiva; Nolim Viri illustris (*nn*) adoptare responsionem *de spiritu terrestri in fructu arboris concentrato.* Hæc mihi videtur planior. Potest aliquis legem personalem sibi latam soli violando culpam contrahere toti cuidam societati imputandum. Fac ex pacto duarum gentium bello certantium milites binos utrinque hac electos lege, ut quisquis alterum vicerit, ejus populus etiam Victor censeatur, imputata vel victoria vel clade suis civibus. An eo casu dici posset, (*oo*) legem de ineundo duello fuisse latam omnibus militibus, an lex ista non est personalis? atqui imputatur tamen ejus violatio, si miles cæterorum Syndicus segnem se præbuerit, reliquis cunctis. Ergo & Adamus licet violando legem de arbore vetita reatum contraxerit nobis omnibus communem, potuit eam legem pro se accepisse solo, ut non opus sit, universalem istam

confingere. Distinguenda est in lege obligatio generalis ad obtemperandum DEO, à personali, quatenus illa ad præsentem casum adplicata fuit. IllamProtoplastus cum nostro detrimento temeravit, hæc autem specialis obligatio, circa arborem veritam non contrectandam, ad nos non pertinuit. *Unde probas enim, futurum fuisse, Adamo non peccante, ut illa arbor, post absolutam obsequii explorationem, & cæteris omnibus prohiberetur?* Num certo scis, *non fuisse tollendam post explorationem?* Atqui hæc omnia deberent esse perspecta, si præceptum istud universale fuisset. Syndico sæpe negotiorum expediundorum regulæ præscribuntur, quibus violatis damnum redundat in civitatem, quis autem dixerit, illas regulas universim ab omnibus fuisse observandas civibus?

(*nn*) Est hæc sententia de Spiritu terrestri in arbore delitescente Thomasii l. c. quem confutavit Hochstetter Coll. Puf. Exerc. III. §. 21. p. 141.

(*oo*) Similis casus fuit Goliathi duellum cum Davide 1. Sam. 17. v. 9.

§. 24.

Lex de Sabbato, i. e. celebrando die Saturni, fatentibus cunctis præceptum est ex adparatu ceremoniarum (*pp*) Ecclesiæ Judaicæ. Sed quatenus unus ex numero septenario dies celebrandus est, juris id positivi universalis esse arbitrantur. (*qq*) Sunt tamen, qui, quidquid sub lege Sabbati latet, natura notum esse contendunt, (*rr*) in quo turpiter falluntur. Recte vero, mea tenui sententia, ii judicant, qui juris naturalis esse docent, ut quoddam tempus DEO sacrum habeatur, temporis

vero

vero disignationem ex alio jure vel ceremoniali in V. T. (*ss*) vel Ecclesiastico universali in N. T. derivant, à quo sine summa temeritatis nota recedere ne integris quidem Ecclesiis particularibus liceret. Fuisse enim diem Solis in Apostolica quoque Ecclesia feriatum, puto indubium; Num tamen singulari divina revelatione, aut jussu id factum, ut feriæ Sabbati Iudaicæ in diem Solis transferrentur, nondum exploratum est. Itaque consuetudo universalis Ecclesiæ omnis, quæ *jus gentium Christianarum* quà talium, constituit, demonstrata est. (*tt*)

(*pp*) Ipse Paulus inter ceremonias per se cessantes in N. T. refert Sabbatum Col. 2. v. 16. Rom. 14. v. 5. Gal. 4. v. 10. Præceptum de tempore non est magis positivum universale quam de loco, cui in N. T. nihil alligatum est Joh. 4. v. 21. 23. Vid. Budd. Theol. moral. C. III. Sect II. §. 35. p. 480.

(*qq*) Ex ordinaria sententia tres distinctæ leges in Sabbati præcepto confluerent, ut Dies præcise septimus, qui Saturni est, cum Judæis celebrarerur, fuit legis ceremonialis: ut aliquis ex numero septenario haberetur sacer, esset legis universalis positivæ; Denique ut generatim tempus quoddam divino cultui destinetur, Legis est omnino naturalis. Primum concedo, extremum urgeo, hæreo autem circa secundum. Vid. Hoffmanni Synops. Theol. p. 213 §. 3.

(*rr*) Nathan. Eathon. inquisit. de Sabbato & die Dom. qu. 2. Antonius Walæus de Sabbato cap. 5. homines lege naturali ad Sabbatum celebrandum obstrictos contendunt. Huc pertinet Isaac Athias Judæus in Thesibus Anno, 1617. Venet. edit. Parr. I. n. 157. apud Walchium in Lexic. Philos. p. 2168. Clemens Alexander. L. V. Strom. pag. 600. Euseb. L. 13, præp. evang. c. 7. p 677. in Homero & Hesiodo vestigia septimi diei ceu sacri reperiri testantur. Mysteria nu-

meri septenarii vid. apud Gellium Noct. Attic. L. III. c. 10. Macrob. in somn. Scip. L. I. c. V. Censorin. cap. 6. Sed hæc omnia incerta parum aut nihil probant. A Judæis enim notitia Sabbati ad gentes dimanavit, ut non mirum sit, eas simile quid passim tenuisse. Tacit. histor. *L.* V. cap. 4. de Judæis, *septimô*, inquit, *otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit.* Ex quo testimonio intelligitur famam Sabbati & inter gentes percrebuisse. Adde Justin L. 36. cap. 2. *quo septem dierum jejuniô, per desertâ Arabiæ cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbatum appellatum.* Plutarchi insignem locum vid. apud Budd. Hist. Eccles. V. T. Tom. I. Sect. I. §. 31. Confer. Dio Cassius Histor. Libr 37. p. 38. nec non Martial. *L.* IV. epigramm. 4. Naturalis igitur legis hoc præceptum esse ex eo non probatur, quod & gentibus notum & ex parte fuit observatum. Vid. Grot. de verit. Rel. Christ. L. I. c. 16. Huet. demonstrat. Evangel. prop. 4. p. 227. inprimis Syrbius in dissert. de Sabbato gentilium. Non præteundus Buddæus in Select. Juris nat. & gent. p. 234. Wernsdorff. in dissert. de Sabbato gentilium.

(*ss*) Eminet h. l. inprimis Joh Heinr. *Heidegger* in histor sacr. Patriarchar. P. I. exercit. III. § 53. Limborch. in Theol. Christian. L. V. c. 27. §. 7. seqq. Francisc. Gomarus in tr. de origine Sabbati. Quæ investigatio cum non omnibus placeret *defensionem investigationis* edere instituit Job. Spencerus de legibus Ebræorum ritualibus L. I. c. 4. Sect. 8. sqq. Cæterum de hac materia ex instituto commentati sunt Joh. Prideaux, Joh. Coccejus, Josua le Vasseur. Thomas Brodæus &c.

(*tt*) Multa Apostoli instituta susceperunt propaganda deinceps per futurum tempus, quæ immediate juris divini non fuerunt. Inter Apostolos v. g. de gentibus Evangelio docendis conveniebat Gal. 2. v. 9. Dubitandum vero est, num id jussu Dei immediato factum, (ad probationem post factum nemo negat) aliter enim pacto opus non fuisset, cum obsequium Deo sine conventione debeatur. Confer. 1. Cor. 16. v. 1, 2. Pauci sunt

sunt qui eleemosynæ erogandæ institutum singulis diebus dominicis observandum, peculiari revelatione à Deo profectum, eoque Juris universalis positivi præceptum esse contendunt, licet Apostolorum jam sit commendatum memoria: Quid obstat igitur quo minus idem de die Dominica sentiamus, quo minus fateamur, esse ejus ferias juris ecclesiastici sed universalis, à nulla unquam Ecclesia, ullo tempore violandi? Has traditiones Ecclesiæ universales inde ab Apostolorum memoria ad nos propagatas non repudiamus, ut nobis à Rom. Ecclesia falso exprobratur, sed quod & Dn. Pfaffius Tub. alicubi monuit, veneramur sanctissime, *modo universales sint.* Respondet talis ecclesiæ universalis consuetudo firmata consensu omnium, uri gentium, quatenus à jure naturæ distinctum est, de quo tot Grotius suo loco docuit. Sicut enim jus gentium in universali gentium consuetudine communi consensu roborata positum est, atque sanctissime quibusvis observandum: Ita consuetudo universalis Ecclesiæ de die Dominica, præsertim cum ratione nitatur factæ eodem temporis intervallo resurrectionis Christi, formam faciemque juris induit, sed ecclesiastici universalis. Approbo verba viri docti, cujus nomen haud obscurum est: *Observatur inter Christianos dies hebdomadæ primus, & jam Apostolorum tempore observatus fuisse recte concluditur ex* Joh. 20. v. 26, Act. 20. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2. *Verum non ex obligatione divini præcepti, sed libera electione, attamen convenienti ratione nixa, quia illo die Dominus ex mortuis resurrexit. Hæc autem libera electio non facit, ut Dies ille hodie nobis sit arbitrarius: quod enim ante electionem arbitrarium fuit, electione facta obligat. Nec absonum est aliquid obligandi vim habere, quod libera omnium, qui ea obligantur, electione, vel etiam à Magistratu imponitur. Et hac ratione continua illa praxis vim legis obtinuit.* Aliter de feriis Apostolorum sentio, quæ juris sunt Eccles. particularis, neque enim Apostoli suos ipsorum celebrârunt dies.

§. 25.

§. 25.

Hæc de septimo die post eversam Judaicam Ecclesiam dicta sufficiant, ex notis paulo præcedentibus. Sed quid de Sabbato habendum, inde à creatione mundi ad Israelitarum Ægypto exeuntium tempora? An etiam eâ memoriâ septimô die cultui vacabant divino? *Altissimum est ea de re silentium.* Quamvis Vir *eruditissimus nullam ejus rei commemorandæ rationem forsan fuisse dicat,* (*uu*) in eo tamen meris suspicionibus indulget. Mihi igitur placet illorum decisio (*xx*) qui pertendunt Mosen Gen. 2. v. 2. mentionem fecisse sanctificati à Deo Sabbati *ut sui temporis homines ad originem rituum à se institutorum attentiores faciat*, causamque alleget statim historiæ initio, ob quam posthac Judæis Sabbatum præscriptum. Huic explicationi non desunt sua argumenta: Nam Sanctificatio Sabbati non incidit in diem septimum post creationem, sed post mannæ demissam cœlo pluviam Exod. 16. ℣. 22 23. Quis probabit autem, hunc diem septimum post manna acceptum, respondere illi septimo, qui à creatione numeratur? Novi quod ad omnia, si ab hoc solo discesseris, cujus feci mentionem modo, respondeant contrariæ sententiæ Patroni, sed in ipsa responsione semper recurrunt ad hypothesin, quæ nullo argumento nititur, nisi uno oraculo Gen. 2. ℣. 2. de cujus ipsius explicatione agitur. Hinc ea sunt vocanda ad mentem, quæ in loco *de Scripturæ interpretatione* cap. 2. dixi.

(*uu*) Innuo summum Virum Buddæum Theol. Moral. Cap. III. P. II. Sect. II. §. 33. p. 478. Dicit §. 34. *Ex silentio Mosis contrarium non colligi, nec consequi, quod Patriar-*

Patriarchæ Sabbatum haud celebraverint, potuisse abesse causam prægnantem, cur hoc commemoraret. Sed in ea ipsa responsione jam supponit, oraculum, de quo, *quî explicandum sit?* erratur, sensu suo interpretandum esse.

(*xx*) Vid. Cleric. Commentar. Pentateuch. in loc. Gen. 2. v. 2. p. 16. b. Limborch. Theol. Christ. p. 478. §. 7. L. V. cap. 28. &c.

§. 26.

Supereſt unicum adhuc præceptum, quod juris poſitivi univerſalis eſſe dicitur, de quo nunc diſpiciendum. *Nimirum proclivitas animi mala, motusque peccandi, conſenſum voluntatis præcurrentes, jure naturali non prohibentur; cum autem ſacrarum teſtimonio litterarum conſtet, eos imputari,* vid. Rom. 7. ℣. 7. *cunctis mortalibus: neceſſe eſt dari jus poſitivum univerſale.* Sed argumentum nullo nexu propoſitionum utitur, Confundit enim diſcernenda. Meo tenui judicio diſtingui debet *inter jus naturale ipſum*, quod multo eſt perfectiſſimum, (*yy*) ſanctitatisque divinæ omnis complexum arguit, *& inter adplicationem ejus* ad has aut illas actiones, quæ aliquando ob ignorantiam *quorundam datorum* i. e. factorum aliquot, manca & mutila evadit. Sic & motus peccandi, voluntatis adprobationem prævolantes, juri naturæ adverſantur, agnoſcente id homine ſolo rationis uſu inſtructo, quamprimum venit in facti notitiam, quæ adplicandæ legi naturali ad hunc caſum inſervit: ſed quamdiu factum antecedens neſcit, non adplicat jus naturale ad caſum præſentem. Si monueris hominem eorum, quæ ad hiſtoriam lapſus pertinent ex ſacra ſcriptura, ſc.

ea

ea quæ nunc involuntaria sint, fuisse olim voluntaria in Adamo nostro omnium capite morali, potuisse eum cavere, ne viel in se, vel posteris tales motus orirentur: profecto tum ex ipso lumine naturali pervidebit, has cupiditates, etiamsi animum occupent invitum & refragantem, contra jus naturale admitti, sentit igitur, se rationi rectæ adversa animo complecti. Interim, ubi facti, quod ad applicationem requiritur, notitia deest, non mirandum, motus omnium primos ad legem naturalem non referri. Aliud igitur est, *esse quid contra jus naturale*, aliud ob necessarii *dati* defectum *ignorari, num id pugnet contra legem naturalem nec ne?* Si quem videas ebrium, nec tamen perspectum habeas, sitne ebrietas ejus voluntaria, annon? haud judicari potest, num actio isthæc legem naturæ violaverit: cum tamen inde non consequatur, actionem istam lege naturali non determinatam, eoque necessariam esse positivam legem, ut de ea ferri sententia queat. Similis ratio est motuum peccati ante voluntatis consensum emergentium. Cum sine revelatione exploratum non habeatur, quæ origo sit illorum motuum, voluntaria, an involuntaria? quæ historia? Non discerni hactenus potest, quo loco sint habendi, cum tamen in se lege naturali jam sint prohibiti, cujus duntaxat adplicatio ad præsentem actionem impedita est, ob sæpe dictam historiæ ignorantiam lapsus.

(yy) Ita de lege naturali sentit Wolffius Moral. p. 18. §. 17. Fac, aliquem hausto quodam philtro insanum sequioris sexus amorem petulanter contrahere, similesque etiam generare liberos, quibus de impio paren-

tis

tis facto nihil innotescerent? Annon hi crederent, *delirum, quo rapiantur, amorem juri naturali haud adversum esse, quia inde à nativitate trahat ortum, cum penes neminem stet, quali modo velit nasci?* An tum peculiaris lex confingenda foret, ut homines tales peccati coargui possent? Neutiquam! Amor insanus jam lege naturali fuit cautus, sed ob ignorantiam historiæ parentis lex naturæ non adplicatur ad præsentem casum. Substituatur nunc in locum hujusmodi liberorum genus humanum, & in locum parentis Adamus, plana erit similitudinis intelligentia. Quantam hæc observatio utilitatem pariat in confutandis Pontificiis & Arminianis, nullam cupiditatem, nisi voluntariam Decalogo veritam contendentibus? dici vix potest. Putant Antagonistæ se triumphasse, quamprimum legem *non concupiscendi* de voluntario adpetitu peccandi exposuerint, insistunt deinceps suæ hypothesi & interpretationi, & omnia ex eadem argumenta solvunt: sed plane non triumphant. Ex Wolffii & Leibnitii enim doctrina & modus *primò primi*, quos vocant juri naturæ ipsi repugnant, quod hoc simili manifestissime ostenditur, modo quis historiam lapsus Adamitici in dubium non vocet, cujus quippe notitia ad adplicandũ jus naturæ in præsenti casu necessaria est. Quam historiam adversarii, cum quibus hoc nobis res est, non negant, facilius propterea ex concessis redarguendi. Cum tam pravi motus voluntatis consensum antecedentes in Adamo ante lapsum exorti non fuissent, & vero Protoplastus sciens & volens legem violando tantam sibi & posteris corruptionem contraxerit: profectò motus illi, etiamsi nunc hoc rerum statu involuntarii sint, culpa non vacabunt, quod erat probandum.

§. 27.

Pervenio nunc ad illud causæ præsidium, quô dari jus positivum universale negandum est. Nulla lex, sive naturalis sive positiva, sive divina, sive

sive humana ferri à prudente Magistratu solet, sine ratione *objectiva*, ex ipsa subditorum indole, natura, temperamento, civitatisque constitutione, loco, situ & tempore &c. petita. Aliæ enim si condantur leges ex rationibus *subjectivis* i. e. proprio Imperantis emolumento, mero arbitrio &c. profectæ, inhumanæ merito censentur. Quales à DEO præscribuntur nunquam. Qui igitur indolem alicujus societatis profundius intelligit, eum fugere haudquaquam potest, quales leges à Magistratu prudenti *ferendæ essent*. Non dico, *quæ ferantur*, potest enim Princeps indulgere suo, vel Ministrorum genio, *sed quæ ferendæ essent, si mens non læva sit*. Supremum in Cœlis Numen nunquam alias leges fert, quam quæ præscribendæ sunt, ex rationibus sc. objectivis, quibus solis æquitas continetur, derivandas. Quemadmodum igitur leges civiles humanæ, si justæ fuerint, ex singularum civitatum natura, & indole & intelliguntur & judicantur: Ita etiam leges Dei ex objecti, circa quod versantur, natura semper erunt judicandæ. *Quodsi datur Jus Dei positivum universale, aut habebit rationem in objecto, aut non habebit, si posterius dicas, declarabis Deum Despotam iniquum, solis subjectivis ductum motivis, cujus stat pro ratione voluntas, quod non potest non odium Dei, & metum servilem incutere:* Si prius autem arrideat, *respicere Deum rationes objectivas*; quoniam lex, de qua disceptamus, universalis supponitur, ratio ejus objectiva tam late patebit, quàm hominum societas, cui data est. Itaque non in hujus aut illius populi particularis natura & detri-

indole fundata erit ratio legis, sed in universi generis humani communitate. Qui ergo societatem humanam omnem in se considerat, ejusque naturam & indolem universim investigat, is ex natura isthac perspiciet, cur lex talis lata sit, cur hoc præceptum nec illud? i. e. is versabitur circa legem naturalem, quid enim est lex naturalis, (zz) quam quæ ex natura societatis humanæ universim spectatæ eruitur? Itaque lex ista aut nulla, aut naturalis; nititur enim ratione vel naturali, vel nulla.

(zz) Obvertis forsan, *posse legis universalis positivæ rationes dari ex objecto desumtas, sed nobis incognitas:* Verum parum proficies. Ostendi enim legum, quas ex jure positivo universali derivas, maximam partem ex manifestis naturæ humanæ societatisque communis necessitatibus posse probari. Quid? quod legis jam latæ, cujus argumentum & sensus constat, ad universum quendam populum pertinentis ratio semper obvia sit prudentibus gentis & ejus naturæ æstimatoribus.

§. 28.

Turbat, *credo*, animum dubitatio haud levis, quam velles eximi. Si Polygamia ac reliqua, quæ hactenus juri positivo universali adscripta fuerunt, ipsa lege naturali prohibita sunt: *qui potuit fieri dispensatio? quomodo DEUS isthac obligatione Patriarchas cæterosque exsolvere potuit? Jus naturæ est indispensabile, nititur ipsa DEI sanctitate, quæ nunquam non sibi simillima cognoscitur.* Sæpe etiam ad hunc scopulum fui allisus. Periculum autem ideo imminebat, quod magis ex vocum sono, quam idearum intuitu fui ratiocinatus. Quid est lex naturæ? *Jussus DEI cum summa ratione conjunctus, cujus promulgatio profundiori naturæ hominum considerationi absolvitur.* Ut igitur naturæ humanæ

manæ neceſſitates aliquando variant, ita quæ ratio hactenus ſumma fuit hoc præcipiendi, ſuccedente alia graviore, deſinit eſſe ſumma, *alia igitur ratio aliam diſpenſat*, manente regula generali, cum ſumma ratione præcipiendi i. e. lege naturali ſtante inconcuſſa. Audiamus Viri illuſtris judicium. *Itaque in iis, quæ* (quantum ad jus naturæ) *à DEO permittuntur, aut jubentur, aliunde ipſam malitatis rationem ceſſare dico; Inceſtus inter fratres & ſorores abſolute malus non eſt, ſed in liberis Adami ipſa naturali ratione permiſſus.* (*aaa*) *Ratio enim non minus diſpenſatione utitur quam DEUS.*

(*aaa*) Vid. Recenſum librorum qui prodiit Hanoveræ Jul. 1700. p. 379.

§. 29.

DEUS igitur indulgendo Patriarchis Polygamiam, extra hunc caſum legi naturæ adverſam, non diſpenſavit in jure naturali, ſed ſublimior & extraordinaria ratio diſpenſavit in ratione ordinaria, inconcuſſo conſilio, ſemper cum ſumma ratione præcipiendi, permittendi i. e. lege naturæ immotâ. Vt numen miracula patraturum leges motûs ordinarias non violat, ſed ſuſpendit, ſapientiam ſuam iſtis oſtenſam non abnegat, ſed ſublimiori modo commonſtrat: ſic à præceptis morum naturalibus quosdam eximendô caſus, non tam jus naturæ violat, quam ejus adplicationem hic & nunc ſuſpendit, ſanctitatemque non temerat, ſed extraordinario modo declarat. (*bbb*) Habuit enim DEUS graviſſimas rationes Polygamiam in V. T. tantiſper permittendi, quæ in novo ceſſantes juri naturæ ordinario vi poſtliminii reditum con-

concesserunt. Vid. Matth. 19. ℣. 8. Ubi ratio extraordinaria allegatur tolerati divorti, non quasi hoc lege naturali haud improbaretur, sed quia satius erat unam *inconvenientiam* permittere, quàm ea impedita gravioribus præbere occasionem. Qui igitur collisa hinc ratione ordinariâ gravi, illinc extraordinariâ graviori, hanc anteponit illi, non abnegat sanctitatem, sed confirmat; aliter enim si faceret, foret abnegaturus, majus malum eligendo præ minori; non mutat jus naturale, sed extra ordinem hic & nunc sequitur legem æquitatis sublimiorem.

(*bbb*) Vid omnino Leibnit. Theod. §. 206. 207.

CAPUT XII.

De Lege Ceremoniali.

§. 1.

EX idea *ceremoniæ* generatim formata, quam hodie viri docti subministrarunt, egregie judicari & confirmari possunt omnes veritates, quas Theologi hôc locô inculcant. (*a*) *Ceremonia est signum, quô certi instituti memoriâ animum subire debet.* Sic solemnia, quibus Regum inauguratio ornatur in memoriam revocare debent Majestatem supremi Imperantis, ut per ritus splendidos in sensus incurrentes (*b*) eô fortius subditorum animi ad obsequia præstanda percellantur.

(*a*) Non dico per Philosophiæ præcepta demonstrari primario theses theologicas, sed per eorum cum sacris consensu credo fidei articulos mirifice corroborari. Vana enim est fides, quæ aperte pugnat cum recta ratione. vid. dissert. Prælim. Sect. I.

(*b*) Vid. Wolff. Moral. p. 105. §. 276.

§. 2.

Ceremoniæ igitur non omnes damnandæ sunt. Namque si quid significent, cujus memoria hîc & nunc utilis & necessaria, nec alias facile obvia fuisset; dubium nullum est quin rationi maxime sint consentaneæ. Omnes cogitationes initium à sensibus capiunt, quo facto accedente phantasiâ & ratiociniorum ope mens aliis atque aliis cogitationibus afficitur. Cum igitur res nunc quidem sensibus obversatæ haud excitassent memoriam ejus, quod cogitari deberet valde consultum est adhibere ceremonias sensibus subjectas, quo necessaria cogitatio in nobis oriatur. Ex quibus intelligitur quam sapienter, à Deo in V. T. cærimoniæ præscriptæ, quarum monitu Patres in Christi futuri recordationem inciderent.

§. 3.

Quæcunque Theses in præsenti capite Theologi tradunt, eæ omnes, quod mirum videri potest, ex hac recentiorum definitione prono alveo fluunt. *Ceremonia est signum, quô certi instituti memoria animum subire debet.* Quodsi malum & superstitiosum fuerit institutum, sistitur per ceremoniam animo, si fuerit sanctum, denuo non potest non præsente ceremonia cogitatio illius recurrere. Ægyptiorum ritus ad superstitionem & Idololatriam alendam comparatos fuisse, quis nescit? (c) Non est igitur verosimile, Deum populo Israelis eas ceremonias præscripsisse, quam præsentia ambigua fuisset, recolendæ tam superstitionum Ægypti, quam veri Numinis cultûs

tûs memoriæ idonea, (*d*) quod viri cætera docti nobis persuadere conabantur.

(*e*) Vid. Joh. Baptista Casalius in *opere tripartito de profanis & sacris veteribus ritibus cujus pars prima Egyptiorum ritus exhibet.*

(*d*) Nori sunt Marshaam in *Canone Chronico.* Spencerus in dissert. *de Urim & Thummim* & de *legibus Hebræorum*, qui omnes Judæorum Leviticas Ceremonias ab Ægyptiis profectas esse statuebant. Judicare hinc licet, quid de nonnullis Ecclesiæ Romanæritibus habendum, quos à gentibus derivatos Viri eruditi observârunt, v g Mussardus in libro gallico, qui & germ. editus ita inscribitur: Grûndliche Vorstellung der vor Zeiten aus dem Heydenthum in die Kirche eingeführte Gebrâuche *cum adnot. & præf. de prima orig. cerem. Eccles. Lipsi.* 1695. Plures tamen ritus à Judæis in Ecclesiam propagati. Vid. Budd. in dis. de ritibus Ecclesiæ Latinæ Judaicis, quæ exstat in parerg. hist. Theol. Idem sentit Augustinus Epist. 119. ad Januar. *Tot*, inquit, *servilibus oneribus Ecclesia premitur, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, quum etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciantur.* Non improbo Templa, altaria, nego tamen tot ab Apostolis ædificata, aut Romæ octo Templa à Christi Discipulis condita, quod tamen scribit Ciampin Part. I. de Mus. vet. cap. 18. p. 154.

§. 4.

Ceremoniæ sunt signa, quibus certi instituti memoria animum subire debet, non potuerunt igitur Vet. Testamenti ritus omni prorsus significatu esse cassi, id quod satis testantur Apostolorum scripta. v. g. Hebr. 8. v. 5. Verissima igitur est Theologorum doctrina, quâ *typicam his legibus vim assignare* cum Scriptura solent. Nec obstat, *ritus etiam Novi Testamenti significatu gravidos, nequa-*

quam vero typicos. Alia enim est ratio eorum in antiquo fœdere, quam quæ in novo. Si sola ceremoniis illis veteribus pietas exprimenda, & in memoriam revocanda fuisset, tum nec tanto, nec tali apparatu indiguissent. Quorsum enim sanguis taurorum, hircorum, immensa copia profusus? Annon dixi generatim ceremonias rebus adcommodandas, quas revocare in mentem debent? At quam ei scopo attingendo inepta sanguinis pecuini profusio, quæ magis crudelitatis quam pietatis ideam excitasset, nisi altius suspiciendum fuisset, ad sanguinem suô tempore à Servatore profundendum peccatorum causâ.

§. 5.

Ceremoniæ sunt signa; signa non tam vividam animo notionem offerunt, quam res signatæ. Quis non anteponat amorem sponsæ annulo ejus: & quis non majoris faciat potestatem regis ipsam quam diadema, vel tegumentum capitis ex auro conflatum: *quis non præferat sanguinem Christi sanguini Taurorum.* Plus ergo novit & habet, qui rem ipsam novit & habet, quam ejus signa. Necesse est igitur notitiam & felicitatem V. T. Patrum minorem fuisse quam nostram. *Quæ tertia est Theologorum in hoc articulo doctrina.* Minorem autem, *dico*, non plane *nullam.* Patres enim V. T. non tantum norunt ceremonias ut nudas, sed ut significatu certo feraces, aliter enim ceremonias verô sensu tales non cognossent: Non cognoverunt tantum ceremonias i. e. signa: (quemadmodum subditi coronati regis spectant & intelligunt ornamenta) sed & habuerunt, & possederunt: Qui autem jus gerit in signum, gerit & in rem signa-

signatam, qui annulum sponsæ possidet, possidet ipsam. *Fuerunt igitur Patres & Servatoris peculium & hæreditas.*

§. 6.

Ceremonia est signum, quô certæ rei cogitatio in mente excitatur. Si vis de re cogitandi non antea præsto sit, inutilis est ceremonia huic Personæ. *Quod mentem sanctificat, vim ei indit deliberato cogitandi nonnisi bona.* Cum igitur cerimoniæ facultatem cogitandi de re non ingenerent, sed modo jam ingeneratam excitent: nulla profecto ceremonia sanctificare potest. (*e*) Turpissime igitur deceptus fuit Judææ incola, pium & Deo gratum se per observatos ritus fieri persuasus, de qua re præclare Paulus Hebr. 10. ℣. 1. sqq.

(*e*) Hæc est profundissima Judæorum corruptio, cujus non assecutus fueris penitiorem ideam, quam *lectâ Limborchii amica collatione cum Erudito Judæo.* Oggannit Apella: *Non perfectiora esse quæ ratio nobis dictitet, quæque sint præcepta moralia, quam quæ Deus ipse revelaverit ceremonialia, quorum rationem nos miseri ignoremus: Gravius punita frequenter crimina adversus ceremonialem quam moralem legem commissa: Qui falso pejeraverit, pœnam subiisse, qui vero Sabbatum violaverit, morte debuisse plecti; Nullum discrimen a Deo statutum legum cerimonialium & moralium, Captivitatem immissam ob terram septimô quôvis anno quieti non relictam &c.* Sed facilis est responsio: Si major fuit statuta criminibus contra legem ceremonialem patratis pœna, major etiam præresis, quæ legi morali adversatur, intercurrit. Sæpe metu adacti quidam pejerare solent, non tam graviter plectendi, ut illi, qui petulanter Sabbatum violant, quia non sunt ob Sabbati, quâ ceremoniale præceptum est, violationem puniendi, sed quatenus summâ malitiâ contra legem moralem admissa, temeratum est. vid. Limborch. ipsum cit. loc.

§. 7.

Excitant igitur & supponunt ritus cogitandi vim, non ingenerant. Uti vestes non calefaciunt nisi corpus vivum, vim caloris naturalis prærequirentes. Cum ceremoniæ sint signa, quibus præsentibus in recordationem certarum rerum veniri debet: detestandum est *opus operatum*, quod vocant. Quando scil. ceremoniæ cortici inhæretur, nec mente agitatur ea idea, quæ agitari deberet. Graviſſime propterea, at jure optimo in abusus ceremoniarum leviticarum, quæ peragebantur sine debita cogitatione, invehitur Prophera Jesaj. c. 1. (f)

(f) Alia tamen ratio est sacramenti initiationis. Quia gratiam enim infanti pariat ex *opere operato*, dubitandum non est. Confert quippe fidem, non supponit, uti S. Cœna.

§. 8.

Ceremonia ad animum vocare debet alicujus rei memoriam. Si res autem ipsa præsto fuerit, signo ejus non erit porro opus. Ceremonias V. T. eo spectâsse, ut Christi futuri imaginem animo offerrent, nemo temere negaverit: Adventante igitur Christo ritibus illis V. T. præclare poteramus carere. *Itaque cessavit per se lex isthæc Ecclesiæ ritualis.* Non eget abrogatione quod per se cessat. (g) Quocirca lex ceremonialis adcurate loquendo nec abrogata dici potest. (h)

(g) Si legem hanc à Christo abrogatam diceres, locus suspicandi relinqueretur, quod & Christus novas leges vel tulerit, vel saltem ferre potuisset. Qui enim antiquas leges abrogare potest, ei licet & novas condere.

(h)

(*h*) Legem hanc abrogatam ait Jæger Comp p. 381. Uti cessarunt ritus Judæorum, ita, idem ut fieret & acciderer gentium superstitiosis ceremoniis, optandum est, quas à Judaicis ortum traxisse jure an falso? quidam affirmant. Daniel *Clasenius in Theologia gentili. Huetius in demonstrat. Evang. Bochartus in Geograph. sacra.*

§. 9.

Ex his etiam, quid de adiaphoris in Ecclesia N. T. judicari debeat, intelligitur, quorum causa & olim & nostro tempore certatum est. (*i*) De Ceremoniis Sacrorum judicaturo id negotii datum est, ut inquirat, num ritus ecclesiastici in memoriam revocent, quod revocare debent? Et an ejus cogitatio sine isthoc ritu non sua sponte animum subiisset? (*k*) Dispiciendum ergo est quid maxime in loco templi publico mentem pii auditoris percellere debeat. Num recte facit, si lætitiam de beneficiis Dei ad animam pertinentibus concipit? Quidni? ergo Musices cerimonia cantionibus interstincta sacris voluptatem sanctam excitaturis laude non caret.

(*i*) Notæ sunt lites Interimisticæ, quibus, *an ea quæ Cæsar & imperii ordines Pontificii interim tenenda præscripserunt, adiaphora sint nec ne?* disceptatum est. Facile ex nostra generali notione sententia pronuntiari solida poterit. Flacius Princeps eorum fuit, qui se formulæ *Interim* opposuerunt. Hinc scripta edidit plura adversus Adiaphoristas *Phil. Melanchtonem, Georgium Majorem, Joh. Bugenhagium*, quæ à Joh. Balthas. Rittero in descript. Vit. Flacii p. 279. Joh. Erdmanno Biekio in dem dreyfachen Interim cap. III p. 191. commemorantur. Adde Anton. Teissierii *eloges des hommes scavans* T. I. p. 438. Schisma Episcopalis & Presbyterianæ in Anglia Ecclesiæ maximam partem

ob ceremonias enatum Georg. Hornius docet p. 530. Histor. Eccles ubi ait, *non defuisse qui improbarent Episcoporum superbam auctoritatem & Hierarchiam, tanquam missæ nimis vicinam* &c. vid. Joh. Heinric. Heidegger in corp. Th. Christ. L. XXVII. sect I. §. 93. p. 606. Quantopere de Liturgia Anglicana (*the common Prayer Book*) pugnatum fuerit, pervulgatum est. Puritani enim eam volebant abrogatam novam substituturi à Richardo Baxtero concinnatam. Hinc colloquium Londini habitum 1660. irrito eventu. Curiosius hoc exponit Nicholsius in adparatu ad defens. Eccles. Anglic. p. 58. Quid Puritani in Liturgia desideraverint Nichols memoriæ prodidit c. l. P. II cap. 4. p. 145. Heinrich. Ludolph. Bentheim in dem Engelländischen Kirchen = und Schul = Staat. Non est jam locus his recensendis.

(k) Ita ratiocinatur Wolffius in Moral. Cap. III. p. 105 §. 177.

§. 10.

Qui Christi in crucem pro nobis acti memoria commovetur in loco sacrorum publico, non potest non adprobari DEO: Cum ergo imagines Servatoris suspensi ex cruce, ei scopo inserviant: non video quamobrem ex templis prorsus ejiciendæ sint, *dummodo caveatur idololatria.* Judicare hinc licet, quid sentiendum sit, & de motibus Ecclesiæ veteris iconoclasticis, & ex altera parte, de superstitione Ecclesiarum quarundam (*l*) hodiernarum. Ceremonia est signum, quod ad animum revocare certas cogitationes debet, nisi igitur cogitationes idololatricæ & superstitiosæ sint, non est cur vitia vitantes in contraria curramus, omnibus plane & modestis ceremoniarum vestimentis Religionem denudando. Medio tutissima præbebitur via.

(*l*)

(*l*) Valde quidem pleraque suspecta sunt quæ Romanenses de Iconoclastis veteribus referunt. v. g. *resectam à Turca Tyranno Johannis Damasceni, Leonis Isaurici instinctu, manum restitutam fuisse ope imaginis Virgini Mariæ sacræ.* Vid. Maimbourg. Historir. des Iconoclast. Livr. II, p. 123. Non tamen per omnia Iconoclastæ excusandi sunt, nisi forte fuerit ut imaginum in templis præsentia non amplius potuerit propter populi superstitionem ab idololatria sejungi. Vid. Bayle in Dictionaire Hist. Crit. sub Tit. *Damascenus* p. 949. Refutavit fabulam Frid. Spanhem. in hist. imag. restitut. sect. II. §. 13. Tom. II. operum p. 794.

§. 11

Actiones, quas intuitu DEI suscipimus, quasque essemus omissuri, si forte ignorantia DEI omnimoda teneremur, vocantur cultus DEI. (*m*) Cumque actiones sint duplicis generis, vel animi, ut *intelligere*, *velle*, vel corporis, ut *moveri* &c. cultus DEI quoque duplex existit, *internus* & *externus*. Omne actionis motivum cognitionem mentis arguit, & voluntatem. Si igitur cultus externus i. e. corporis motus ab interno sejunctus fuerit, i. e. ab intellectu & voluntate, desinit esse cultus, quia nullo impulsu perfectionum divinarum, nullo motivo DEI ducitur: *Hæc enim est cultus definitio.* Ceremoniæ igitur sacræ cum sint signa, quæ, quid boni cogitare nos deceat, commonefaciunt, quæque admonent, quid DEI causa faciendum? Cultum DEI non constituunt, sed jam in homine plantatum excitant; Absit igitur, ut quisquam maximam cultus partem in iis solis collocare instituat. (*n*)

(*m*) Vid. hanc definitionem cultus apud Wolffium in Moral. p. 517. §. 757.

(*n*)

(n) Hic sedet ulcus omnium Ecclesiarum, quatenus depravatæ sunt. De Evangelicorum cœtu dicere nil attinet, obvium est, quid in iis populis, eorumque vita & cultu queat desiderari. Notabile vero est de orientali Ecclesia testimonium Salomon. Schvveig. L. II. cap. 62. Itinerar. p. 215. ubi ait, *in tanta ceremoniarum pompa summam divini cultus rationem amitti, pluris facto parergo, quam ipso ergo.*

§. 12.

Ceremoniæ sacræ sunt signa ex instituto quodam pendentia, non naturæ cursu, quo sensui ignis fumus signum est. Potest igitur res esse sine signo, i. e. cultus sine ceremonia (loquor absolute, non quod id fieri semper expediat) Ceremoniæ igitur possunt esse hæ aut illæ, pro necessitatibus Ecclesiæ. Sicut in omni lingua coli DEUS potest, 1. Cor. 14, ℣. 15. Voces enim quid sunt quam cogitationum signa: sic in omnibus quoque potest coli ceremoniis, quæ nihil sunt, quam signa, quid cogitandum sit de DEO? quo affectu calefieri oporteat? Quidquid proin in DEI cultu abitrarium, id non pertinet ad necessitatem salutis. Qui ergo ritus obtrudunt (o) sub dispendio vitæ æternæ, decipiunt & decipiuntur vehementissime.

(o) Hæc est verissima Confessorum positio. Vid. Hoffmann. Commentat. synopt. in Aug. Confess. p. 295. §. 10. De Ecclesia orientali Spanhem. in Elench. controv. p. 406. docet: Græcos existimare, *in cerimoniis ne tantillum quidem salva sua Ecclesia mutari posse*, quo colore hanc opinionem tingant, Ricaut docet, qui illis oris fuit versatus, cap. 6. p. 32. *Populum sc. iis adsuefactum*: Sed nunqaam hoc pacto excusantur cerimoniæ superstitiosæ, quales ibidem introductas, nemon escit.

§. 13

§. 13.

Tandem cum ceremoniæ signa sint monentia, *quid cogitari inter sacra debeat*, haud vero, *quid cogitari non debeat:* Impii sunt illi ritus, qui ad cogitationes & affectus verbo divino contrarios inducunt, ut v. g. in genua provolutus imaginem adores, ut purgatorii terrore concutiaris, ut fiducia meritorum superbias &c. Itaque tales ritus non tolerandi sunt, qui magis de DEO sinistre sentiendi, quam recte, occasionem præbent. Ex eadem ratione cognoscitur, ceremoniarum pompam non debere esse justo majorem, ne animus contra ceremoniarum scopum multitudine obrutus vel ritus non satis distinguendo, vel nimium admirando, cogitanda omittat: Ex adverso juvat, non esse eas aut plane nullas, aut justo rariores animoque efficaciter percellendo incapaces, verum ita potius comparatas, ut significatus altissime animo impressus non tradatur oblivioni, donec redeunte sacrorum vice, nova fieri per eas possit commonefactio.

CAPUT XIII.

De Conversione.

§. 1.

AD finem properare jubet instituti temporisque ratio. Dicam igitur brevissimis quid in hoc articulo adjumenti afferat recentiorum phloisophandi methodus Duo heic extrema declinari debent. Dextrorsum quidem, ne gratiam fingas talem, cui resisti plane nequeat: sinistrorsum vero, ne

ne vel tantillum tribuas in emendatione hominis viribus naturæ. Si mediam ingressus viam nec hinc nec illinc deflexeris, veritatem omnium recte sentientium judicio es assecutus.

§. 2.

Existimo autem Viri illustris & asseclarum doctrinam cum eo, quod verum est, amicissimo nexu consentire. Fieri emendationem hominis viribus supra naturam collocatis humanam, unanimi Theologorum bene animatorum calculo probatum est. *Miraculum est effectus qui nec ex rei natura nec ex vi mundi hujus consequitur.* (a) Itaque conversio miraculum est, (b) quod in anima nostra editur.

(a) Vid. hunc concept. Mirac. apud Leibnit. Tom. I. Recueil p 48. §. 43. apud Wolffium Metaph. p. 339. §. 633. Bulffinger. Dulucid. p. 203. §. 212.

(b) Velim expendantur verba Bülffingeri Dilucid. p. 224. §. 231. *Nonne id à Theologis dicitur miraculum, quod est supra vires naturæ. Accipe argumentum. Aut operationes in fidelibus spirituales sunt supra vires naturæ, aut non. Si prius, sunt miracula, si secundum, adest Pelagianismus. Quid multa? si sunt operationes supernaturales, sunt (respectu naturæ) miracula.*

§. 3.

Quidquid in anima contingit, quod ejus vires excedit, nec à re creata proficisci potuit, id est miraculum. (c) Non igitur integrum est, ab hac adpellatione conversionem excludere. Si tamen nova tibi videatur vocis impositio, poteris per me (d) distinguere *inter naturæ gratiæque regnum.* Erit conversio, ad naturæ regnum respectu habito, miraculum, in œconomia vero gratiæ non erit, quatenus gratiæ DEI ordinariæ in isthoc regno viribus

ribus procuratur. Contra in hoc regno miraculum dici poterit, quod extraordinarium est, *ut Conversio Pauli, ut inspiratio Prophetarum &c.*

(*c*) Vid. Wolff. Metaph. p. 416. §. 759.
(*d*) Lege Bülffing. Dilucid. p. 224. §. 231.

§. 4.

Cum ex recentiorum doctrina Conversio sit miraculum, tantum abest, ut homo quidquam ad ejus vel initium vel finem conferre possit, quantum abest, ut v. g. quem natura cœcum protruserat, ad visus sui restitutionem facere nonnihil potuerit. Oculorum quidem acie uti potuit accepto Christi auxilio, sed ad primum usque videndi actum non potuit non esse patiens. Nec solum vires videndi, sed primus etiam actus à Christi operatione pendebat. (*e*) Secundus autem videndi actus cæterique omnes consectaria erant miraculi in primo exerti, à viribus nunc videndi dativis ordine profecta. Similis ratio debet esse conversionis, quam in regno naturæ miraculum esse, non temere condocui.

(*e*) Vid. judiciosissimi Hoffmanni Synop. Theol pur. p. 161. §. 2. *Neque etiam vires solum credendi sunt à Deo, sed & ipse actus fidei, & quanquam homo ab hoc denominetur, & formaliter pœnitere & credere dicatur, Deus tamen unice vires pœnitendi & credendi in actum deducit.*

§. 5.

Si quidquam igitur Pelagianismum profligat, recentiorum certe dogmata eum evertunt, qui conversionem miraculum adpellant propriissime acceptum. Quemadmodum miraculum fit in momen-

mento, (f) ita etiam conversio. (g) Sicuti tamen miraculi operationes esse possunt complures; ut exemplo cadaverum Ezech. 37. ℣. 7. 8. constat, *quæ ortò Dei afflatu primum ossa collegerunt, post carne & venis aucta, deinde cute vestita fuerunt, ut tamen hactenus deesset halitus; quem tandem Propheta vaticinium inspiravit, ut occiperent vivere:* Ita & conversionis certi gradus recte assignantur suis quisque criteriis distincti. (b)

(f) Hoc demonstrat Wolffius Metaph. p. 376. §. 688. Confer Bulff. Dil. §. 229.

(g) Ita Jægerus Comp. p. 306. *Conversio habet suos actus præparatorios, licet enim ipsa, ut est translatio ex morte in vitam sit momentanea &c.*

(b) Varios gratiæ gradus vid. apud Fechtium in dissert. de ort. & modo grat. Aph. 14. 15.

§. 6.

Quemadmodum porro miracula Dei ab hominibus possunt eludi, quatenus conditionem non implent, sub qua patrari possent, ac promissionis fide, deberent; Namque Rex populi Israelitici terram telo non pluries quam ter cum feriret, frequentioris victoriæ spem sibi eripuit, testante id disertis verbis Elisa, qui à facto Regis splendidiorem victoriam sperandam fuisse, sub conditione licet non impleta, confirmat 2. Reg. 13. ℣. 18. 19. Ita prorsus non absurdum est miraculum conversionis suspendi à conditione hominum, posse itaque conditione omissa impediri, i. e. resisti, quando media pædagogica ad imitationem Regis Israelitici non bene adhibentur. Corruunt igitur vel hoc solo exemplo omnes argutiæ eorum, *qui gratia non posse resisti contendunt*, qui Deo inglorium putant

putant, *respicere conditionem:* qui *conditione non resistendi admissâ hominem aliquid ad sui conversionem collaturum suspicantur:* quasi vero rex terram percutiendo victoriam miraculosam promovisset: *qui hominem se ipsum discernere sententiâ hac stante criminantur:* Corruunt, inquam, hæc argumenta quævis, si Recentiorum doctrina rite imbibatur.

§. 7.

Scilicet Tellutis percussio à Rege suscepta non causa fuit victoriæ, sed *conditio sine qua non*, quod idem de conversione habendum, ad quam procurandam nihil faciemus nisi in foro exteriori actus pædagogicos adhibendo. (i) Quis igitur non videt, nos duos utrinque scopulos §. 1 indicatos præternavigando, veritatis naufragium scite declinasse.

(i) Confer Scherzer. System p. 155. ubi thesin *de homine in conversione nonnisi patiente* ad forum interius, non ad actus pædagogicos restringit.

CAP. XIV.

De Vita & Morte.

§. 1.

TRiplicis esse generis vitam omnem, vel iis notum est, qui nondum ære lavantur. Alia enim vita est *naturalis*, alia *spiritualis*, alia denique *æterna*. Similis ratio est mortis, quæ opponitur vitæ. Quem enim fugit, eam vel *naturalem*, vel *spiritualem*, vel denique *æternam* esse? De tribus his generibus pauca dicemus pro ratione temporis & instituti. (a)

(a) Pertinet huc Cancell. Tub. dissert. *de morte naturali.* 1722. habita, quâ ego quidem in hoc articulo nihil eruditius legi unquam. Alio consilio Francisc. Bac. Verulam. *scripsit historiam vitæ & mortis.*

§. 2.

Quemadmodum hæc vulgaria sunt, ita parum obvia est distinctio primi membri nova, quæ *vitam naturalem complectitur.* Pertinet enim vita naturalis vel ad *corpus*, vel ad *animam*, vel ad totum *suppositum.* Definitiones hëic adcuratas pariter & fecundas recentiorum tradit disciplina. Vita corporis *in circulatione sanguinis ponitur* (b), seu generatim in tali *statû*, quô *corpus ad movenda membra* redditur aptum. Concinit hæc definitio adcurate cum S. Scriptura, ut nihil hac parte objici queat. (c)

(b) Vid. Wolffii vernünfftige Gedancken von den Würckungen der Natur §. 455. p. 735. Das Leben ist der Zustand des Leibes/ darinnen derselbe zur Bewegung seiner Gliedmassen aufgelegt ist. „Und demnach siehet man, daß das Leben des Menschen und der Thiere dem Umlauff des Geblütes zuzuschreiben.

(c) Levit. 17. v. 11. des Leibes Leben ist im Blut. &c. hinc sanguinem fundere, est vitam ponere Joh. 10. v. 17

§. 3.

Vita animæ est nihil aliud *quam vis operandi i. e. cogitandi & adpetendi*, quâ proprie loquendo substantia animæ continetur. Itaque anima quamdiu exsistit, mori nequit; ipsa enim ejus vitæ radix substantia est. (d) Non dicimus animam cogitationem, sed cogitandi vim. Hæc

est

est perdurans, illa transitoria. Hæc complectitur vires, illa determinationem virium, quæ subinde alia atque alia esse solet. Hæc est veluti scaturigo operationum, illa rivus inde profluens. Hæc, unô verbô, est substantia, illa autem accidens. Non exponimur (*e*) igitur dubiis, quibus Cartesiani premuntur.

(*d*) Supra docuimus Cap. 2. § 3. discurs prælim. characterem substantiæ in vi agendi quærendum, quod & h. l. adplicandum est. Confer. Braun. in doctrin. fœd. p. 299. §. 15. *Sedulo cavendum est, ne confundamus actum substantialem cogitandi ipsum, cum ejus variis modis ac determinationibus, quales sunt cogitationes particulares - - Nam quomodocunque determinetur actus cogitandi ad hanc vel illam cogitationem, tamen actus ipse substantialis semper idem est, cum modi & determinationes essentiam ipsam non destruant* &c.

(*e*) Dubia Cartesianis obversa sunt v. g. *Si natura mentis consistit in cogitatione sequitur eam esse accidens; si consistit in cogitatione; anima erit fluxa, peritura, quemadmodum ipsa cogitatio est fluxa & singulis fere momentis perit:* Anima enim non est cogitatio hæc aut illa, sed ipse cogitandi actus substantialis, qui durat, licet series cogitandi modique innumeri esse queant vid. Braun. in doctr. fœd. p. 306. §. 24. seqq. Potuissem adcuratius seu saltim fecundius, animæ vitam *adpellare vim repræsentandi mundum pro situ corporis in universo.* Adcommodavi me autem ad sententiam ordinariam, ne quibusdam occasionem suppeditem, circa hæc recte exposita præter necessitatem hæsitandi.

§. 4.

Quid vita corporis sit, quidque vita animæ dixi, nunc explicandum est, quid sit vita *totius suppositi* ex anima & corpore conflati. Vita suppositi est *Harmina motuum corporis organici*, nec

non cogitationum seu idearum adpetituumque mentis. (*f*) Ubi præsto est harmonia ejusmodi, ibi vivit homo, ubi cessat, moritur. Intelligere hinc licet distinctissime, quid sibi velit obscura Philosophorum locutio *inter totum hominis, & totum hominem* distinguentium. Vita corporis & animæ, quam paulo ante definivimus, exhibet *totum hominis*, harmonia utriusque vitæ, sistit *totum hominem.* Ita *totus homo* moritur, cessat enim harmonia actionum corporis & animi; non moritur autem *totum hominis*, namque & anima post mortem vitam tuetur suam, & corpus (*g*) exsistere pergit.

(*f*) Harmoniam heic voco vitam suppositi, habet enim harmonia inter animæ corporisque actiones locum, juxta omnia omnino systemata, id quod & ipsa testatur experientia. At proportio inter actiones animæ & corporis admitti nequit. *Proportio est comparatio homogeneorum secundum magnitudinem. Homogenea adpellamus, quorum unum aliquoties repetitum potest alterum fieri vel id æquare vel superare.* Atqui ex actione animæ, v. g. adpetitu quomodocunque replicato nunquam fieri motus potest corporis, & vicissim. Non deest tamen harmonia inter actiones utriusque generis. Nimirum in harmonia mutationes animæ eandem *inter se* proportionem habent, quam mutationes corporis *inter se se* observant. Si motus corporis organici consequens fit v. g. triplô vehementior quam antecedens, potest ei animi respondere adpetitus etiam triplô vividior, quam adpetitus antecedens, & sic porro. Si alter cessat, potest finiri alter, &c. vid. Bulffing. Harm. præst. p. 241.

(*g*) Licet corpus resolvatur in cineres, exsistit tamen secundum partes, cum ne pulviculus quidem ejusdem sine miraculo perire unquam possit. Definitiones de vita *& corporis & animæ* nemo temere vocaverit in

du

dubium. Atqui ex iis patet, vitam utramque actionibus hinc animæ, illinc corporis metiendam. Quodsi igitur vita est operationum fons, intelligitur quid de Leibnitii sententia judicandū, qui in Monadol. §. 71. *nil in natura sterile, nil mortuum, nihil incultum esse* affirmat: Omne enim ens, ex illustris Viri mente, procul omni dubio, quatenus est *positivum* vim agendi habet, quatenus est *privativum*, vis illa limitata *passivum* in re constituit. Si cum Malebranchio omnes res creatas dixeris mere *passivas*, vel nonnullas certe, rem fingis ex meris defectibus & privationibus conflatam: quid enim est, *patiens esse*, quam non agere, i. e. *limitatum esse viribus agendi*? Statuis itaque limitationes sine re limitata, perinde ac si numerum computari posse diceres ex meris subtractionibus. Quocirca negari non debet, omnem rem, quæ & quà existit, vim agendi habere, magis minusque limitatam, pro re nata &c. Nihil igitur, suô modô, non vivit, quia nihil non quâdam agendi vi præditum est. Nisi forte fuerit ut vitam adpelles tantum *scaturiginē operationum*, *quæ in sensus incurrunt*, quæ *en gros* adparent, atque excludas actiones minutiarum nostros fugientes sensus. Ita vero non vivent juxta te animalcula visu minora, & microscopiis detecta, secundo cum plebe senties, non cum Philosophis; Philosophi enim rationes, ob quas hoc aut illud *vitæ* titulo à plebe insignitur, & in aliis rebus fundatas vident, adeoque ob causas easdem idem de illis judicant, cum interim vulgi judicium omne ex solis sensibus pendeat. Atqui satius est, rationem sequi, quam plebis usum. Si tamen nolis, si cuīnuni querela utaris. *mutari per Nos vocabulorum significatus*, quanquam injuste conqueraris, ut modo probavi: poteris tamen per me libertate tua frui, vitæque vocem tam arcte circumscribere, ac placuerit. Qui interim nos cum ratione h.m. loquentes intelligere vult, ab eo jure poscimus, ut nostram discat linguam, sin autem fuerit refragatus, tantum abest ut jure nos accusare possit, quantum abest, ut qui cum Gallis conversari cupit, merito

querelas fundat gallicam discendi linguam necessitate constrictus.

§. 6.

Vita suppositi hactenus explicata denuo in aliquot ramos abit. Est enim vel *carnalis* vel *animalis*. Vita *carnalis est harmonia actionum animæ & corporis in perpetrando malo*. Si v. g. homo peccat, vult primo peccare ipsa ejusdem mens, secundo respondent ei adpetitui motus corporis vel externi, sicubi ipso opere peccatum admittitur, vel motus interni à cerebro & spiritibus animalibus profecti, quoties nimirum intra conatum malitia subsistit. Nam & singulis cogitationibus sive pravis, sive bonis respondet saltim in cerebro certa mutatio, quod omnes Philosophi ultro fatentur. Hæc vita in sacris adpellatur *Vetus Adam* (*b*) *antiquus homo*, *corpus peccati* &c. Harmonia est vel in actu posita vel in habitu. Si res duæ pluresve aliquoties consentiunt, vel semel, nec pluries, collocatur harmonia in *actu*: Si vero sæpius repetatur, oritur proclivitas consentiendi, eoque *habitus*. Cum vero & à natura possit propensio ingenerata esse; patet, posse existere propensionem consentiendi inter actiones corporis & animæ naturalem, possibile propterea esse *peccatum originale*, de quo plura docent Theologi.

(*b*) Oracula Vet. Test pro peccato originali facientia nuper in pecul. dissert. vindicavit Pfaffius Cancell. Tub. Clerici sententia de peccato originali singularis legi potest in Epist. Theol. VI. p. 150. sq. Accusatur & Elias Du Pin à Petitdierio in observationibus ad biblioth. script. Eccles. quod in primis seculis nihil à Patribus scriptum esse docuerit, distinctæ hujus peccati explica-

plicationi inserviens. Ad quas observat. Du P. in T. VI. Bibliothec. quædam regessit. Novitatem autem dogmatis de peccato originali, quam Pelagiani Augustino falso exprobratunt, Præsul Hipponensis ita amolitus est: *Non ego finxi originale peccatum quod catholica fides credidit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio novus es hæreticus.* vid. L. de concup. & nuptiis L. II. Cap. 12. T. X. oper. p. 210.

§. 6.

Vita *suppositi animalis est harmonia illarum animæ & corporis actionum, quas homo cum brutis communes habet & quæ in se seorsum à* Subjecto *consideratæ nec malæ sunt, nec bonæ.* Tales sunt v. g. his aut illis propensionibus affectum esse, quæ in anima & corpore sibi mutuo respondeant. Si anima proclivis ad ambitionem existat, vel *si hanc peccatis adscribas, uti plerumque adscribi debet,* ad appetitum honoris innoxium, qualis in observando decoro & alibi locum invenit; respondet in corpore sanguis flava bile abundans, quod idem de cæteris temperamentis sentiendum est. *Hæc de propensionibus animalis vitæ.* Ad actiones ejusdem sequentes referuntur: v. g. *adpetitus cibi & potus, instinctus procreandi sui simile, amor prolis &c.* Vita isthæc & in statu integro florebat, i. e. instinctum agendi exercebat, (*i*) in altera autem cessabit. (*k*) Describitur à Paulo 1. Cor. 15. ℣. 45.

(*i*) Potu enim & cibo Adamus integer utebatur. Falsa & Rabbinica est eorum sententia, qui Adamum Androgynum fuisse volunt ex se ipso liberos procreaturum, uti Poireti, Petersenii &c. Impia Beverlandi, quam quo minus tangam, prohibet castitas. Contra notum est adpetitum cibi & potus in altera vita cessaturum vid. 1. Cor. 6. v. 13.

(k) *Edere enim & bibere cum Christo in gloriâ regio* ineffabile gaudium, non vero alimenti usum denotat.

§. 7.

Præclarum hæc distinctio usum præstat in discernendis gratiæ naturæque operationibus. Instinctus vitæ animalis cum gratiæ impulsibus sæpe concurrunt ad eundem finem consequendum, iisdemque mirifice implicantur, ut non exiguam attentionem poscat, evolvere distinguenda. Sæpe Pii homines ad se v. g. suosque curandos feruntur, & instinctu animali (quidquid enim vivit, se conservare studet) (l) & aliquo gratiæ impulsu, quia id jubet DEUS, & eo incitat Spiritus S. &c. Frequenter, quorum emendata est mens, v. g. melancholici à prodigalitate sibi cavent, & per naturam, & per gratiam inducti &c. *Quid de his sentiendum?* Aut instinctus vitæ animalis cum gratiæ impulsu concurrit ad faciendum honestum, aut alter cum altero confligit: Si prius contigerit, augetur quidem in persequendo honesto ardor & vehementia, juxta proportionem vero illius augmenti minuitur actionis honestæ laus & pretium, quia potissima instinctus, ut ita loquar, pars animalis vitæ fructus est: Si vero acciderit, ut vitæ utriusque impulsus secum mutuo confligant, tum gratia vel superior evadit, vel victrix exsistit vita animalis. Priori casu minuitur quidem in bono colendo ardor, sed augetur pretium actionis. Quantus enim est nisus vitæ animalis contrarius, tantum gratiæ effectui derogatur. Facs, extrema fame regenitum laborare, nec habere unde satiari possit, nisi quod occasio offeratur, furtim auferendi

rendi panem insalutato Domino. Si instinctus vitæ animalis sc. fames ad furtum sollicitet, gratia autem illi imperet, ardor abstinentiæ ob naturæ contrariam luctam languidior erit, victoriæ vero hus longe præstantissima. Posteriore vero casu, quo vita animalis evadit superior, peccatum admittitur, cujus culpa tantundem minuitur, quantum impulsus vehementia aucta fuit.

(l) Eleganter Cicero in offic. *L.* 1. cap. 3. §. 1. *Principio generi animantium omni est à natura tributum ut se, vitam, Corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcunque ad vivendum sint necessaria, inquirat, & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis.*

§. 8.

Quoties igitur animalis vitæ instinctus gratiæ nisum sufflaminat, carnalis evadit, vitam enim carnalem harmoniam actionum corporis animique in perpetrando malo dixi, quicquid vero gratiæ resistit, contrahit malitiæ culpam. Hac via ostenditur distinctissime, quod Augustinus in Tract. *de nuptiis & concupiscentia* probare connisus est, sc. *homines in peccato posse concipi, licet instinctus sobolem procreandi omnium animantium communis sit.* Nam quoties vita animalis nobiliori instinctui oblucta-tur, eundemque suffocat, non potest non commaculari peccato, adeoque fieri carnalis. Cumque vitæ animalis impulsus, qui bruta afficit, nunquam nobiliori instinctui resistat, quippe quem nec per gratiam nec per rationem habent; nec non vitæ animalis in Adamo adhuc integro impulsus nunquam imaginis divinæ luminibus ac ductibus repugnasset: intelligitur, posse in uno subjecto

impulsum eundem esse naturalem & culpâ vacuum, qui in altero crimen habeat; ineptum igitur esse Pelagianorum (*m*) ratiocinium contra peccati originalis præsentiam formatum, quod huc redibat: *instinctum procreandi sobolem omnibus communem animantibus non posse non expertem criminis esse, eoque omnes in peccato gigni non posse.*

(*m*) Pelagianorum circa hanc aberrationem sententiam nemo studiosius recoxit, quam Crellius *in Ethica Christiana virtutum & vitiorum.* Gignimur tamen in peccato non solum ob concupiscentiæ excessum, sed & ob corruptionem Parentum hæreditariam.

§. 9.

In cæteris casibus adsignandis non ero prolixus. Fieri potest ut quis peccet contra instinctum & naturæ & gratiæ vid. 1. Tim. 5. ℣. 8. tum crimen admittitur enorme. Contingere potest, ut uterque sit solus, non conjunctus, nec collisus cum altero, ut actio oriatur vel bona vel indifferens, *saltim quoad nos*, de quibus omnibus jam dicendi locus non est. Id obiter duntaxat moneo, spiritualem vitam ab animali semper limitari, à carnali vero peccaminosis imbecillitatibus coinquinari. Primum quidem tum fit, quum ob alimentorum parandorum vitæ animali inservientium curam plurimum temporis hujus mundi occupationibus tribuendum debito cultui divino eidemque perpetuo surripitur: Alterum autem contingit, dum hæ & ejusmodi curæ, affectuum excessus &c. languorem, tarditatem, molestiam adspergunt sacris functionibus.

§. 10.

§. 10.

Unum ex animalis vitæ operibus summi est momenti, non prætereundum h. l. sicco pede. Ad animalem vitam referuntur *temperamenta*. Videre licet homines atra bile abundantes, qui in omnibus suis negotiis rigidiores cæteris exsistunt, anxie soliciti, constantes in consiliis, nec mobiles facile, qui vivacissima phantasia peccatorum Orbis Christiani indignitatem, judiciorum DEI gravitatem &c. sibi repræsentare possunt: Quodsi tales gratiæ nonullo impulsu efficiantur, dici vix potest, quanta instinctuum utriusque generis commixtio oriatur. Inspiratorum nostro tempore tot dantium turbas exempla id condocere possunt. (*n*) Hinc vaticinia temperamenti impetu verbis Scripturæ prolata, hinc fervor cuncta reformandi sine consilio quidem incredibilis, hinc alia phænomena, quorum distinctio summam attentionem meretur. Consilium certe DEO obtemperandi firmissimum gratiæ effectus est, sed mirifice & contrubatus, & obliquatus operationum vitæ animalis intercursu. Habes tum naturæ & gratiæ conglomeratum velut effectum, ad quem evolvendum nonnisi divina sufficit perspicacia. Facit huc quod Cap. III. discursus præliminaris diximus.

(*n*) Vid. Joh. Gustav. Reinbeckii nöthigen Unterricht von Prüfung der Geister. Helæ 1715. Joh. Joach. Lang. in dem nöthigen Unterricht von unmittelbaren Offenbahrungen Halæ Sax. 1715. Martin. Chladen. in disputat. de inspiratis sine Spiritu. Witteb. 1715. Lysii warhaffte Erzehlungen dessen was mit den Inspirirten zu Berlin vorgegangen 1715. &c.

§. 11.

§. 11.

Spiritum S. in Prophetis & Apostolis se ad quorumvis temperamenta & propensiones adcommodasse Theologorum chorus unanimi consensu profitetur. Novum id est argumentum limitantis vitæ animalis spiritualem. Quod obiter tango. *Sed num in cœlo vitæ animalis functiones cunctæ cessaturæ sint?* quæstio est longe gravissima. Unam quidem & alteram operationem destructum iri §. 6. docui, de cæteris vero disceptari potest. *An cœlites* v. g. *eandem sorgyèn ega relictos liberos post mortem sentient, quam habuerunt ante quam ex hac vita discederent? Sanctificaturne tantum (o) ille amor, an prorsus evelletur?*

(o) Controversia hæc agitata est vehementi animorum æstu inter Viros doctissimos Ecclesiæ Evangelicæ ante tempus breve. Ministerii Augustani Senior tum temporis Superintendens Herimontanus librum edidit ad οἰκοδομὴν præclare facientem, quem inscripsit: der Krancken Gesundheit und der Sterbenden Leben/in quô ex Ministri cujusdam Stuttgardiani sermone sacro olim habito quæstionem tractavit: *Num Cœlites semetinvicem sint agnituri futuriquæ memores charitatum in hac vita relictarum, immò num aliquando etiam beate defuncti suis in mortalitate adhuc degentibus præsto esse queant?* vid. p. 762. Adgressus est Virum eruditum Lebrecht Petræus quispiam; quem refutavit Dn. Grammlichius in dem Unterricht von dem Zustand der Seelig-Verstorbenen &c. & ipse Senior Ulsperger im Send-Schreiben &c. Petræus adversarios heterodoxiæ coarguit, hiraconttu Petræum summæ impietatis accusarunt, compensatis reciproce insultibus. vid. das Send-Schreiben p. 22. *Perinde ac si nemo ab aliis dissentire posset, nisi vel heterodoxus, vel impius.*

§. 12.

§. 12.

Meâ quidem sententia non evellitur Amor Cœlitum erga relictas charitates, emendatur potius, & sanctificatur. Recordantur ergo propinquorum amicorumque in hac vita, queis erepti sunt; sed an in eorum etiam cognitionem veniant, quæ illi propinqui post horum obitum suscipiunt, anceps conjectura est. Non provehemur tamen ulterius in decidenda hac lite, quàm hactenus factum, nisi ideam *sanctificationis*, quâ amor cœlitum depurari dicitur, evolverimus.

§. 13.

Quales sint actiones, *sanctæne*, *naturales*, an *vitiosæ?* ex motivis & impulsu agendi æstimari debet. vid. Cap. III. dissertat. præliminaris. Actio igitur *mere* sancta est, *quæ nonnisi ex motivo illustrandæ DEI gloriæ editur.* Actio ex parte sancta, cujus generis non omnes quidem, pleræque tamen in hac vita exsistunt, ea est *quæ ex motivo illustrandæ DEI gloriæ pariter ac ex instinctu quodam animalis vitæ perpetratur.* Tales sunt, *liberos amare & propinquos ob mandatum Christi, cibum & potum capere in nomine DEI* 1. Cor. 10. ℣. 31. *Conservationi propriæ studere &c.*

§. 14.

Virtutes nostræ omnes, queis ornamur in hac vita, non exclusis illis quæ à gratiæ regno pendent, locum habent ἐκ μέρους 1. Cor. 13. ℣. 10. Cum vero in altera demum vita consummandæ sint, loc. cit. intelligitur, sanctitatem actionum *ex parte* nunc obviam, commutatum iri cum sanctitate

mere

mere tali. i.e. ex definitionibus supra traditis, actiones cœlitum nonnisi ex *solo* & *unico* motivo illustrandæ DEI gloriæ profecturas, cessaturum igitur suo modo instinctum animalem, qui actionis pretium §. 7. minuit. Cum igitur dicimus, *perfecte sanctificandum esse amorem beatorum erga propinquos, non autem evellendum: Sensus hic est, ipsam naturalem intelligendi & adpetendi amandive vim, quæ substantia est, mansuram, nullo autem eam impulsu agitatum iri, nisi eo, qui dirigatur in gloriam DEI.* Ergo sanctus est perfecte triumphantium in Cœlo fidelium erga suos amor, si in hos non feruntur, nisi ob motivum gloriæ DEI ab eis promotæ, aut promovendæ; ita ut quoties motivum gloriæ cesset, degenerantibus in malignos propinquis, amor cesset, si redierit postliminio, amor instauretur.

§. 15.

Ipse instinctus in amore erga charitates naturalis & animalis, cum in filios. v. g. tendat, non *quia filii DEI sunt, sed quia nostri sunt*, sanctitatem limitat, ut animum non occupare tota, quanta quanta est, possit. 1. Thess. 5. v. 23. Limitatio illa imperfectionem arguit; quæ tum temporis erit auferenda. *At*, inquis, *concessum est modo, instinctum animalem sanctificari, non eradicari: Regum utique gratiæ & gloriæ perficit naturæ regnum, non evertit*: Ita est profecto: sed velim in animali instinctu distinguas duo. Ipsam primo agendi vim, quæ substantia est, & virium deinceps agendi directionem à varietate impulsuum profectam. Ipsam substantiam, quæ ad agendum impellitur, & motivum

tivum, quod directionem addit impellendo. Illa in sanctificatione semper præstruitur per se quippe in regno naturæ bona: hoc pro necessitate sanctificationis variandum est. Quoniam enim illud amoris motivum, quo in filium v. g. ferimur. *quia noster, non solum quia DEI est per fidem*, aliquando agendi vim dirigere in malum potest, urgendo ad amorem erga filium, qui DEO improbatur: Cognoscitur instinctum animalem quatenus accipitur pro motivo à generatione regni animalis desumto, eradicandum esse in altera vita, quatenus vero accipitur pro vi agendi substantiali, sejungendô cogitationem directionis & motivi, non evellendum esse.

§. 16.

Pro diversa igitur vocabuli significatione beati erga relictos propinquos amore flagrant, & non flagrant. Flagrant amore sed sanctissimo, ex nullo impulsu quam gloriæ Dei illustrandæ coortô: Non flagrant amplius suorum amore, quatenus motivum amandi à generatione in regno animali facta desumitur. Hoc maxime interest inter amorem Sanctorum hujus & alterius vitæ. Hujus vitæ Sancti præter divinas suos amandi rationes ducuntur & studio in suos, *quia sui, quia à se generati, non solum, quoniam à DEO regenerati sunt.* Hinc & nequissimos filios jamjam damnatos, eoque ad gloriam Dei promovendam ineptissimos deplorando amorem significant, ut exemplo Davidis Absalonem reprobum tanto deflentis opere constat. Alterius autem vitæ Sancti gaudebunt potius de propinquis reprobis, quam con-

contristabuntur. Unicum enim amandi motivum habent gloriam Dei, cui illustrandæ, si ineptus evadat propinquus, æternisque nunc sit exponendus pœnis, cessante motivô, cessat amor, imo gloriâ Dei nunc contrariâ viâ per pœnam manifestatâ, de pœnis lætandi motiva sentiunt. Contra mortales horum temporum pii duplici & generis quidem diversi motivo utuntur cognatos diligendi. Amant *ut suos*, non amant solum tanquam *divinos*. Licet igitur *divini* esse propinqui desinant, evanescente alterô motivô; urget tamen alterum, ut & de reprobis, quos adhuc amant, mœstitia afficiantur. Hæc si non distinxerimus, aërem in hac controversia verberabimus, & magno disputandi molimine agemus nihil.

§. 17.

Instinctum animalem quâ talem, i. e. quatenus στοργὴ erga filios oritur ex motivo generationis in regno animali, in altera vita desiturum facillime probatur. Ipse generandi instinctus evanescet, teste Christo Matth. 22. ℣. 30. Non ergo vitæ illius majestati consentaneus, eoque imperfectus est. Quicquid ergo ex eo qua tali oritur, v. g. *ut argumenta inde amoris capias*, id auferetur, quô celsissimum sanctificatio fastigium adtingere queat. Quod si difficile conceptu videatur, *quomodo beati parentis* v. g. Abrahami *erga impium & damnatum filium amor*, v. g. erga divitem epulonem Luc. 16. ℣. 25. *cessare queat*, si suspiceris, *duraturum amorem, & mœstitiam de pernicie filii excitaturum*: Velim cogites, quid quotidie fiat in summorum principium animis, qui rationem

sæpe

sæpe statûs amori naturali erga propinquos longissime anteponunt, & ejusmodi affectibus adsuefiunt, ut nulla eorum curâ tangantur, nisi quæ cum ratione statûs conjuncta est. Qui si huic obstiterint, funestum exoritur odium. Si tam efficax ratio est statûs in alterandis principum animis, quo non effectu gloriam DEI mentibus cœlitum infixam penitissime conspicuam fore autumas?

§. 18.

Intelligimus ex his quousque beate defunctorum cum propinquis superstitibus conversatio sperari, aut non expectari queat. Nimirum si ad communitatem sanctorum, si ad vitam Ecclesiæ triumphantis & militantis socialem provoces, semper altero oculo isthæc distinctio respicienda est. Societas nulla â beatis expetitur, nisi tantummodo pro necessitate gloriæ DEI, non pro instinctu vitæ animalis qui fertur ad amandos propinquos, *quia sunt propinqui. Cœlites igitur nonnulla de Ecclesiæ militantis statu rescîscere*, problema in utramque partem disputabile, nec sub impietatis intentata nota obtrudendum negantibus; *Præsto autem sæpius esse in terrâ beatos, socialitatisque causa colendæ familiariter uti relictis propinquis*, valde obscurum, & incertum est. Quia in sacris de ea conjunctione, præter pauca exempla extraordinaria regulam non continuo fundentia, nihil distincte revelatum legimus.

§. 19.

Incidimus nunc justo ordine in mentionem vitæ *spiritualis* quæ alterum divisionis primæ membrum

brum constituit. Est vero vita *spiritualis restituta à Spiritu S. Harmonia actionum corporis & animi in persequenda virtute Christiana omni.* Seu si mavis: *Determinatio virium agendi in anima & corpore ad faciendum id, quod DEO & Servatori placet.* Cumque inter actiones DEO placentes prima sit *fides*, quam concipimus in Christum, verissimum est, quod urgent Theologi, *vitæ spiritualis initium in viribus credendi esse positum.*

§. 20.

Vitæ *spirituali* tam non desunt sensus *spirituales*, quàm non in vita naturali desiderari solent naturales. Definiemus illos brevissime. *Visus spiritualis* est *facultas* menti per tertiam divinitatis personam indita *distinguendi & dijudicandi veritatem revelatam ab errore, honestatem Christianam à turpitudine* Apoc. 3. ℣. 18, Eph. 1. ℣. 18. Auditus *spiritualis* est facultas ab eodem profecta auctore *aures præbendi*, vel quod in sacris idem sonat, *obtemperandi divinæ voci.* Contrarium utriusque sensus est animus *partim excœcatus, partim is, qui ad vocem DEI induruit.* Matth. 13: ℣. 15. De auditu verò spirituali Servator verba facit Joh. 10. ℣. 27. *Oves meæ audiunt vocem meam.* i. e. obtemperant. Ubi vero est actus obtemperandi, ibi & facultas, eoque sensus spiritualis.

§. 21.

Gustus spiritualis est facultas de immensa DEI in Christo benignitate gaudendi, ac de peccatorum mundi horrenda indignitate contristandi.

Illa

Illa est dulcedo, hæc autem amaritudo, utraque delibanda à gustu *spirituali* 1. Petr. 2. ℣. 3. 2. Cor. 11. ℣. 29. Tactus spiritualis est facultas animadvertendi impulsus gratiæ, divinæque castigationis. Phil. 1. ℣. 9. Jerem. 5. ℣. 3. Denique odoratus *spiritualis* est facultas discernendi genuinas preces à fucatis Deoque non probatis. Preces enim *sufficiunt esse*, quem quæso fugit? confer. Psal. 141. ℣. 2. Atqui fideles obstricti sunt, ut caveant, ne pro grata DEO oratione offerant misere decepti ingratam. Jacob. 4. ℣. 3. Facultas vero id dijudicandi recte *olfactus* adpellatur *spiritualis*.

§. 22.

In vita spirituali recte dijudicanda generatim duarum est habenda facultatum ratio. Prima pertinet ad *lumen divinæ cognitionis*, altera ad *ardorem sanctioris affectus* in persequenda honestate Christiana. Affectus addit animo *impulsum agendi*, Lumen vero præstat *impulsus directionem*. Ardor affectus sine lumine cognitionis est ζῆλος ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν Rom. 10. ℣. 2. Lumen verò cognitionis sine adfectus ardore est cognitio mortua Rom. 2. ℣. 19. 20. Utraque igitur debet conjungi facultas. Quantuscunque exsistat agendi pro divina gloria impetus, si separaveris rerum notitiam, & subactum judicium, *nec te intentio bona, nec animus Deum colendi* Joh. 16. ℣. 2. *nec prætextus conscientiæ juverit, aut coram DEO culpa exsolverit unquam.* Impulsus enim licet vehementissimus absque directione in objectum debitum, tanto plus infert

detrimenti, quanto nisus est rapidior, ut vel simili globorum maximis tormentis non adversus hostes, sed socios in bello explosorum illustrari potest, in quibus nihil desideratur. nisi ictus directio, & militaris architecti prudentia. Ex adverso si vel ad Angelorum cognitionis fastigium esses evectus, sanctoque tamen careres agendi ardore & affectu, nullus exsisteres coram DEO 1. Cor. 13. ℣. 2. cum architecto militari comparandus, qui theoriam dirigendi & præparandi tormenta exacte perdidicisset, ab explodendis tamen iis abstineret semper, scil. præsto esse debet in vita spirituali & *lumen* & *ardor*, & *impulsus* & *directio*. Non est cur hoc simile in re sacra rideamus, quos ipse Spiritus S. cum militibus contendit 2. Tim. 2. ℣. 3. quorum ictus non veritatis defensoribus, sed errorum & Diaboli servis nocere debeant. Ephes. 6. ℣. 17. accenso & agendi impulsu, & impulsus suscepta prudenter directione.

§. 23.

Perspicuum hinc est, quid de iis sentiendum, qui veritates sinistre intellectas, & ex transverso velut adspectas, ubi optica tanquam fraude aliam faciem referunt, mirifice persequuntur, bono animo gloriam DEI caussantes, nec non conscientiæ urgentis rationem interserentes. *At non sufficit, conscientiam pratexere, si conscientia non sit satis informata, novimus enim omnes, dari & erroneam.* Non sufficit, ardenti gloriæ divinæ impulsu flagrare, si impulsus dirigatur contra veritates, nullæ enim veritates à gloria DEI possunt sejungi.

§. 24.

§. 24.

Intelligitur ex præstructis porro, num consultum sit, *emendationem mentis incoare à voluntate?* (p) Ardor affectus ad voluntatem pertinet, lumen vero cognitionis ad intellectum. §. 22. Diximus vero parum prodesse ardorem agendi sine lumine. Itaque emendatio voluntatis, ubi quæritur primum instinctum quidem & affectum parit DEO serviendi, cum autem mens hactenus ignara sit, quorsum ille instinctus debeat dirigi, nondum quippe collustrato per cognitionem veritatis intellectu, potest fieri, ut voluntas præceps magno impetu ruat in modos Numen colendi minus adprobatos, imo prohibitos, idque sub conscientiæ prætextu, ex quo oritur pro pietate superstitio, pro constantia in veritate obstinatio (*la bigoterie*) (q) quibus vitiis sæpe nihil pernicioſius excogitari potest.

(p) Hæc est sententia Viri pie doctissimi Langii in medic. mentis, quam & præter alios multos, notârunt Auctores *relat. innocentium.* adann. 1704. p. 410. seqq. Quibus tamen Langius respondit in den aufrichtigen Nachrichten part. IV. ad ann. 1704. p. 68. seqq. Adde *& Anti-Barbar.* P. II. p. 41. seqq. nec non Rectorem Gymnasii Berolin. Bodenburgium in epist. gratulat. anno. 1709. edit. Contra Ferberus in dissertat. de *Fanaticis in rectam rationem injuriis p.* 12. varia reponit. Sunt plures qui hanc sententiam tuentur, inter quos & Thomasius, de quibus dicere non vacat.

(q) Prodiit ante semestre liber, qui inscribitur: Gedancken über die Philosophische Bigoterie. Quo auctor Leibnitianæ & Wolffianæ Philosophiæ assecias perstringit. Sed haud sane scio, quis magis hujus

vitii accusandus fuit? Num is, qui in re disputabili impugnatur, seque defendit, an alter, qui primum impugnat, nec se impugnando errasse, profiteri vult, licet monitus? Nullum vero dubium est, quin primis adscribendi sint Leibnitiani, secundis vero Clariss. Walterus in den Eleatischen Gräbern/ ubi satis ironice Wolffium vellicavit, ut proin sibi imputare debeat, quod à Müllero Würtemb. pari mensurâ exceptus sit. Etiamsi ego nec Walteri satytas in Wolffium, nec Mulleri in Waltherum adprobem, miror tamen esse, qui scommatibus à se in alios scriptis delectentur, ab aliis vero in se retortis incredibili æstu succenseant. *Qui alterum facit, altero non debet commoveri.* Vid. quæ Waltero respondit Bülffing. Diluc. p. 524. §. 460.

§. 25.

Posset nostræ sententiæ non sine summa specie obverti, *sæpe litterarum expertes, qui parum cognitionis habeant, ardentius & rectius DEO servire, quam eruditissimos sacrorum Doctores, quorum pietas langueat, & ad conciliandum Numen longe sit ineptissima.* Non est contemnendum hoc dubium, ex quô colligunt, *satius esse de flectendâ prius cogitare voluntate, quam de collustrandô intellectu.* At vero sciendum est, si major inflammet pietatis ardor hominem rudem, quam doctum quemlibet in hoc studio frigentem, id propterea fieri, quod pauciora cognitionis efficaciæ impedimenta in homine litterarum sacrarum ignaro objiciantur, quàm in impio theologiæ Doctore. Quodsi igitur de his judicandum est, in duobus subjectis, altero erudito sacris, altero leviter imbuto, *cætera* debemus cogitare & ponere *paria*. Fac esse eruditum

ditum Theologiæ Doctorem ex parte unâ, & ex altera parte hominem ex plebe infima de summis fidei capitibus vix mediocriter instructum: si in uno non compareat plus impedimenti & resistendi vitium, quàm in alterô, profecto Theologiæ Doctor ob majorem cognitionem plus proficiet in pietate, quàm homo ille rudis. Quodlibet enim rerum sacrarum lumen efficax est, & nisum ad virtutem instigandi, qui luminis proportioni respondeat, exercet; *sin igitur plus luminis adest, plus etiam instinctûs animo additur.* Aliter verbum DEI non esset efficax, sed mortua littera, quod est absurdum. Si verbum DEI est efficax, erit eò efficacior pietatis impulsus, quò distinctius divina de salute voluntas cognoscitur. Aliter enim verbi efficacia in generali & confusa cognitione poneretur, nec pietatis incrementum responderet illuminationis profectibus, quod contra Coloss. I. ℣. 11. nemo Theologorum dixerit temere.

§. 26.

Quodsi igitur Rusticus v. g. sacrarum notitiâ rerum infra mediocritatem subsistens pietate ac DEI Timore vincat multo doctissimum Theologum, pietatis profectô defectus in Theologo non est adscribendus sterilitati cognitionis intellectum ornantis, *perinde ac si emendatio mentis debuisset à voluntate incoari:* est enim rerum sacrarum notitia *semper efficax*, *conscientiæ stimulos addendo*, *ἀναπολόγητον hominem reddendô*, *castigando* &c. licet non semper cognitio sit *pietatis efficiens*:

efficiens: sed causa illius sterilitatis est in impedimentis quærenda, quibus præ Rustico Theologus obliquatur, v. g. *munerum ambitu, gloriæ cupiditate*, nimio litterarum studio, &c. Cætera igitur non sunt paria, quocirca nec affirmari potest, *perinde esse, sive magna intellectus luce collustretur, sive minus.* Qui id volunt, fallaciam *non causæ ut causæ* mihi committere videntur. Quæ enim pietatis vacuitas in Theologo ab aliis causis enascitur, eam luminis, quod intellectui affunditur, inutilitati falso tribuunt, causamque ob eam credunt, quod voluntas prius amore DEI sit imbuenda, quàm intellectus ornandus ejus cognitone, cum tamen vel ignoti, vel non satis noti, utique nulla possit oriri cupido, pro gradu autem cognitionis certâ proportione amor capiat vel incrementa, vel decrementa, *cæteris paribus.*

§. 27.

Est & alia causa, quamobrem sæpe doctissimi litterarum expertibus pietate cedant. Versantur enim eruditi sæpe in veritatibus, quæ â pietatis studio sunt paulo remotiores, nec proxime praxin adtingunt. Frequenter & cognitionis latissime patentem amplitudinem magis, quàm profunditatem & inde pendulam assensûs firmitatem respiciunt, quâ deficiente cognitio vim suam per animum pandere non potest. Fieri & solet, ut, dum animus historiæ litterariæ studio nimium distrahitur, nec non mediocri præditus indicio controversiis tractandis operam navat,

aut

aut non sentiat veritatum efficaciam aut scepticismo theologico ob litium decidendarum incapacitatem, laborare occipiat, quô, quantum nisus cognitionis ad honestatem Christianam sufflaminetur, verbis vix exprimi potest. Ex quibus tamen nunquam sequitur, primum in id incumbendum esse, ut missâ collustrandi intellectum curâ, voluntatem emendemus omnium primò. Valeat igitur isthæc sententia, ex qua papismus & superstitio pridem enata est.

(r) Quoniam cum divinarum rerum notitia veritates philosophiæ complures necessario cohærent, ut exemplo Metaphysicæ & moralis disciplinæ cognoscitur; quarum illa notiones suppeditat, in quas tandem omnis veritas distincte evoluta, sive naturalis, sive supernaturalis resolvitur; hæc vero Theologiæ morali imprimis ancillatur: negari sanè non debet, ad cognitionem theologicam augendam & his adminiculis opus esse, & sicut illa salvô pietatis profectû negligi non potest, ita & hæc, si per circumstantias fieri possit, non contemnenda, nec tractanda desultorie, nec eos audiendos, qui contrariam viam sive suadent, sive præeunt ipsi.

§. 28.

In revocandô igitur ad pietatem Christianam homine lumen intellectûs semper prælucere debet adfectibus animi, quibus in bonum ferimur, subinde antecedat oportet veritatis cognitio in intellectu, quò sequi in voluntate possit honestatis amor & exercitium. At loquor hic de *illuminatione*, non *de experientia spirituali*, quarum hæc ab illa differt longissime. Illa enim

enim præcedit emendationem hominis, ad quam sternit tramitem, hæc vero sc. *spiritualis experientia* emendationem hominis sequitur. Illa docet & urget, hæc instillatas doctrinas hîc & nunc adplicat. Illa ad *generalia* potissimùm pertinet, repræsentans articulos fidei necessarios, instruens de *virtutum Christianarum cultura*, *de evangelio*, *de lege &c.* Experientia vero spiritualis *singularia* maxime respicit, ipso pietatis usu edocta de individuis viarum DEI eventibus, de fidelium animorum in sacris gustu sensuque, de specialissima DEI circa suos hâc aut illâ providentiâ. Qui gravioris momenti iter ad exteros meditatur, eum præscire antea oportet, *quò locorum excurrere consultum sit*, *quibus sumtibus utendum*? *qui comites viæ adsciscendi*? *quæ prudentia in progressu apud peregrinos adhibenda*? *Quò scopo & fine loca sint adeunda alia*? quarum cautionum generalium, si vel unica omittatur, præsentissimum est singulis momentis, oscitantiæ periculum. Isthanc ego curam cum illuminatione contendo, quæ viæ ad cœlos emetiendæ præmittenda est. Sed quemadmodum in ipso constituti itinere *innumera vident*, *audiunt*, *sentiunt*, *de quibus generales ante viæ ingressum regulas tradere*, *vel quæ cuncta præsagire*, *nemo hominum potuisset*, variantibus in infinitum singulorum peregrinantium fatis; ita quoque de spirituali experientia specialiora non ante tradi possunt præcepta, quam ipsô factô pietatis stadium incoandô currendi ceperis experimentum.

§. 29.

§. 29.

De Turcia potest quis innumera legisse itineraria, ut plura nôrit *generalia* de istis oris, quam civium quisquam, ut fata & historias regionis, ut rationem statûs, provinciarum multitudinem, magistratus & divitias, reditnum copiam, & cætera quævis habeat perspecta; nihil tamen obstat quo minus idem ā vili homine, qui in Turciam ipsô excurrit factô, secundum *specialia quædam* superetur, ita ut de nonnullis locis, quæ ab hoc visitata sunt, plura hic testari & enarrare queat, quam ille litteratissimus. Illius igitur exemplum, si cum animo oras illas visitandi conjunctum sit, *illuminationem* refert, quæ regenerationi præstruitur: hujus vero factum sistit *experientiam spiritualem*. Ex quo intelligitur, *quomodo Spenerianorum & Wittebergensium controversiæ decidendæ*, quomodo verba servatoris Luc. 12. ℣. 42. cum Pauli judicio 1. Cor. 4. ℣. 2. concilianda sint, quorum ille in Christiano & *fidem* & *prudentiam*, hic vero *solam fidem* requirit: Namque sospitator loquitur de Christiano per experientiam spiritualem jamjam exercitato, consecutoque eo modo prudentiam; hic vero differit de fideli in se, primâque & necessariâ ejus virtute, sejungendô cogitationem, numquid illa virtus per subsecuta ornamenta accessoria, *spiritualem experientiam prudentiamque*, ulterius exculta sit, annon?

§. 30.

Nunc de vitæ æternæ ineffabili gloria sub finem quædam dicenda sunt. Erat enim is divisionis

sionis locus tertius. Voluptas generatim est ex recentiorum doctrina *cognitio perfectionis intuitiva.*(s) Cum vero omnium consensu, saltim plerorumque Theologorum vita æterna in aspectu faciei divinæ posita sit, quanta exsistat hujus philosophiæ cum sacris consensio iterum cognoscitur. Nimirum intueri faciem DEI longe perfectissimam, non potest non parere voluptatem incredibilem. Cum nihil fiat sine sufficienti ratione, & vero in vita isthac beata nullum cœlitibus peccandi auctoramentum, aut dilinquendi illecebræ occurrere queant; certum est, *beatos* omnes unà cum Angelis *in bono esse confirmatos*, quæ altera in hoc articulo à Theologis explanata veritas est. In hac vita possunt aliquando peccandi incitamenta non dico, *digniora*, sed *fortiora* esse impulsibus gratiæ inhabitantis, nemo igitur credentium gratia in certis circumstantiis non potest excidere: At alia ratio est vitæ illius felicis, quæ propter summam perfectionem peccandi irritamenta offerre nunquam potest. Quid *mors jam sit* ex contrario intelligitur *vita*. Qui *non est mortuorum*, sed *viventium DEUS* faxit, ut perpetim viventes cuncti suo nomini benedicamus in secula!

(s) Ira voluptatem definit Wolffius & eum secutus Bülffing. Diluc. p. 276. §. 289. sqq. *Non alienum erit ad paragraphum* 22. 28 29. *anteced. hanc observationem referre.* Est forsan, qui objicit, *emendationem voluntatis primo suscipiendam*, Paulum enim *ante omnia fidem & candorem in œconomo DEI requirere* 1. Cor. 4. v. 2. *Hanc autem virtutem voluntatis esse, lumen cognitionis per experientiam spiritualem sensum sensumque comparari, si vel maxime zelus*

zelus aliquando pro gloria DEI limites migret, excusari tamen excessum per candorem, quem dixi, semper igitur consultius esse prius de corrigenda voluntate cogitare quam de colluſtrando intellectu. Sed distinguendum est, ut jam §. 28. occupavi, inter cognitionem intellectus generaliorem, quæ est illuminationis, & inter cognitionem individuorum eventuum pietatem colenti obviorum, quæ pertinet ad experientiam spiritualem. Illa *decet*, hæc *applicat.* Illa ipsi substernitur candori, tantopere necessario 1. Cor. 4. v. 2. Neque enim fidem suam DEO adprobare potest, qui rerum, quibus in DEUM candor demonstratur, non plene gnarus existat: Hæc autem scientia experientia spiritualis candorem sequitur, multo usu demum adquisita. Qui igitur in zelo pro DEI gloria limites migrat, excusari non potest, si circa cognitionem primam erraverit, veritatesque rejiciat magno æstu, quæ cum credendis & agendis cohærent; Nisi forte dixeris, *etiam Pontificios culpa vacare, quum adversus veritates Evangelicas sua conscientia, sed erronea, inducti tantopere desæviunt, existimant enim se DEO probare suum candorem:* Qui autem in zelo pro gloria DEI limites migrat, quantum ad cognitionem secundam, quæ experientiæ spiritualis est, & in adplicandis veritatibus versatur, quia nullam veritatem nec directe nec indirecte negat, sed sinistre modo in his aut illis casibus adplicat, excusari omnino debet oraculo Pauli 2. Cor, 5. v. 13. thun wir zu viel, so thuns wir GOtt ꝛc. Ita fieri potest ut nimium quidam indignentur vel hæresi apertæ vel vitiis auditorum, cum & mediocris zelus sufficere potuisset, dummodo veritatem ipsam non impugnent, licet in ejus adplicatione hallucinentur, veniam tamen merentur, quia candore acti talia susceperunt. At candor non excusat eos qui ipsas veritates quocunque modo necessarias adgrediuntur, est enim ille obtentus Persecutorum veritatis omnium.

FINIS.

389 rdi

279. 1 pars: de peccato

395. 11. de vol: antecedente.

Deum volendo res bonas non efficere sed potius eas demvelle quod bonas cognoscat.

quidquid boni possibile est id praestare possunt divinae vires, sed quaeris tamen, ut omnia et singula una exhiberi, quod se mutuo excludunt ne systemate nequeunt. 5 B.

vol 18 = 3

PHILOSOPHIÆ LEIBNITIANÆ ET WOLFFIANÆ USUS IN THEOLOGIA,

PER PRÆCIPUA FIDEI CAPITA.

PRÆMITTITUR

DISSERTATIO

DE

RATIONE ET REVELATIONE,

NATURA ET GRATIA.

AUCTORE

J. TH. C.

WURTEMB.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ.

A.M.DCC.XXXIII.

Munch

1728